

R 3764

Paris
1660

Du Hamel, Jean Baptiste


De Meteoris et fossilibus libri duo

janvier

IOAN. BAPT. DV HAMEL
D E
M E T E O R I S
E T
F O S S I L I B V S
L I B R I D V O.

IN PRIORE LIBRO mixta imperfecta, quæque in sublimi aëre vel dignuntur, vel apparent, fusè pertractantur.

POSTERIOR LIBER mixta perfecta complectitur ;
vbi salium, bituminum, lapidum, gemmarum, & metallorum naturæ, causæ, & vius inquiruntur.



P A R I S I I S,
Apud PETRVM LAMY, in magna aula Palatii, secunda
columna, sub Magno Cæsare.

M. DC. LX.
CVM P R I V I L E G I O R E G I S.



EMINENTISSIMO PRINCIPI
HIERONYMO
GRIMALDO
S.R.E CARDINALI
ARCHIEPISCOPO AQVENSI.

Non adeò mibi blandior,
PRINCEPS EMINEN-
TISSIME, ut officium
meum implere, vel mini-
mam partem tuorum erga me merito-
rum hoc inani ingenii monumento asse-
qui posse confidam. Praclare intelligo
me tam modico munere gratiam Emi-

ā ij

E P I S T O L A.

nentia tua non referre, sed habere: neque adeò sim demens, ut in solutum imputari velim, quod novum in me beneficium conferas, dum pateris hunc librum illustrissimo tuo nomini inscribi. Hoc ad summam benignitatis tuae pertinet, ut tibi eidem cui nostræ fortune fuerunt, sit etiam existimatio curæ. Tametsi famæ, & nomini nostro satis à te prospectum fuit, cum nos tibi tanto pignore obstrinxisti: neque enim soles indignos beneficiis tuis ornare. Quo mibi nova insuper cura, & altior solicitude incumbit, ut is sim, qualem me esse voluisti, ne vel ego te fefellisse, vel tu beneficia tua male collocasse videaris. Non equidem spes arduas foveo, nec magnarum opum, aut honorum

E P I S T O L A.

*ambitione precipiti abreptus, vel limi-
na Principum insidere, vel lites sequi,
vel denique animum ad assentationem
possum componere. Malim ego intra
honestam mediocritatem confistere,
quam bis gradibus ad sacerdotia, &
dignitates eluctari. Placuit Eminentiae
tuae pudori meo subvenire, & perfe-
cit, ut jam mea fortis nequaquam
pœniteat; ac nisi quis ex transverso ca-
sus incurrat, habeo ex tua munificen-
tiâ unde ab omni ipsius fortunæ inju-
riâ, & malignitate me vindicem. Il-
lud certè permibi jucundum est, ne di-
cam gloriosum, quòd beneficium à
tanto Principe acceperim, non expres-
serim. Parata sunt tua munera, non
precibus emuntur: vota cujusque oc-*

E P I S T O L A.

cupas, nec rogari quidem sustines; adeo ut tantum gratiae adjicias, quantum morae detrabis. Nemo est cui magis ex animo debeam, quia nemo te libenterius largitur: nec gratiore accipientibus honores putas, cum tedium, & similis repulsa mora illos pudore suffuderint. Hoc ipsum mihi est jucundissimum, quod neque exsolvi, neque nomen possim expungere. Quinetiam quasi mei pudoris, ac tua dignitatis oblitus videar, novo me tibi nomine devinciri latet, cum hunc ingenii mei partum, non modo tollere, sed etiam Eminentiae tuae, quasi fovendum, & educandum, ut liberalitatis tuae fructum, tradere non erubesco. Non sum qui ingenii proferendi, vel cele-

EPISTOLA.

britatis, & inanis gloriola colligendæ
cupiditate vebementer laborem: sed
nec possum nihil agere, nec languere
velim, & hebescere. Ergo id mihi eni-
tendum putavi, ut otium meum pluri-
mis prodesset; idque me consequi posse
arbitratus sum, si illustrandæ Philo-
sophiaæ naturali navarem operam,
eāmque à barbarie (quantum fieri pos-
set) vindicatam, & aliarum scientia-
rum instructu, ornatūque comitatam
pertractarem. Nuda enim, ut plerum-
que tradi solet Philosophia, nimiè sub-
tilitatis affectatione frangit ingenia: se-
juncta vero à ceteris scientiis, cum qui-
bus natura juncta est, & officio copula-
ta, nihil superest preter infinitas, concer-
tationumque plenas disputationes, quæ

EPISTOLA.

omnem ingenii succumbibunt, & nihil
quam fastidium ingenerant. Profectò
inficiari non possum me acriori studio in
id opus incubuisse, ex quo tanto sum
à te affectus munere. Nam si benigni-
tate tuâ otium cum aliquâ dignitate
sum consecutus, nequaquam id mibi
licere credidi, ut vitam inertem, ac de-
sidem agerem, vel instar immunis fuci
ad aliena pabula sederem. Nec du-
bito tamen, quin institutum meum
multos offendat. Plerisque hoc Philo-
sophiæ genus displicet; neque enim quis-
quam fere ullam artem, vel disciplinam
probat prater eam quam ipse sequitur.
Negant alii hæc studia esse persona no-
stra, aut professionis, cum nos à me-
lioribus curis avocent. Quibus ego suc-

cen-

E P I S T O L A.

*censere non possum ,quòd nos nostri of-
ficii benignè admoneant. Nec sanè ve-
lim Theologiam ,ut transfuga desere-
re ,quòd omne studium ,& cogitationes
meas in Physicas scientias abjiciam :
tametsi summi viri ,& præcipua Theo-
logia lumina Philosophiam naturalem
non indignam censuere ,cui magnam
operam ,& curam impenderent. Ve-
rumtamen certa moderatio ,& præ-
scriptio servanda est ; ac modus vel non
injucundo labore constituendus. Con-
sumi in his artibus nolo ,sed reficit ,&
reparat varietas ipsa ; ac difficile est in
labore uno perseverare. Quòd si insti-
tuta perfecero ,referam me ad mea
Theologia studia ,atque opus quod
jamdiu cogito ,quòdque mibi non*

E P I S T O L A.

*indecorum, & fortasse Ecclesia, cui me
medique labores devovi, non inutile
(si modo quid utile scribimus) futu-
rum est, aggrediar. Quod si hoc velut
opera specimen non improbes, optimè
mibi facti ratio constabit. At subve-
reor ne parum modestia memor, aut
preciosus videar nugarum estimator,
qui hoc operis sub auspiciatissimo tuo no-
mine in lucem emitam. Tacere quidem
tutius erat: nemo quippe sui silentii
rationem dicere compellitur: sed non est
grati, & memoris animi furtivè, &
quasi remotis arbitris gratias agere.
Summorum in me, & fratrem merito-
rum tuorum magnitudinem sustinere
non possumus; at liceat saltem publi-
cate testimonio, & velut ob signatis tabu-*

E P I S T O L A.

*lis profiteri nos solvendo non esse, nec
debere invitatos. Profectò istà amabili
opinione fruimur, per paucos esse qui-
bus magis ex animo velis; sed pauci
sunt, qui libentiùs nomen agnoscant.
Nec sors nostra patitur ex mutuo age-
re, at nemini concedimus ut heroicæ
Eminentia tuae dotes, generosam indo-
lem, eximias denique, ac toti Europa
spectatas virtutes, pietatem, vigilan-
tiam, fortitudinem, constantiam, do-
ctrinam majori observantii colat.
Multum te commendat illusterrimum
genus, ex quo latè terrarum Domini
prodierunt; multum venerationis ha-
bet illa purpura, & fastigium digni-
tatis, ad quam publica vota, nata-
lium decus, magna in Ecclesiam me-*

EPISTOLA.

rita, ingens rerum gestarum gloria, ac
Sanctissimi Pontificis celeste judicium
elexere. Sed supra omnem commendationis
aleam assurgunt illa gravitati
aspersa comitas, obvia humanitas, ma-
gnitudo animi cum tantâ moderatione
conjuncta, summa in rebus agendis
prudentia, invictus animus, & seculo
major; omnium denique virtutum con-
cordia, qua nullo leditur vitiorum
confinio. Moderatio tua stylo manus
injicit, nec minus mibi consideran-
dum est quid aures tuæ pati possint,
quam quid virtutibus tuis debeatur.
Neque laudes Eminentiae tuae verbis
implere, aut velim, aut possim; illius
benignitati gratias tantummodo agere
cogitavi. Nec mibi fas est dubitare,

E P I S T O L A.

*quin exile hoc munusculum benignè
interpreteris, ut grati animi, & benc-
ficiorum tuorum non immemoris argu-
mentum. Hac meta votorum est, ut
det tibi Deus non modò ætatem (quod
olim Optimo Principi magnus orator
precabatur) sed immortalitatem quam
mereris: ita voveo,*

E M I N E N T I A E T V A E

Addicissimus IOANNES BAPTISTA
DV HAMEL.

IN LIBROS
DE METEORIS ET FOSSILIBVS
Clarissimi Viri IOANNIS BAPT. DV HAMEL.

INCLYTUS aetherios ex quo concessit in axes
GASSENDVS, Salvi gloria prima soli.
Fruge novâ licet, alma Ceres, quater horrea: musto
Et quater impleris dolia, Bacche, novo.
Flebat adhuc tamen ipse sui Latous alumni
Interitum: flebant Pieridesque fuit.
Una sed ante alias flebat magis agra Sorores
Vranie, niveos dilaniata sinus.
Ibat, e^r amenti similis deserta per arva
Implebat miseris conscia saxa sonis.
Funeris heu! tibi causa fui, GASSENDE, tuamque
Exprobrat nobis Gallia tota nesem.
Scilicet ipse meos dum pernox suspicis ignes,
Afflavit tristi te gravis aura gelu.
Hec, e^r plura Deâ latos jactante per agros,
Antra procul motis ingemuere feris:
Ingemuit concussa domus stellantis Olympi:
Ingemuit superum Réxque Patérque Deum:
Lugentisque diu miseratus ab æthere Natas,
Aspera jam tandem rumpere fata parat.
Continuò Majâ genitum vocat, ac simul ipse
Adstanti genitor talia verba dedit:
Scis, Nate, ingentis GASSENDI funere Phœbum,
Lampridem doctas e^r lacrymare Deas.

*V*literius tantum nequeo perferre dolorem
 *D*amna timens generi deteriora meo.
Ergo altis que dicam animis infige: simûlque
 *P*er populos posita fer mea jussa morâ.
*E*st urbes Francorum inter notissima famâ,
 *S*equana quam vitreis lambere gaudet aquis.
*I*llic florentem studii prænobilis oî
 *Q*uærere H A M E L I A D E N sit tibi , Natae , labor.
*H*unc sed H A M E L I A D E N cui se se pandere amavit
 *N*atura , arcanos & referare sinus.
*F*rater enim magnis animi par dotibus illi est ,
 *O*rantem caussas quem stupet ipsa Themis.
*I*nventum tibi ritè Sophum properabis amena
 *D*octorum comitum ferre vireta super.
*V*ndique tum Musis cingentibus , illius ingens
 *G*randiloquo disces ore sonare decus.
*C*allentem primæ referes sub flore juventæ
 *P*lurima G A S S E N D O vix bene nota seni.
*P*andere mox illum Naturæ arcana jubebis
 *C*ui mare , cui tellus , omnis & æthera patet.
*S*ic rata G A S S E N D V M reducem mea cara propago
 *A*ffuescit curas ponere corde graves.
*F*atus erat : celeres Cyllenius induit alas ,
 *P*arisâ celebrem jam petit urbe Sophum.
*C*astalidum proprias alacrem jam sifit ad arces :
 *I*am Musis coram munera mille canit.
*D*icere mox ipsum jussu Iovis imperat : ille
 *F*acundo attonitas jam tenet ore Deas.
*A*c subito Pindi de sedibus ille coruscum .
 *M*ajor mortali tollit ad astra caput.

Omnia

Omnia GASSENDO similis, dulcēmque loquela,
Ingenium solers, judiciūmque sagax.
Illius adspectu tristes revirescere lauri:
Currere Caſtalidum pigrior antē latex.
Tum lacrymas ſiccare, & ovanti ambire volentem
Gefit HAMELIADEN turba diſerta choro.
Cūm prior Vranie, tuāne ô poſt funera tandem
GASSENDE, Aoniis redderis ipſe jugis.
Quisquis es, ô Sophiae merito ſpes maxima, cari
Tu mihi GASSENDI, quisquis es, instar eris.
Phœbus idem, comitésque unā retulere: per orbem
Magnus & è Pindi vertice plauſus iit.
Audivere procul Procerum clariffima pubes,
Artes una quibus cura fovere bonas.
Ipſe ſed inprimis Superūm GRIMALDVS amores,
Centum Principibus conſpiciendus avis.
Cui ſacra fidereum caput ambit purpura, latis
Déque humeris imos currit ad uſque pedes.
Lumine ſed proprio melius qui fulgeat, & cui
Tergeminum debet maxima Roma decus.
Ecquis enim miseriſ melior ſuccurrere, forti
Corde quis in terris, justiūque prior?
Quisve aequè blandus vero adſpirare labori
Nobilium doctā quālibet arte Virūm?
Adſpicis ut ſpretos hoc trifti tempore Vatum
Adbibit attentā ſedulus aure modos.
Mox & HAMELIADÆ famam ſuper aithera tollet:
Eternūmque ſuo nomine reddet opus.

CAROLVS DV PERIER.



I N E O S D E M
EPIGRAMMA.

QUAM mutent elementa vices, quæ sede revulsa
In chaos impellat vis inimica novum;
Mixta quis hæc medio suspendat in æthere jussus,
Pensilibusque ignes abdere possit aquis;
Aëris incerti strepium dubiasque procellas
Quæ motu ancipiti causâve lœxue regat;
Quò magis Æolidum nubes se solvat in imbrem,
Aut quo concrescant grandoque, nixque, gelu;
Qui demum maris alternante reciproca fluctu
Intumeant toties, detumeantque vada.
Hæc quæ vel Sophæ mystas arcana latebant,
Nunc te vel rudibus scire docente licet.

G. DE BREBEUF.



P RÆ F A T I O.

Non me fugit Physicam à multis tuni
gravissimis, tum doctissimis viris dili-
gentissime tractatam fuisse; adeò ut no-
stram operam fortassis non desideret:
sed, quod Philosophicā libertate dicere licet, ple-
risque ex recentioribus non ingenium, non eruditio,
at propositum defuit. Quidam enim vnius ex
veteribus auctoritatem securi, id habent ratum,
quod ab eo quem probant, judicatum vident. Alii
novas munierunt vias, atque in suam quisque induxit
sequentes; adeò ut jam ex ipsis sectæ, & disciplinæ
habeant vocabula. Plerisque Philosophia non arri-
det, nisi exilis, & squalida: neque aliquâ delecta-
tione lectorum animos volunt allucere, nec quæ
fentiunt ornatè, & concinnè eloqui. Postremò
nonnulli partem dumtaxat Philosophiæ, velut onus
totius corporis veriti tractare maluerunt. Experiri
itaque ingenium placuit, & tentare an infinitos pro-
pè, qui de singulis hujus scientiæ partibus conscri-
pti sunt, libros possem contexere, & optima quæ-
que feligere: ita ut si minus nova invenire, certè de
aliis liceret judicare. Quæ porrò à multis vel negle-
cta, vel contempta jacuerunt; seu quòd ad alias scien-
tias pertinere arbitratentur; sive quòd iis religio
fuerit ab inolitâ consuetudine recedere; seu denique
quòd adolescentum ingenia tot & tantis rebus per-

P R A E F A T I O.

cipiendis non sufficere crediderint, hæc potissimum explicanda, & tractanda suscepi: nihil enim tam Philosophiæ proprium esse cognovi, quam quod plerique ut alienum aspernantur. Nunc quid causæ fuerit, cur hanc Philosophiæ naturalis partem seorsim à reliquis edere in animum induxerim, verbo dicam. Quamquam admirabilis quædam sit scientiarum connexio, ut omnes inter se aptæ colligatae videantur: hæc tamen quam nunc tradere instituimus, illam habet prærogativam, ut cæteris disciplinis lucem inferat, neque ab iis ullatenus dependeat. Magnam quoque rerum copiam, & varietatem complectitur: nam quæcumque in sublimi aëre, atque in terræ visceribus gignuntur, sibi vindicat. Quidquid suo sinu pretiosum terra foyet, atque omnes naturæ divitias explicat; reconditiona scrutatur arcana: nulla ferè ars vel ad salutem corporis, vel ad vitæ usus destinata ex hujus scientiæ fontibus non manat. Quare non verebor Chymicos, Metallurgos, Aurifices, Medicos ipsos insubsidium vocare, ut Philosophiæ tamquam Principi famulentur. Medicis magnam remediorum ubertatem suggerit: artium vero pars maxima circa res fossiles occupatur, quarum intimas rationes, causas, & usus (rem sane magis magnam, & uberem, quam arduam, & difficilem) persequi volumus. Quos vero auctores potissimum tecquar, quo ordine, quave methodo procedam, nihil necesse est hic at texere: quantum enim judicare possum, optimam ii philosophandi rationem insistunt, qui nulli sectæ

P R A E F A T I O.

serviliter, & superstitione addicti, ex omnibus quod sibi rationi maxime consentaneum videtur, decerpunt, & concinne distribuunt. Hæc ego non eo consilio dissero ut illos redargam, qui vnum aliquem melioris notæ Philosophum, vt ducem, ac præmonstratorem sequuntur; sed ii reprehensione non carent, qui præjudiciis abrepti, non enucleato judicio sese in Aristotelis, Galeni, vel Paracelsi familiam tradidere, atque auctoritate magis, quam ratione ducuntur: quæque probanda sunt, non tam rationis staterâ, quam populari quâdam trutinâ examinant. Omnipotenter in hoc omnis est error, quod existimant vnius effectus vnam causam esse oportere: cum tamen nihil ferè sit in rerum naturâ, quod ex pluribus causis non prodeat. Singuli verò Philosophi in varias rationes animum intendunt, & universas plerumque contemplari nolunt. Hinc plures secari cœptæ sunt viæ, ac multiplices dissidentium Philosophorum familiae sunt prosemnatæ, quæ tamen non tam contrarias, quam diversas opiniones sequi videntur. Eodem enim omnes tendunt, tametsi non eamdem viam terant. Quod si in quodam auctores stylus noster interdum liberius incurrit, non obrectandi studio (quod à me plurimum abest) id feci; sed hoc scribendi genus liberum à Platone, Cicerone, Ferriero, & aliis usurpatum, salibus aliquando & non intempestivis amoenitatibus est aspergendum; excitandus nonnunquam lector ne indormiat, acres denique nos esse, non strictes oportet. Iam mihi, vt arbitror, deprecanda non

P R A E F A T I O:

est invidia, quod Alchimiam ferè universam hoc opusculo complecti voluerim. Hanc enim scientiam non ut artifex, sed ut Philosophus pertractavi: neque nobis interdictum puto Chymicorum vti laboribus, & experimentis, quo major Philo-phiæ naturali lux accedat.

E R R A T A.

PAGINA 33. linea 16. extra proprium centrum, *lege mundi* centrum. p. 55. *lin.* 14. sed tamen expreso; *l. presso*, p. 74. *l. it.* delineatur, *l. delineetur*. p. 77. *l. 14.* *prome*, *l. pro me*. p. 107. *l. 30.* dictator, *l. dictator*. p. 152. ad marginem *l. ex lignis in-* *ceulis educantur*. p. 159. *l. vlt.* si llere, *l. sistere*. p. 197. *l. 4.* *pisces*, *l. pisces*. *eadem* pag. *l. 35.* gainco, *l. guaiaco*. p. 213. *l. 14.* Zapata, *l. Zapata*. *eadem* pag. *l. 7.* debite-*mus*, *l. dubitemus*. p. 267. ad marginem, Caput IV. *l. Caput III.* p. 279. *l. 1.* affun-*ditur*, *l. affundatur*.



SVM MARIA CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

De Meteoris.

CAP. I. DE mixtis re subterraneo potissimum
imperfe- duci.

ctis, vel Meteoris in
vniversum; & de com-
muni corum mate-
riâ.

i. Quæ sit materia ex quâ
omnia finguntur Meteora:
ubi de triplici halitus; va-
pore, fumo, & exhala-
tione.

ii. Variæ de terræ fremitu
sententia proponuntur.

iii. Exigne subterraneo, non
solum terræ motus, sed
etiam plerasque aëris im-
pressions oriri concludi-
tur.

CAP. II. De fontium &
thermarum origine,
Oceani æstu, & maris
salsedine.

ii. Fontium originem ex calo-

ii. De qualitatibus, effectis,
& examine thermarum,
nec non de variis aquarum
tum simplicium, tum me-
dicatarum differentiis agi-
tur.

iii. De æstu maris reciproco
diversæ expenduntur sen-
tentiae, & probabiles con-
jecluræ adferuntur.

iv. De maris salsedine quid
nobis videatur, brevissime
proponitur.

CAP. III. De aliis im-
pressionibus tum a-
quacis, tum aëreis. 40

i. De sale multa ex Cartesio.
ii. De glacie, nubibus, ne-
bulâ, pluvia, rore, & prui-
nâ.

iii. De melle, & manna

S V M M A R I A

<i>fusè agitur.</i>	<i>sionibus apparenti-</i>
<i>iv. De nive & grandine.</i>	<i>bus.</i> 72
<i>v. De ventorum naturâ, cau-</i>	<i>i. De loco in quo Iris effor-</i>
<i>sis, & effectibus, ac de re-</i>	<i>matur.</i>
<i>liquis impressionibus aëreis</i>	<i>ii. De illius figurâ, magnitu-</i>
<i>disputatur.</i>	<i>dine, & coloribus permul-</i>
CAP. IV. De ignitis me-	<i>ta.</i>
<i>teoris.</i> 65	<i>iii. De coronâ & aliis em-</i>
<i>i. De fulgoris, fulminis, &</i>	<i>phaticis impressionibus.</i>
<i>tonitruî naturâ, causis, &</i>	<i>iv. De coloribus qui per tri-</i>
<i>effectibus.</i>	<i>gonum crystallinum appa-</i>
<i>ii. De reliquis impressionibus</i>	<i>rent, varia mittuntur con-</i>
<i>ignitis differitur.</i>	<i>jecturæ, ac pleraque ex-</i>
CAP. V. De Iride, Co-	<i>plicantur ejusmodi phæno-</i>
<i>ronâ, & aliis impres-</i>	<i>mena.</i>

L I B E R S E C V N D V S.

De naturâ, causis & usu fossilium.

CAP. I. D E principiis & cau-	<i>minarias, & vulgata</i>
<i>sis fossilium in univer-</i>	<i>Chymicorum principiapro-</i>
<i>sum.</i> 98	<i>ponuntur.</i>
<i>i. De spiritu universi quæ sit</i>	<i>iii. Quid nobis videatur de</i>
<i>Platonorum & Chymi-</i>	<i>rationibus seminariis, ge-</i>
<i>corum sententia.</i>	<i>neratione fossilium, & tri-</i>
<i>ii. Variæ objectiones adver-</i>	<i>bus principiis, sale, sul-</i>
<i>sus spiritum illum cuncta</i>	<i>fure, & mercurio; Peripa-</i>
<i>permeantem, rationes se-</i>	<i>teticos cum Chymicis quo-</i>
	<i>ad fieri potest, conciliamus.</i>

CAP. II.

C A P I T V M.

C A P . II . De mixtis ter-	nonnulla præmittuntur.
reis, & variis terrarum	ii. <i>De alumine.</i>
generibus. 119	iii. <i>De vitriolo, & variis</i>
i. <i>Principia Chymicorum ex</i>	<i>illius generibus.</i>
<i>Cartesii decretis exponun-</i>	iv. <i>De vitrioli analysi, at-</i>
<i>tur.</i>	<i>que vsu, ubi de medica-</i>
ii. <i>De resolutione, & variis</i>	<i>mentis Chymicis perpan-</i>
<i>illius differentiis, nempe</i>	<i>ca.</i>
<i>sublimatione, distillatione,</i>	C A P . V . De sulfure, &
<i>calcinatione &c. agitur.</i>	<i>bituminibus. 165</i>
iii. <i>De diversis terrarum ge-</i>	i. <i>De sale, & aquis stygiis</i>
<i>neribus, & vsu pertracta-</i>	<i>perpaucā ex Cartesii prin-</i>
<i>mus.</i>	<i>cipiis præmittuntur.</i>
C A P . III . De sale, & ni-	ii. <i>De sulfuris naturā, ori-</i>
tro. 131	<i>gine, & variis effectibus,</i>
i. <i>De salis naturā & origine</i>	<i>necnon de auripigmento, &</i>
<i>juxta Aristotelis principia,</i>	<i>arsenico differit.</i>
<i>de salis & nitri vulgatā in</i>	iii. <i>De variis bituminum ge-</i>
<i>sua principia resolutione.</i>	<i>neribus, & potissimum de</i>
ii. <i>Peripateticorum opinio de</i>	<i>succini naturā, analysi, &</i>
<i>salis naturā refellitur, &</i>	<i>vsu agitur.</i>
<i>verisimilior adducitur.</i>	C A P . VI . De lapidibus
iii. <i>De nitri causis, vsu, &</i>	<i>in universum. 183</i>
<i>præparatione : necnon de</i>	i. <i>De communi lapidum ma-</i>
<i>duplici salis petre liquore,</i>	<i>teria, effectrice, & forma-</i>
<i>fixo & volatili, permulta</i>	<i>li causā ex communi Peri-</i>
<i>explicantur.</i>	<i>pateticorum sententiā dif-</i>
C A P . IV . De aliis salium	<i>serit.</i>
generibus. 151	ii. <i>Quid nobis videatur de la-</i>
i. <i>De nitri, & salis spiritu</i>	<i>pidum causis proponimus.</i>

S V M M A R I A

- | | |
|---|---|
| <p>III. <i>De principio coagulatio-</i>
 <i>nis.</i></p> <p>IV. <i>De calculo disputatur.</i></p> <p>CAP. VII. <i>De variis la-</i>
 <i>pidum differentiis.</i> 200</p> <p>I. <i>De magnete juxta Cartesii</i>
 <i>sentientiam.</i></p> <p>II. <i>De lapidibus seorsim sum-</i>
 <i>ptis, ubi de eorum formis,</i>
 <i>coloribus, & viribus dif-</i>
 <i>fieruntur.</i></p> <p>III. <i>De variis saxorum, &</i>
 <i>marmororum generibus tra-</i>
 <i>ctatur.</i></p> <p>CAP. VIII. <i>De gem-</i>
 <i>mis.</i> 217</p> <p>I. <i>De naturâ, origine, ac di-</i>
 <i>visione gemmarum, &</i>
 <i>quomodo ab adulterinis</i>
 <i>genuinæ discernantur.</i></p> <p>II. <i>De Crystallo, Adaman-</i>
 <i>te, & aliis pellucidis gem-</i>
 <i>mis.</i></p> <p>III. <i>De opacioribus & aliis</i>
 <i>minoris notæ differuntur, ubi</i>
 <i>de viribus gemmarum, aut</i>
 <i>veris, aut fictis.</i></p> <p>CAP. IX. <i>De metallis in</i>
 <i>vniversum.</i> 234</p> <p>I. <i>De metallorum materia di-</i></p> | <p><i>versæ opiniones concilian-</i>
 <i>tur.</i></p> <p>II. <i>De metallorum genera-</i>
 <i>tione.</i></p> <p>III. <i>Vtrum in diversas spe-</i>
 <i>cies diducantur.</i></p> <p>CAP. X. <i>De metallis</i>
 <i>seorsim sumptis, vbi</i>
 <i>fusè de transmutatio-</i>
 <i>ne metallorum.</i> 248</p> <p>I. <i>Transmutatio metallorum</i>
 <i>diversis rationibus impu-</i>
 <i>gnatur.</i></p> <p>II. <i>De singulis tractatur me-</i>
 <i>tallis.</i></p> <p>III. <i>Transmutationis possi-</i>
 <i>bilitas afferitur.</i></p> <p>IV. <i>Objectiones diluuntur.</i></p> <p>CAP. XI. <i>De præpara-</i>
 <i>tione metallorum.</i> 268</p> <p>I. <i>De venis metallicis agitur,</i>
 <i>& quo modo discernantur.</i></p> <p>II. <i>De earum fusione, & exa-</i>
 <i>mine.</i></p> <p>III. <i>De metallorum variis</i>
 <i>separationibus, ubi de cu-</i>
 <i>pellâ, quartatione, & cæ-</i>
 <i>mentis; ac multa Alchimi-</i>
 <i>starum arcana illustran-</i>
 <i>tur.</i></p> |
|---|---|

C A P I T V M .

iv. Horum omnium rationes
inquiruntur.

CAP. V L T. De vſu me-
tallorum: vbi de anti-
monio, & hydrargy-
ro, & aliis rebus me-
tallicis. 288

i. Omnium ferè circa metalla
operationum, ut dissolu-
tionis, præcipitationis, &c.
causæ, & rationes inqui-
runtur.

ii. De floribus, regulo, & vi-
tro antimonii, atque eo-

rum vſu differunt.

iii. Variæ mineralium pra-
parationes, atque vſus de-
scribuntur, vbi qua arte
metallorum essentia, olea,
vitriola educiqueant, pau-
cis exponimus.

iv. Remedia ex hydrargyro,
antimonio, ac metallis de-
prompta multis oppugnan-
tur rationibus.

v. Quid de vſu metallorum
nobis videatur paucis ape-
rimus.



DE
METEORIS
ET FOSSILIBVS
DIALOGI.

LIBER PRIMVS.

De Meteoris.

CAPUT PRIMUM.

De mixtis imperfectis, vel Meteoris in universum;
& de communi eorum materiâ.

- i. *Quæ sit materia ex quâ omnia finguntur Meteora, ubi de triplici halitus, vapore, fumo, & exhalatione. II. Variæ de terre fremitu sententiæ proponuntur. III. Exigne subterraneo, non solum terre motus, sed etiam plerasque aëris impressiones oriri concluditur.*

THEOPHILVS, SIMPLICIVS, MENANDER.

TH.  VLTVM me, optime Simplici, hesterna disputatio commovit; ac jam incipio Aristoteli aliquantulum diffidere. Is meo quidem judicio, Philosophorum omnium est longè princeps; sed ut omnia quæ ab ipso præscripta sunt, defendamus, nullâ necessitate cogimus. II.
A

z D E M E T E O R I S

los tamē odi pessimē , qui longa tollunt supercilīa , & præceteris multū sapere arbitrantur , si à summo Philosopho quā bene , quā male dissentiant . Quod si eos judices adhibeamus , virum propè divinum è choro Philosophorum brevi sustulerint . Quinetiam , si Deo placet , Aristoteli Cartesium , vel quosdam alios minutiores Philosophos antefere non erubescunt .

M E N . Audire sanè velim , quid sit cur Cartesium nostrum oderis ; vel certè minus probes ; quem vnum arbitror vera rerum omnium principia sic exposuisse , vt illius Philosophia ex ipsius naturæ fontibus hausta videatur .

T H . Multa sanè probanda in Cartesio , multa etiam admiranda sunt : neque omnino velim eum è manibus adolescentium excutere : sed potioribus præferri non sino . Quod illius principia attiner ; pleraque mihi videntur commentitia ; multa à veteribus deprompta : si quæ in iis voluit corriger , deteriora fecit . Formas & qualitates exterminat , vt motui , figuræ , & magnitudini omnia referat accepta . Democritum , & Epicurum ferè sequitur , atque cum iis etiam labitur . Nam vt præclarè Tullius , cùm in rerum naturâ duo quærenda sint , vnum quæ materia sit , ex quâ res quæque efficiatur ; alterum quæ vis sit , quæ quidque efficiat ; isti Philosophi de materiâ differunt quidem ; vim & causam efficiendi , necnon & formas omnes relinquunt .

M E N . Rectè , an secùs formas & qualitates expunxerit Cartesius , erit alias proprius differendi locus . Id vnum in præsentia contendo , apertissimè eum rerum materialm exposuisse . Quid enim naturæ magis consentaneum , quā totum hoc vniuersum ex tribus componi elementis . Tria quippe cùm sint corporum genera , rotidem quoque esse prima rerum elementa , non abhorret à verisimili . Corpora quæ sunt lucida , ex materiâ subtilissimâ , quæ omnis motus , caloris & lucis fons existit , prodierunt . Quæ vero sunt summè perspicua , vt aëris , vel cælum ipsum , ex particulis constant paululum crassioribus , & rotundis ; hi cælestes globuli , ab ignità primi elementi substantiâ continenter agitantur , ac secundum efficiunt elementum . Corpora deinde densiora , vt terra , & planetæ omnes , ex partibus longè

*Tria esse ex
Cartesio re-
rum omnia
principia.*

crassioribus compinguntur Cælestis substantia , tum primi , tum secundi elementi , omnium corporum poros subit , in iis motum procreat & calorem . Ex his itaque principiis , quæ mixta dicuntur corpora coaluere ; sive ea finit perfecta , sive imperfecta . De imperfectioribus dicam primum in universum , cum de singulis quoad utile videbitur . Mixtum voco imperfectum , vel in quo ex elementis unum prævalet , vel cuius principia male conserta & colligata separari facile possunt . Sic quæ dicimus elementa , terra quam incolimus , flamma , seu fumus accessus , aqua etiam , vel aer ex hoc genere censetur : sed usus obtinuit , ut inter rerum primordia numerentur . De his jam alias copiosè differuimus : nunc ea tantum mixta persequar , quæ vulgo Meteora dicuntur , quod pleraque in sublimi appareant : & nisi forte tibi aliter videatur , mi Simplici , perpetua oratione ut malum , quam illis interrogatiunculis , quæ pungunt magis quam persuadeant .

S I M P . Tu id quidem arbitratu : atque ut viâ & ratione procedat disputatio , primum de iis quæ in terrâ gignuntur , tum de aqueis , aëreis , & ignitis impressionibus ex ordine agendum .

M E N . Placer iste dicendorum ordo : sed prius tamen quæ sit communis velut materies , ex quâ Meteora prodeunt , intuendum puto . Mixta quæ sunt omnia ex vaporibus coalescere , tam certum est quam quod maximè miscibilia enim viri nequeunt , nisi ante in minutissimas partes communiantur ; quod fieri non potest , nisi calor partes illas exagit , atque in vapores resolvat . Vaporis hinc nomine tamquam communis generis abutimur . Nec me fugit vapores propriè ex aquâ , exhalationes è terrâ , vel succis tertefribus attolli . Hinc vaporis particulæ sunt longæ & lubricæ , ac facillimè è corporibus separantur ; non item fumi & exhalationes , quarum partes ramosæ , & irregularis , vi ealoris ægrius attolluntur : quæ igitur ex aquâ prodeunt , vapores ; quæ ex terrâ , & succis oleaginosis , fumos ; quæ demum ex succis acrioribus exhalantur , spiritus appellamus . Spirituum particulæ instar cuspidum acciuntur . Oleaginosæ sunt moliores ; sed alias aliis magis implicantur , quam aqueæ . Hinc plus nocet valetudini exhalatio , quam vapor ;

A ij

*Quid sit
mixtum
imperfectum.*

*Quae sit com-
munitas ma-
teries , ex quâ
Meteora for-
mantur.*

*Triplex ha-
bitus : vapor,
exhalatio,
fumus.*

quod illa particulis terrestribus, & actioribus abundet. Sed quid illos excitat tum vapores, tum halitus, nisi calor ipse, seu materia subtilissima, semper mobilis, ac quietis impatiens, quæ angustissimos compleat corporum meatus, ac partes facile separabiles, huc & illuc movet, atque in orbem agit? Hinc majorem exigunt locum, quod motu suo alias particulas extрудant: quemadmodum funis baculo alligatus, ubi rotatur, magis itidem spatium postulat. Quocirca licet mente concepire aquæ particulas, alias aliis prius incumbentes, atque instar anguillarum repentes, quæ cum subtilis materiæ, vel caloris impetu agitantur, tum in ære volitant, ac gyris suis magna occupant loca. Neque idcirco sursum efferuntur, quod sint ære leviores, vel quod à Sole attrahantur, ut visum est Scaliger: vis enim illa attractrix fictitia est, nec potest explicari: sed quod vaporibus non alius pateat liberior locus. Nam ut arenula longè gravior, motu pedum in altum evehitur; sic sublimem ærem crassi vapes pertumpunt, quos radii Solis diu terræ & mari incumbentes indesinenter attollunt. Atque ut magna equitum turma nubera pulveris excitat altiorem; ita radii solares vndique in totum hemisphærium, & diu toto vibrati, solâ percussione vi, halitus in sublime agunt. Quo minus mirum sit, si quandoque in fundo vasorum, ubi pluvia vel nix subsederit, terræ ipsius crassiores particulæ appareant. Nec dubium est, quin æstate major vaporum, atque exhalationum copia exsurgat, cum paludes, & lacus exsiccati hoc tempore videamus: sed quod fortius agitantur, sub aspectum non cadunt; nullamque luminis motui obiciunt moram. Simili prorsus ratione halitus ille quem expiramus, quicunque nihil est quam vapor, cordis fuligine permistus, æstate non videtur, quod præ calore rarius sit; hieme verò instar nebulæ densatur, ac frigore crescit. Nullum porro esse corpus, quod halitus quosdam occultos non emittat, jam alio loco diximus. Hinc tanta canum sagacitas, quâ leporis vestigia sectantur: hinc secretus ille amor sepe exoritur, de quo vir eximius Chambræus, & gratae posterioris memoriæ dignus, tractatum edidit ad eum elegantem, ut nihil supra. Hinc etiam morbi innumerabiles ex halitu venenato propagantur; quod fumus ille quibusdam spiritibus, seu corpusculis

*Quare va
por sursum
elutatur.*

mortiferis, tamquam morborum seminariis inficiatur, quibus tota sanguinis massa facile corruptur. Cum è succis mineralibus illi efflantur fumi, majorem edunt stragem. Vnde venenatus aer è subterraneis locis multus exhalari solet; vt in agro Puteolano Avernus lacus fumos emittit sulphureos avibus perniciosos. In eadem ferè regione spelunca est angusta, in quam animalia conjecta omni motu, & sensu privatuntur, donec vicinæ paludi immersa spiritum & vitam recipient. Prope Baías antrum existit, ex quo halitus adeò fervidus erumpit, vt ceram liquefaciat. Sic multis in Campania locis, ex antris subterraneis fumi sulphurei aut bituminosi exhalantur, vel mortiferi, vel salutares. Mons quidam est in Campaniâ, Tritulum vocant, in cuius medio spelunca existit in multis divisa partes, quæ aerem continent adeò fervidum, vt pro sudatorio usurpetur; nam distillationes pituitosas, podagram, atque alios ejusdem generis morbos curat. In Vesuvio foveas excavant eidem vlii destinatas. Sic lacus, atque alia innumera pestilentes halitus expirant; multa enim mortifera in terræ profundo latent. Aer ipse qui pigritia & æternâ nocte torpescit, gravis haurientibus est. Aura illa serotina, quæ magis experientia, quam ratione percipitur, quid aliud esse potest, quam halitus tenuis, in aquæ guttulas modico frigore concretus. Estate quidem minor est, & longè tardius post Solis occasum delabitur, quam vere, vel aurummo: quia estate major est calor, quam vt iste vapor possit in aquam condensari: hieme autem non satis est calor, vt vapor subtili exhalatione permistus sursum efferratur. Flante quoque vento dissipatur; pluvio caelo vix illa aura, vti nec ros decidit. Sub æquinoctia malignior est: nam temperato calore magna vaporum copia evanescit, maximè in locis palustribus, ex quibus perniciosi vapores erumpunt; qui cum corpusculis acrioribus abundant, nihil mirum, si facile subeant capitis poros, dentium doloribus, & humorum distillationibus viam aperiant, ac demum fibras cerebri vellicent. Hinc sanguinem nonnumquam exprimit, somnum arcent, caput fatigant. Verùm in re aperta, & minimè recondita nimis moror.

Iam vt ad propositum propriùs accedam; quid aliud est terra motus, quam halitus inclusus, qui calore dilatatus majorem

*De aura
serotina.*

*Deterre mo-
tu varia sô-
leniza.*

6 DE METEORIS

suo motui locum exigit, & sui vasis latera concurrit. Quo id modo accidat, non excutio; sive, ut ex Archelao explicat Seneca, ventus in concava terrarum delatus, & novo superveniente spiritu densatus, omnes angustias dimoveat; & claustra sua conetur effringere: sic enim evenit ut terra spiritu luctante, & fugam quærente moveatur. Sive, ut placet Aristoteli, exhalatio ab insimo edita, & in quantum potuit clara, cum ultiori locum in quem exeat, non habet, retro fertur, atque in se revolvitur; dumque tixa spiritus reciprocantis jactat obstantia; sive interclusus, sive per angusta elisus est, motum, ac tumultum ciet. Stratonis sententia magis arrider Agricolæ, quod frigidum, & calidum cum vna esse non possint, sed frigidum confluit, vnde vis calida discessit. Quidquid igitur in terra penetralibus calidi latet, frigori cedens abit in angustum, & magno impetu agitur: quia non patitur utriusque natura concordiam, nec in uno moram. Fugiens ergo, & omni modo cupiens excedere, proxima quæque remolitur, & jactat. Hæc sanctè longè sunt probabiliora, quam quæ Anaxagoras, vel Anaximenes de causis terræ motuum commenti sunt: partes terræ ruere, quas aut humor solverit, aut ignis exederit, aut spiritus violentia excusserit. Nam terra humore diluta, vel nimum exsiccata paulatim dissolvitur, nec subito corruit, neque flammæ fremitus terræ comitari solent, & raro magni strepitus eos consequuntur: tametsi cum movetur terra, mugitum aliquando audiri non inficiet, ventis in abdito tumultuantibus. Quod si spiritus nec rimam quidem, per quam effluat inventit, eonglobatus ille furit, & huc, atque illuc circumagit. Sæpe evenit, ut ventus non exiguo tempore è terra hiatibus erumpat, neque vlla ignis scintilla appareat. Non igitur ignis subterraneus; non collecti torrentium impetus, non reconditi lacus, terræ motum procreant; sed interclusus aer, qui cæca sub terrâ spatia latus obtinet; quamdiu non impeditur, placide fluit; cum offenditur, & retinetur, insanit, & moras suas abrumpit. Non enim, ut pulcrè Seneca, ventum tenet vlla compages: indomitæ naturæ potentia liber existit. Fremitus quidem terræ in locis maritimis sunt frequentiores, quod ibi sit vberior vaporum copia. Nonnumquam præ terræ motu mare

*Anaxagoras
opinio refel-
litur.*

intumuit. Fors est ut cum temporis multi halitus e fundo maris erumperent. Postremo, hi motus vere, atque autumno sunt crebrios, quod eo tempore vaporum, atque exhalationum copia sit uberrima, calor itidem moderatus, qui iis attollens plane sufficiat. Quamquam meritò neget Agricola calore Solis terre fremitus excitari; nam Sol magis vapores terrae attrahit quam repellat. Hinc metallarii, cum venas metallicas fundunt, sub ipsis vasibus ampliores fossas effodiunt, ne humor quem e terrae calor ignis attollit, cum metallis permisceatur, sed in depressiora loca dilabatur: nec demum radii solares terrae profunda penetrant, ac spiritum terrae visceribus conclusum potius attrahunt, quam exasperent. Sed jam sentio me longius esse proiectum.

S I M P. Cætera quidem assentior; id vnum vix concessero, Quæ sit probabilius et rea fremituum causa. terram ab aere, vel inclusu halitu tantum concuti, vt montes etiam subsidere, valles assurgere, novas insulas emergere, alias absorberi videamus. Nec conclusus aer tanta strages edere; neque ita coerceri potest, quin facile prorumpat. Præterea, quomodo halitus ille terræ concava subit, an fortasse per patentes meatus? Quid igitur obstat quominus per eadem spiracula revertatur. An potius in ipsis terræ penetralibus spiritus procreatur, cumque nullum habeat exitum, necesse est ut magnas terræ moles disjiciat. Nam ubi crepta est discendi facultas, & vndique obsistitur, tunc

*magno cum murmure montis
Circum claustra fremit.*

Iam cedo quid istum spiritum resolvit; quæ causa illius incendi, nisi ignis subterraneus, ex quo terræ fremitus proficitur, non ex aere intercluso, cui tantum non licet ut late fusa provincias concuriat, montes atque urbes integras solo æquet. Hinc nusquam frequentiores sunt terræ motus, quam in locis quæ thermis, vel balneis tepent, ut in Campaniâ & Siciliâ, ubi montes sunt ignivomi. Sæpe prius terra tremit quam ignes illos evomit. A quæ puto rurum ante fremitum terræ, sulphureo halitu inficiuntur; quod spiritus illi motores sulphurei sint, ac nitrosi. Quare loca maritima his motibus plurimum sunt obnoxia, quodibet aqua meatus & venas excavare soleat, ac velu-

ti cuniculos agere. Quod si crebriores & apertiores sint meatus, tum spiritus accensus facile exitum sibi parat. Hinc Delos, quod cavis rupibus imposta sit, non tremit. Ægyptus est contra, quod nullos habeat patentes meatus, vix quatitur. Addit Fromundus Flandricas insulas, quæ Terceræ dicuntur, ferè quotannis tremere; tuncque vicinus aer veluti flagrans apparet, quod ignis sit hujus tremoris causa. Sæpe altissimè defossus latet; unde & magnas regiones exagitare, quæ eidem cavernæ centro telluris propiori, atque adeo arctiori, tamquam eidem fornici incumbunt; sive id accidat ob nexum vnius terræ cum alterâ; vel quia halitus sulphureus, per cæcos meatus diffunditur, & instar fulminis discutrit. Quid enim, ut optimè Plinius, aliud est in terrâ tremor, quam in nube tonitruum. Nam mugitum edit hue & illuc discurrentem; atque in terrâ fremitu solet.

Sub pedibus mugire solum, & jnga celsa moveri.

Quod spiritus terræ motor per aspera cavernarum sese verset; eumque ad dura corpora alliditur, tum sonitum edit, ylulatu similiorem quam tonitruj bombo. Iam ignes accensos, per venas subterraneas instar aquarum longius serpere, satis verisimile est. Hinc Petrus Gassendus in vitâ Peireskii, refert eodem tempore incendium in Semo Æthiopum monte, quo Vesuvianum in Campaniâ circa annum 1633. contigisse; ita ut Vesuvius cum Æthnâ, hic cum Syriâ, quæ cum Arabia felice, ista demum cum Semo monte communicet. Sive series quædam incurvatarum rupium canales faciant, sive ipsi ignes in rimas subeuntes, vias sibi aperiant, & canales crecent; nam visi sunt montes eruptione ignium creari, ut Puteolanus, quem modernum vocant, anno 1538. Sic Therasia insula inter Cycladas, circa Senecæ tempora emersit. Nonnumquam terræ motu flumina siccantur, nova succrescunt; quod lapsu terræ, vel meatus obstruantur, vel novi aperiantur. Tempore Vesuviani incendi, litus Neapolitanum aliquantis per resiccatum fuit, ut idem Gassendus commemorat, revomente interim monte absorptas hiatibus aquas, sed admistâ materiâ combustibili ignescentes. Longior sim, si omnes terræmotuum differentias, & effectus velut persequi. Septem illius species Damascenus

mascenus enumerat; diuarum dumtaxat meminit Aristoteles,
pulsus & tremoris, quibus addit Seneca inclinationem.

Cum exhalatio sulphurea & accensa cavernæ fornicem sursum ejaculatur: adeò ut instar arteriæ erigatur, ac subsidat; pulsus est, quo terra succutitur, hunc alii rheœtem, seu effractorem vocant. Cùm autem latera cavernæ, quæ spiritum captivum retinet, alternatim & celeriter vibrantur, tremor est, qui inclinata citè restituit. Sed vbi non ita libratur hinc, atque inde terra, vt suis locis celeriter reddatur; inclinatio est, ædificiis perniciosa: nam parietes, & testa extra fundamenti perpendicularum suspensa collabuntur. In tremore aliquando juga montium videntur concurrere, mox discedere, & quasi arietare, quòd exhalatio fremens viam terræ partem attollat, quæ suo pondere relapsa mox vibratur. Tanta motuum varietas non aliunde oritur, quàm ex diversâ cavernarum conformatione. Spiritus enim magnâ cavernâ inclusus, illius latera concutit & graviorem edit tonum: vbi oblonga, & arcta coërcetur, tum incubentem terram elevat, ac deprimit. Tremor minus nocet, quia spiritus in multas partes distrahitur: sed vbi in unam nititur partem, tum maximum periculum creat. Arietatio raro montes loco movet: tum videtur accidere, cùm terra ex transverso contrariis motibus agitatur. Inclinatio vero est longè periculosior, quando terra in latera nutat navigii mo re. Nisi enim celeriter ex alterâ parte properet motus, qui inclinata restituat, ruina sequitur. Quando ventus per angustos meatus eluctatur, sursum terram movet, quæ vbi solida est, & fortiter resistit, nullum est periculum; secùs si mollis sit, & rara: tum enim novus subinde collis affurgit. Quòd si cavernæ intùs sint ampliores, tum vrbes integræ absorbentur, nullo sui vestigio relicto. Nonnumquam accedit, ut spiritus in vorticem aëris terræ loca commutet, quod ultimo Neronis anno contigisse refert Plinius. Omitto quòd terræ motus plerumque pestes & morbi sequuntur: exhalationes quippe venenatas in terræ abditis latere sciunt, qui in fodinis profundioribus laborant: nam omnes frè phthisi & juvenes moriuntur; neque ultra quatuor horas possunt ibi cominorari, q' in sursum identidem ascendant, & puriorem auram ducant. Verum unde tantæ vi-

*Vnde tanta
vis exhalationi sulphureae.*

res huic exhalationi sulphureæ accedunt, ut montes dejiciat, novas insulas erigat? Numquid ad cuniculos confugiam, quibus propugnacula in sublime abripiuntur, nec incensia modò, sed etiam impositæ rupes excinduntur? eadem profectò, ut mihi videtur, est terræ motuum, & cuniculorum, & fulminum causa, accensa nimis materia, quæ ampliorem exigit locum, & tamdiu fremit, quod soluta & libera, nullis amplius claustris arceatur. Vnde quæso te, tantus in pulvere pyro impetus, nisi quod singula hujus pulveris grana accensa dilatantur? Globum plano impositum, vel levi ictu percute, is tardissimo quidem progredietur motu, sed novos subinde ictus imprime; motus itidem augebitur, ac tandem velocissimus evaderet. Hinc enim, ut alias monuimus, corpora gravia motum suum accelerant, quod novi velocitatis gradus continenter accrescant; sic pueritâ vi per tubos vitreos pisa leviflatu jaculantur, eoque longius, quo longiores sunt tubi; quamdiu enim flatus perseverat, novi ictus accedunt, qui productum augent impetum. Non dissimili ratione tormenta bellica globos bombardes eo fortius explodunt, quo sunt longiora. Neque enim in momento temporis pulvis pyrius accenditur, sed successione quâdam, licet imperceptibili, vnde & flamma reluctanti globo novas subinde plagas inurit. Nec globum modè emittrit, sed & bombardæ fundum concutit: nam ex utraque parte querit exitum. Nitrum quidem instar follis sulphur incendit, atque inflammationem promovet, quam admistus carbo remoratur, ne citius quam par sit, accendatur. Quare in majoribus tormentis major itidem carbonum portio admiscetur. Huc adde ignem sese in orbem dilatare, ut videre est in bullis quas in aquâ, lacte, & aliis viscidis liquoribus conclusus ignis effingit. Cum igitur pulvis pyrius incenditur, innumerabiles ejusmodi bullæ repente formantur; singularum quidem impetus merito contemni potest, at simul juncta vel solidiora effingunt corpora. Nam ut scitè monet nobilissimus juxta & doctissimus Dibæus, solida quæque citius franguntur, si repentino impetu, tempisque cedendi minime permittente, verberentur. Vis itaque illa pulveris incensi in multitudine ignitarum partium, & motus celeritate consistit.

Quamquam veteror ne nimius in hoc genere videar, dicam tamen ignem illum subterraneum esse & tricem esse causam non modò terræ motuum, sed omnium ferè quæ in terrâ gignuntur. Imò, si credimus Agricolæ, vapores, fumi, atque exhalariones non à Solis calore, sed ab igne, quo terræ ardentes viscera, evenuntur. Neque enim radii solares ultra decein pedum altitudinem penetrant; neque hinc omnes venti, iimbres, atque alia meteora proficiunt possunt. An mediâ hieme calor Solis tantam vaporum copiam attollit? Non tamen is sum qui putem Solis radios vapores, atque halitus Meteoris gignendis, non resolvere; cùm vere, & autumno copiosior imber decidat, quod tum temporis multos vapores Sol evenhat, quos temperatus calor dissipare non potest. Imò tot nebulae e locis humidiорibus sublatae; ros matutinus; perennes pluviae, quæ cùm Sol æquinoctia obtinet, in zonâ torridâ uberrimæ delabuntur, non aliunde quam à Solis calore oriuntur. An ubique ignis subterraneus later? habent hæc sanc & bene longam, & satis litigiosam disputationem. Quid enim? Sol quidem è summâ tellure multos halitus effert, longè tamen plures ignis subterraneus attollat necesse est. Hinc cùm repente mare intumescit, ac mediâ hieme crassi vapores subito attolluntur, vel in zonis frigidis copiosus imber decidit; probabilius existimo calorem subterraneum esse horum causam principem, quam Solem ipsum, cuius lumen tam alè non pervadit. Neque tamen omnino accedo Morini sententiæ, quâ terra, vti aërem in tres regiones dispartitur; prima alternis friget & calet; hieme calida, estate frigidior, usque ad 400. hexapedas, vel orgyias patet: hanc excipit secunda regio, quam semper fervore ipse expertus est in fodinis Hungaricis. Tertiā centro mundi proximam jugi frigore algere conicit; quemadmodum media aëris regio perpetuò frigida est, ac suprema & cælo finitima semper calet. Sed de his nihil certi constare potest. Imò ignem in centro terræ accensum existere, quo damnati torqueantur, longè est verissimum. Quod verò putat medianam telluris regionem à radiis solaribus eò reflexis, calorem suum mutuari; nescio an cuiquam persuadeat? An tanta profunditas corporis opacissimi radii solaribus pervia esse poterit? Vix calor à Sole productus

*Descrip-
tio terri dæ-
visione.*

ultra decem pedum altitudinem diffunditur, & radii in rectas lineas porrecti tam altè pervadent: Sed fumi, inquit, & exhalationes è terræ penetralibus evehuntur, quanto magis radii luminosi longè subtiliores terram porosam, & foraminulis vndique perviam irreflexi subibunt? Est dissimile totum. Nam fumus per anfractuosos meatus paulatim se se insinuat; nec mirum si tantas perrumpat moles; non item radius Solis, qui restitudinem suam pertinaciter tuerit, atque ex occursu opaci corporis statione resilit. Non ibo tamen inficias medium terræ regionem jugi æstu fervere: adeò ut qui in fodinis laborant, vel in mediis aquis nudi anhelent. Iam vnde ille calor? non certè à radiis solaribus, sed ab igne subterraneo dimanat, vel saltem à spiritibus, quos venæ sulphuris, bituminis, aut vitrioli jugiter exhalant. Sed de his jam nimis. Nam quæ perspicua sunt, longa esse non debent. Nunc prolixorem de fentium, & thermarum origine, maris salsedine, atque æstu reciproco disputationem ingrediamur.



CAPUT SECUNDVM.

De fontium & thermarum origine, Oceani æstu,
& maris salsedine.

- I. *Fontium originem ex calore subterraneo potissimum duci.*
II. *De qualitatibus, effectis, & examine thermarum, nec non de variis aquarum tum simplicium, tum medicatarum differentiis agitur.* III. *De æstu maris reciproco diversè expenduntur sententie, & probabiles conjectura adferuntur.*
IV. *De maris salsedine quid nobis videatur, brevissime proponitur.*

THEOPHILVS.

*De calore
subterraneo.*

ET ATEOR equidem cum Empedocle ignes multis locis terrâ opertos tegi, quibus aquæ præterfluentes incalcent; atque hinc thermarum originem deduci non inficio. Neque enim iis possum accedere, qui aquas allisione ad rupes subterraneas, vel vehementi motu

tantum caloris contrahere; vel istum fervorem à radiis solari-
bus profici sci arbitrantur. Radii solares, vt jam subinde dixi-
mus, non eò vsque penetrant; neque agitatio vlla intensum
calorem aquæ impertitur: cùm in locis subterraneis, teste A-
gricolâ, frigidas aquas præcipites ruere experiantur metallarii.
Quid igitur rellat, nisi vt ille calor ex igne subterraneo di-
manet? Verùm, inquiunt, nihil necesse est, ignem accensum in
terræ penetralibus conclusum fingere; cùm satis sit ibi cæ-
cum, & potentiale ignem, qualis in sulphure, & bitumine
plurimus inest, agnoscere: nam omnes fermè aquæ repentes,
sulphur, aut bitumen redolent. Sed tamen nec bitumen, nec *solutio-*
sulphur, neque alia substantia, si calcem exceperis, potentia
solùm calida, etiamsi vitriolo, halinitro, aliisque hujusmodi
mineralibus turgescat, aquam trajectam calefacit.

M E N. Age nunc, dic nobis quod illius ignis subterranei
juge pabulum esse possit, vnde tantus scateat sulphuris aut bi-
tuminis proventus, vbi potissimum æterni illi ignes ardent: an
ipsis canalibus, & terræ venis, vnà cum aquâ præterlabente
continentur? Mirum si aqua eos non possit extingue. An ex-
trinsecus tantum venas & receptacula aquarum calefaciunt?
Quid igitur est causæ, cur illos canales tandem non disrup-
pant?

T H. Quòd si, vt convenire debet inter nos, calidi fontes, *resp.*
& balnea sulphur aut bitumen plerumque sapient, atque in
locis flammivomis thermæ sint frequentiores; dubitari mini-
mè potest, vel subiecto, vel circumposito, vel demum con-
cluso igne aquas fervescere. Nihil horum omnium absurdum
erit, quodcumque statuerimus. Nam & bitumen accensum
aqua non extinguit; in agro Parmensi thermarum aqua, quòd
bitumine & naphtâ abundet, ignem vltro ad se rapit, nec fa-
cile extinguitur. Cùm fontes calidi bituminis, vel sulphuris
odore imbuuntur, haud dubium est quin hæc ignis pabula cum
aquâ labantur. Quòd si nullum aquæ odorem spirent, per va-
rios anfractus ac macandros ductæ, extrinseco dumtaxat & cir-
cumjecto igne incalescent; qui quidem calor diutius durat.
Nec canales per quos aqua dilabitur, disrumpit: fors enim est
vt eorum materia adversus ignem sit contumacior, vel aquæ

*Aliæ ob-
jectiones.*

frigus ignis calorem retundat. Quarum unde tanta sulphuris, aut bituminis copia? Novum fortasse sibi alimentum ignis continenter rapit; aut potius novum semper gignitur. Nam & carbones fossiles, & metalla ipsa post aliquot annorum volumina reparari novimus. Profecto rem ita se habere testantur montes, qui flammam eructant; nec tamdiu ignis perseveraret, nisi novum subinde alimentum ad se traheret. Negant circa ignem actualem (ut loquuntur) aquas fervescere. Sed calcem aquâ perfusam incalescere, fugit neminem. Oleum tartari aquae stygiae infusum; butyrum antimonii frigidâ asperfum, ebulliunt: cur non simile quiddam in thermis possit contingere? Si Cardano credimus, ex sulphure, bitumine, & calce fit quedam mistura, quæ sputo accenditur.

De fontium origine varijs sensib[us]. S I M P. Est ita ut dicas: nec thermarum modò, sed etiam omnium ferè fontium origo, ex illo subterraneo calore ducitur. Quid enim aquam è terræ penetralibus, in illius superficiem, vel in montium cacumina possit attollere, quam calor subterraneus, de quo tam multa diximus? Non equidem dubito quin fontes, qui ad radices montium scaturiunt, ex collectis pluviarum, vel nivium aquis per tubulos, & rimas dilabentibus plerumque oriuntur; si maximè quos aestate exsiccati videmus: sed alii sunt innumerabiles, qui & continenter fluunt, atque in montium jugis scatent, quos solus calor illuc evexit. Hinc metallarii ultra fontium capita, nihil quam terram humidam, vel rupes rore madidas offendunt; adhò ut post longos & tortuosos anfractus, aquarum guttulae sensim colligantur, ut pleniore venâ fluant. Nihil igitur necesse est ad vim terræ emulgentem, & attractricem configere; vel cælestes influxus, cum Connibricensibus obtendere; vel cum Bodino aquam maris longè terræ altiorem fingere, quæ idcirco ad suæ originis altitudinem contendat: vel cum Vallesio ad æstus maris recurrere. Multò minus credibile est aquam elidi à terra comprimente, ut Scaliger autumat. Quid enim minus verisimile dici potest, quam astra vi quâdam occultâ hic potius quam alibi aquas attollere? Virtus quoque illa magnetica, & quasi suatoria, si quæ sit, eadem vbiique existit. Nec concedimus Bodino, aquam maris esse terræ superficie elatiorem; ne

dum montium juga exæquabit, cùm ipsis litoribus sit humilior. Non clam me est, *omnia flumina intrare in mare*, vt clamat Ecclesiastes, & *mare non redundare s; ad eum locum, unde ex eunt reversi*, ut iterum fluant, hòcque Spiritus sancti oraculum principii loco nobis statuendum est. An fortè aqua maris in vapores extenuata colligitur in pluvias, ex quibus omnium fontium origo repetitur? Vnde ergo fontes qui in rupibus, & in ipsis montium jugis continenter fluunt? Nulla est pluvia tam magna, inquit Seneca, quæ terram ultra decem pedes in altitudinem madefaciat: omnis humor intra primam crustam consumitur, nec in inferiora descendit. Quidam pluvii è saxis & rupibus toto anno fluunt, quos pluviae, atque imbræ non implent. Quocirca si flumina è mari excunt, necesse est id per venas subterraneas, longo quidem circuitu perfici: sunt enim duo velut omnium fontium & fluminum capita; pluviae deorsum delabentes; atque aqua in terræ penetralibus restagnans; quæ in locis etiam siccissimis, vel ultra quingentas orgyias occurrit, & vi caloris subterranei, per laxiores venas, vaporis specie sursum effertur, & quasi in aëmbici capite concrescit: hinc Jacob benedixit Ioseph, *Benedictionibus caeli desuper* (propter pluvias quas opportuno tempore effundit,) & *benedictionibus abyssi jacantis deorsum*. Non igitur vt optimè colligit Seneca, pluvialis aqua vastissima flumina à fonte statim magnis apta navigiis replet, cùm per hinternem æstatemque par sit à capite dejectus. Pluvia potest facere torrentem, non potest aurem fluvium æquali inter suas ripas tenore labentem. Nec difficile erit ipsum Aristotelem in hanc sententiam trahere: quod enim aëra terræ visceribus contentum in aquam densari putat; id fortè non de ipso aëre, qui tot fontium latibus non sufficeret, sed de vapore intelligi par est. Vapores autem vi caloris, quo media telluris regio semper æstuat, sublati per terræ meatus, facile condescendunt: cùm per ipsum aërem liquidum & semper mobilem usque ad nubes efferantur. Si quidem in terrâ meatus angusti sunt, qui sursum eluctantes halitus melius sustinent, nec relabi sinunt. Vbi in summâ tellure præ frigore densantur, fontes aperiunt. Ne illud quidem Aristoteli concedam, aërem in aquam & vicissim aquam in

aërem faceſſere. Omnia, inquit Seneca, elementorum alterni recursus ſunt. Quidquid alteri perit, in alterum transit, & natura partes suas velut in ponderibus conſtitutas examinat, ne portionum æquitate turbatā, mundus præponderet. Hæc quidem magnificè dicuntur; ſed nego elementa in ſe invicem commeare, id jam aliaſ falſum eſſe concludimus. Quātū igi-
tur proclivius eſt apertos ſub terrā meatus agnoscere, per quos mare tantum reddat, quantum illi fluminum illapsu accedit: ita ut aqua in terræ venis, non aliter ac ſanguis in corpore noſtro jugiter fluat & refluat; nihil enim deficit quod in ſe redit. Miramur, inquit Stoicæ Philosophiæ princeps, quod accessio-
nem fluminum maria non ſentiant: æquè mirandum eſt, quod detrimenta excurrentium aqua non ſentit. Occulto enim itine-
re ſubit terras, & palam venit, ſecretò revertitur; colatürque in transiſtu mare, quod per multiplices anfractus terrarum ver-
beratum, amaritudinem ponit.

M E N. His equideim vehementer affentior, quod rationi, ac principiis noſtriſ conſentanea prorsus videantur. Cūm enī partes aquæ ſint flexiles & lubricæ, non agrè in vapores ex-
plicantur, & ſubeunt anguſtissimos terræ meatus. Contra ſaliſ particulae rigidæ cūm ſint & durae, in altum evehi, vel terræ poros transire non poſſunt; nam proprio pondere relabuntur. Itaque particulae ex quibus aqua conſtat, vehementius vi ca-
loris motæ, atque ab invicem diſjunctæ, uſque ad montium juga conſcendunt. Vnde aquileges qui aquarium latices ſcrutantur, ante Solis exortum obſervant, an tenuis vapor e terra aſſurgat. Cūm enim oculis terram radentibus, tremulos vapores, vel nebulam incumbentem conſpexerint, ibi fontem delirescere non dubitant. Alia ſunt latentis venæ argumenta, quæ Vitruvius perſtrigit, lana defoſſa, vel linteum noctu extenſum manè factum madidius; ros yberior; tuſſilago, & aliæ luxurianteſ herbæ, quæ loca humidiora amant: maximè ſi earum viror magis in nigrum colorem degeneret, ſolum mi-
nus firmum ac ſtabile; vel tenue murmur, quod aure propiis admotâ percipitur. De aquarium origine haſtenus. Nunc de fontium miraculiſ nihil attinet dicere; pleraque enim ſunt va-
nitatis plena.

*Quæ ſunt la-
tentis aqua
indicia.*

Novimus

Novimus quosdam fontes æstu reciproco agitari, quòd cum mari per occultos meatus communicent. Alii citra vilm ordinem æstuant, vt in Sabaudia nonnulli: quòd nunc major, nunc minor vaporum copia sursum evehatur. Interim puteorum aqua, vel fontium salsa invenitur; sive aqua maris per patientes rimas subeat; nec rigidas salis particulæ exuat; seu potius salis mineræ delitescant, quas præterfluens aqua exsoluit. Hinc omnium fontium qui medicari vocantur, vna est origo; succis quippe mineralibus aqua præterlabens imbuitur. Solent verò aquæ medicatæ vel qualitatibus, vel effectis dignosciri. Aluminis, sulphuris, vel lapidis calcarii admistio colore lacteo aquas inficit; bitumen subnigras, & ærugineas præbet: ex ferro rubiginem contrahunt, sapor etiam, & odor alieni corporis mictionem produnt. Aluminosæ adstringunt, dentes obtundunt, & congelant; nitrosæ amarum saporem præ se ferunt. Atramentum futorium, seu vitriolum aquas nigro colore tingit, atque iis saporem acriorem communicat. Multis in locis acidæ inueniuntur, vt in Bohemiâ prope aquas Carolinas, quæ ebulliunt, nec calent tamen, hinc stultæ & furiosæ vocitantur, fors est vt hanc aciditatem ex vitriolo mutuentur. Quamquam Cæsalpinus existimet acidulas, quales sunt Aretii, ex subtilissimâ bituminis substâtiâ hunc saporem trahere; quòd in alveo lapides inveniantur bituminosi: nihilominus tamen bitumen instar olei aquæ solet innatare. Hinc fontes petrolei ex subtilissimâ bituminis portione scaturiunt. Mirum sane, quòd cùm eadem ferè sit sulphuris & bituminis natura, numquam tamen sulphur, specie olei aquis medicatis superfusum extat. An fortè sulphuri multum inest salis volatilis, bitumen verò sale fixo abundat; quare illud in oleum non distillatur, sed concrescit in flores. Bituminis verò sal in fundo fixum remanet, purissima pars in oleum abit. Hoc etiam discriminis inter aquam simplicem & medicatam intercedit, quòd illa sit pura, perspicua, levis, subtilis, nullo colore tincta, nullum odorem spiret, nullum saporem præferat. Contrà aquæ medicatæ plerumque sunt graves, nec omnis sapris expertes, maxime, cum salibus imprægnantur; multum fœtent, si bituminis vel sulphure infiantur: crassiores sunt quæ salium aliqui gene-

*De fontibus
medicariis.
quibus medi-
cariis disser-
mantur.*

*Cur sulphur
instar bime-
minis aquis
non innata.*

C

ra recepero, quām quā succos combustibiles admiserunt; sed hæ plerumque fervent, & thermarum vel balneariorum nomine insigniuntur. Sæpe evenit, vt aquæ medicatæ non sint aquis simplicibus graviores, nec distillatæ vllum exhibeant minera-
le, ex quo virtus earum dimanet; limus aliquando restat di-
stillatione peracta, sed omnis virtutis expers. Quare probabi-
le est, tantas vires non in mineralium corporibus, sed in spi-
ritu volatili esse constitutas. Hinc vbi aquæ diutius Soli expo-
De thermis. nuntur, virtus earum plerumque evanescit. Aquæ omnes ar-
dentes, vt jam diximus, ex sulphure, & bitumine prodeunt: nam
ignis subterraneus quamdiu terræ visceribus intercluditur,
flammatum non concipit; quod flamma perseverare diu non
possit, nisi libero fruatur aëre, vt fumos expellat, & quod ma-
xime affectat, dilatetur. Sed vbi liberum natus est aërem, spe-
ciem flammæ præber. Refert Agricola quemdam esse lacum
in Germaniâ, cujus aqua piscatorum retia incendit. Est alius
in Thuringiâ, in quem conjectus lapis instar teli ardantis dela-
bitur. Proculdubio bituminosus ignis in istis aquis occultus
jacet. Nonnunquam venenata exhalatio aquas inquinat, vt
accidit in lacu quodam, cuius idem meminit Agricola', qui
septimo quoque anno pisces enecat. Quæ succum lapidificum
vehunt, vix ab aquis simplicibus discernuntur, & tamen gra-
vissimos morbos, vel mortem ipsam solent inducere, nam vi-

Qui sunt aquæ medicatæ effectus. scerum meatus occludunt, vel calculum ingenerant. Cùm au-
tem crustam lapideam corporibus hærentem deponant, digno-
sci facillimè possunt. Ex effectis vero, aquæ medicatæ plerum-
que discernuntur. Acetosæ vrinam movent, sudores exci-
tant, vermes necant, sanguinis grumos resolvunt, putredini
resistunt: hinc febricitantibus præscribuntur. Quæ succis con-
gelatis, vel salmis imbuuntur, cædem ferè calefaciunt & exsic-
cant. Hinc calido, & igneo temperamento nocent, frigidum
& humidum juvant. Salsæ alvum turbant, superfluum edu-
cunt phlegma, congelatum expellunt sanguinem, maciem in-
ducunt: sed cautio est ne consumptâ pituitâ ventriculum, &
intestina exedant, scabiem & pruritus ingenerent. Negare vi-
detur Hippocrates aquam saltam alvum solvere, cùm potius
adstringat. Vtrumque tamen fieri potest, vt salidulæ ventri-

sanguideæ.

culum abstergant, & noxios humores disturbent, quibus expulsi alvus exsiccata, & adstricta remaneat. Extrinsecus adhibitæ nervos resolutos firmant, scabiem curant, neque hydropticis sunt inutiles. Vapor ipse ebullientis aquæ capitis gravedinem dissipat. Aquæ nitrosæ eadem præstant, sed efficacius, abstergunt magis quam adstringant. Hinc alvum solvunt, scabiem sanant, & præ tenuitate suâ vrinam promovent, arenulam extrudunt. Aluminosæ multum adstringunt, & corroborant. Hinc sanguinis fistunt profluvia, vesicæ & renum ulceribus medentur, abortus mulierum inhibent; humidiorem alvum exsiccant, oris ulcera, & gingivarum tumores sanant. Extrinsecus verò, & balneorum loco usurpatæ exteriora curant ulcera; nervos resolutos confirmant; erumpentes fistunt sanguinem; copiosiorem arcent sudorem: vnde iis qui febri sunt obnoxii plerumque nocent. Atramentosæ vehementer adstringunt, cumque sint acriores, viscera exedunt: tuctiores sunt, si extrinsecus usurpentur; nam ulcera maligna & corrosiva sanant. Quæ æris fodinas præterfluunt, iisdem ferè virtutibus donantur. Quæ auri pigmento, vel sändarachâ tinguntur, viam acerrimam & maximè stipticam contrahunt. Quæ ferri mineras alluunt, ventriculum firmant, obstrunctiones lienis, & hepatis recludunt, colicos dolores sedant; aenulas expellunt; exulceratas vesicæ, & morbo articulare salubrares habentur. Sulphureæ superfluas humiditates exsiccant, ventriculum solvunt; sed balneorum usus tutior existit; nervos enim exsiccatos emollit, dolores mitigat; articularem inornbum, scabiem, vitiliginem, seu maculas cuti inspersas curat. Intus potæ, hepatis, ventriculi, & lienis dolores sanant, tumores resolvunt. Balnea ex bituminosis aquis parata, neruis frigore penè enectis, vel exsiccatis profundunt; sed caput tentant, oculis nocent. Quæ argenti, plumbi, vel stibii fodinas proluunt, minus salubres censentur: nam viscera multo humore compleant. Quæ cum hydrargo inscentur, caput multâ puitâ gravant. Nonnulli fontes alumine & sale temperantur, si sal abundet, ventrem conturbant, intestina non exedunt, siquidem alumen salis vires inhibet. Idem esto judicium de ceteris aquis cum diversis mineralibus permisisti. Quamob-

*Atramentosæ.**fæ.**Aluminosæ.**Aluminosæ.**Metallica.**Sulphureæ.**Exbitumino-**nosa.*

rem quid in uno fonte medicato dominetur ex effectibus recte conjicimus. Vnum vel alterum exemplum proferamus: quasdam reperiri aquas quae vini saporem præferant, multi testantur. Cæsalpinus eas esse bituminosas arbitratur, quod bitumen spirituosa effet substantiam, spiritui vini non dissimilem. Fontem esse in Æthiopiam qui colore vinum rubrum referat, & furiosos efficiat, nonnulli perhibent. Haud dubie hoc aquarum genus bitumine quoque inficitur: nam illius vapor cerebro est infensissimus. Scribit Plinius Albulae aquas in agro Romano vulnera sanare, ratio obscura non est, multo alumine & sulphure abundat; hinc color laetus. Aquæ Ciceronianæ in Campaniam oculis erant salutares, quod æris mineralis præterfluerent. Alias commemorat quæ sterilitati medebantur, vel insaniæ liberabant; utræque nitrosæ fuere. Quæ partum retinebant, vel cutem vellicabant, cum tamen nervis, stomacho & toti corpori forent salutares, aluminosæ fuerunt; acerosæ erant, quæ quartanam & calculum eurabant. Atramentosæ, quæ equos, atque alia animalia atro colore tingebant. Habetis de fontibus medicatis quid sentiam. Per pauca mihi restant de variis aquarum differentiis. Est nonne mo qui thermatum originem ex sale quodam, quem hermeticum vocitat, deducit; atque aquam hoc sale prægnantem cum sulphure permistam incalescere existimat, idque ex resolutione ejusmodi aquarum se comperisse ait. Fortè hic sal nitrosus est, ut suo loco dicemus. Ignis verò particulæ in sale coërcitæ, vbi humore diluuntur, quasi solutæ erumpunt, & vna secum humorin in vaporem resolutum abripiunt. Ut evenit in lino vel feno madido, vbi erumpentes ignis atomi incalescunt, idem in calce aquâ perfusa, vel in misturâ tartari cum vitrioli spiritu videre est.

*Varia a-
quarum dif-
farentia.*

Quo purior est aqua, eo quoque est salubrior; levitate & perspicuitate eam dijudicari jam diximus; eamdem quoque citò effervescere, ac pristino frigori restitui palam est: paululum illius aquæ multum vini diluit; nec gelida sit, nec tepida: hæc enim ut plurimum est medicata, non simplex; vel sane quidam ab ignis violentiâ passa est. Gelidior verò gravis est, cruditate suâ officit, flatus generat; diutiùs quam par sit, moratur

in visceribus, ibi putreficit atque morbos innumerabiles procreat. Postremò, non conimodum est alimenti vehiculum, nec facile egeritur: quare illius cruditas est coctione minuenda. E faxis, & montium verticibus plerumque frigidiores manant, lulentæ verd & cænosæ aquæ, quibus terra vel arena mollior substernitur, viscera obstruunt, febres intermittentes procreant: nam humores ventilatione prohibitâ brevi putreficiunt. Quocirca hujusmodi aquæ crebrè ex uno vase in alterum sunt transferendæ, ut crassiores deponant limum. Merito laudat Hippocrates eos fontes qui Orientem spectant; crudiores sunt qui ad Septentrionem obvertuntur. Aqua pluvialis, cùm levis sit & perspicua, atque ipsius naturæ artificio jam distillata, omnibus videtur anteponenda: nisi forte terrenis exhalationibus inquinetur. Hinc cisternarum aquæ nisi cessarent, optimæ judicarentur. Paludes & lacus aquam præbent minimè salutarem; nam partes subtiliores Sol evehit, crassiores remanent. Hinc viscera obstruunt, & morborum iliades procreant. Cùm jecur, vel emulgentes venas occludunt, hydrozem; vbi venas quæ alimentum perforant, maciem inducunt. Si lienem indurant; adeò vt atram bilem non valeat amplius atrahere, quot morbi inde succrescunt? hinc quartana & alia febres oriuntur; hinc mania, vbi atra bilis sublata cerebrum petit; quæ cùm ad ima delabitur, hæmorrhoides suæ acrimoniam, & varices, seu tumentes venas suæ impuritate efficit. Aqua fontana quæ liberiore fructu calo, longè salubrior est, quam putealis; istam enim numquam aura liberior verberat. Hæc tamen eo minùs nocet, quo sàpius extrahitur: aqua enim hoc pejor, quo segnior.

Iam non explico quibus artibus aquæ explorentur. Saxorum aut venarum inspicienda natura est; quid in fundo castellorum subsidat, quid concrescat in fistulis considerandum: leni calore sunt excoquendæ: vel potius astivo Soli exponendæ: Sol quippe quicquid salis, vel nitri, vel aluminis inest, condensat; quod sulphureum latet, illustrius reddit. Nec facilè per distillationem mistio deprehenditur; tenuis enim substantia vna cum humore aqueo evolat: sed cùm radiis solaribus exsiccatur aqua, tum partes tenuiores vario colore se produnt; cras-

De aquarū examine.

stores verò ignis subjiciuntur examini: quod enim aquæ depo-
nunt, certam mistionem indicat. Verum hæc prætereo, ne in-
re notâ & pervulgatâ multis, & insolens sim. Sed neque id sus-
cepit, vt omnium quæ circa fontium & fluminum naturas ob-
servantur, rationes aperiāt. Quis enim explicare possit, cur
flumen illud Syriæ, cuius meminit Iosephus, septimo quoque
die cessaret; vnde & Sabbatum à Iudeis dictum fuit? Cur
fontes quidam senis horis pleni, senisque siccii appareant? Hunc
quidem nodum solvit Seneca more suo, hoc est, gravissimis
sententis, & verbis illustribus. Quernadmodum, inquit, quar-
tana ad horam venit; quemadmodum podagra ad tempus re-
spondet: quemadmodum præsto est ad mensē suum partus:
sic aquæ intervalla habent, quibus se retrahant, & quibus
redeant. Et quid hoc mirum est, cùm videoas ordinem rerum,
& naturam per constituta procedere? Hiems numquam aber-
avit; æstas suo tempore incaluit. Sunt & sub terra minus no-
ta nobis jura naturæ, sed non minus certa. Crede infra, quic-
quid vides suprà.

T. H. Fateor equidem hæc omnia dicta esse præclarè, ac li-
cer eamdem omnibus ferè naturæ miraculis causam reddere.
Nam vt de æstu maris reciproco, qui omnium Philosophorum
mentes adeò exercet, dicere incipiam; nonne eodem penè mo-
do bis de die intumescit mare, ac videmus febres per certa in-
tervalla recurrere. Quæcumque sit illa causa, tum febris, tum
æstus maris; utriusque certè similes sunt paroxysmi, sive ex
accenso fomite, seu ex fermentatione quâdam orientur. Om-
nis enim fermentatio spiritu, & sale perficitur. Iam alio loco,
optime Simplici, exundationem Nili ex hac causâ duxisti, se-
curus illustris Archiatri sententiam. Quid igitur, eidem causæ
similem effectum non reddemus? Ægyptii ex limi nitro si pon-
dere quanta futura sit Nili inundatio præagiunt. Quantum ve-
rò crevit Nilus, tantum spei in annum est (vt loquitur Stoicus
noster.) Is arenoso & stienti solo, & aquam inducit, & ter-
ram: illato enim limo arenas saturat, ac jungit. Nusquam ali-
bi vberior nitri copia reperitur; nec quicquam feracius est ni-
tro, in quo, vt placet chymicis, spiritus terræ vitalis delitescit.
Verum de Nili incremento nihil pugno: atquo vlt̄ commu-

ni sententiae accedo, Nilum circa 27. Junii intumescere ex nivibus, quas Sol in Atlantis jugis liquefecit, vbi ad principium Cancri pervenit. Sic fluvius Niger, qui inter æquatorem & tropicum Cancri sese in Oceanum exonerat, iisdem de causis, atque eodem tempore exundat. Accedunt etiam imbres, qui circa Nili fontes, prope Lunæ montem, ultra tropicum Capricorni copiosissimi decidunt, cum Sol in Ariete, TAURO, & Geminis commoratur; neque illæ ex imbribus aquæ, quas Nilus volvit, tanta locorum spacia emetiri queunt, nisi post longa temporum intervalla. Nam duo lacus, ex quibus originem suam Nilus dicit, quos vocant Zatham, & Zemrat, ab ostiis ejus fluminis ferè 4000. milliaribus distant; ex altitudine vero incrementi, futura terræ fecunditas portenditur, quod multum limi, & nitri longo decursu secum trahat. Si ultra 20. pedes non assurgat, argumentum erit magnæ sterilitatis: quod si ad 22. aut 23. pervenerit, non mediocris futura est fertilitas: sed si usque ad 24. intumescat, furoram pestem conjiciunt, quod restagnans aqua corrumpat aërem. Quadraginta diebus crescit, totidemque decrescit: sed nimis secus evado. Redeo igitur ad æstum maris. Illum adeò ex quâdam fermentatione oriri mihi persuadeo: sed unde illud fermentum? an quod accessu Lunæ multo spiritu mare turgescat, quo consumptio detumescit? Iste vero spiritus excitatur, cum Luna circulum meridianum attigit, vbi directis radiis mare verberat. An potius ad subterraneos ignes iterum configiemus: adeò ut bitumen accensum, ut falsedinem, sic motum mari imprimat? Verum æstus maris constantiores causas exigit, nec suspendi potest à spiritu, vel incendio, quorum causæ adeò sunt instabiles & lubricæ. Qui fieri potest ut terrestris halitus tantas aquarum molles attollat? nec vapores de sub aquâ evehuntur, sine magno navium discrimine. Quid ergo futurum, cum pleno agmine totum mare exagitant? quantum incendium requiritur, ut Oceanus exstuet? an fortè rarefacit mare, cum tumet? Non poterit ergo naves onerarias sustinere, vel certè multò altius quam antè deprimuntur. Quis concipiat tantam spirituum copiam tam citè consumi? quid aquas poterit rarefacere, nisi calor? Quantò igitur major æstus futurus est in zonâ torridâ, quam

*De aestu
maris reci-
proco diver-
sa opiniones.*

1. opinio,

2.

*Refellim-
tur,*

in utrâque temperatâ? atqui nullus ferè percipitur sub aquatore: quinetiam Sol potius quàm Luna æstuum causa existet: nam illius calor longè est maximus, si cum lunari conferatur. Postremò, cur mare Caspium, cur Mediterraneanum fluxus & refluxus nesciunt? an desunt spiritus motores? an Luna iis non dominatur? Circumscripsit ergo his sententiis, quid verisimile afferri queat, paulò attentius intueamur. Ac primùm illud longè verisimum mihi videtur, Lunam æstus maris temperare: nam simul atque Luna horizontem attigit, paulatim intumescit mare: cùm illa ad meridianum pervenit, tum Oceanus incipit refluxere: donec Lunâ ad occasum vergente, iterum fluat; tandem ubi ad Meridianum Antichthonum descenderit, tum aquas retrahit; ac singulis diebus æstus, vt Luna 48. minuta, seu vnius horæ tardius recurrat. Mirum si æstus reciprocus cum lunari motu adeò sit colligatus, & consertus, nec tamen ab illo, vt effectus à causâ dependeat. Cùm videmus umbras ad motum Solis loca commutare, illas à Sole projici non dubitamus. Cùm igitur fluxus maris Lunæ motum tam religiosè consequatur, quo jure illius effectum esse negabimus? Verùm non facilè occurrit, quâ ratione, quove modo Luna motus maritimos possit moderari. An mare vi quadam magnetica à corpore lunari attollitur? at quantò fortius intumescet inter tropicos, quàm prope utrumque polum: nam illic Luna radiis directis, & consertis mare percutit; quare longè altius aquas attolleret, nec patietur vt versus inundi cardines refluant. Sed tamen contrarium experimur: maximi enim sunt æstus prope polos, minimi inter utrumque tropicum contingunt. Fors est vt ex Lunæ maculis effluvium quoddam corpusculorum in mare defluat, idque ab ortu in occasum protrudat; hoc quidem in principio tardius ascenderet, quod extrario motui magis resistat, sed sensim aucto impetu, motus quoque maris intenditur; donec præ majori resistentiâ tandem languescat, ac per declive mare reflua. Itaque in pleniluniis maiores futuri sunt æstus, quod facies Lunæ telluri obversa, atque à Sole collustrata majorem humoris copiam affundat. In quadraturis vero æstus erunt minimi, quod valde obliquè Sol Lunam, ac Luna terram aspiciat; perparum adeò humoris à Luna

in

in mare defluit. Sed cur majores æstus in noviluniis, quām
cum Luna dimidio orbe lucet? an quod interlunio Sol Lunæ
proximus humorem resolvat vberiorem. Hinc sub æquino-
ctia æstus in pleniluniis, & noviluniis sunt maximi, quod tum
Sol, tum Luna in æquatore versentur; atque adeò Sol fortius
agit in hemisphærium Lunæ nobis obversum. Sed cur sensis ho-
ris mare fluit, atque eodem spatio refluit, constanti & indefa-
tigabili lege? quæ vis in istis corpusculis esse potest, quā Ocea-
ni, non Mediterranei maris aquas attollant? an quod latius pa-
teat Oceanus, & latior aqua facilis agitur? sic pondus quo
longiori funi appenditur, eo plures & majores edit vibratio-
nes. Hæc quideam subtiliter dicuntur ab amico nostro, ac
mare esse veluti inversum funependulum ingeniosè fingit.
Quare ob minorem aquæ latitudinem, tum in lacubus, tum
in mari interno, nullus ferè æstus contingit. Siquidem aqua
facilis in lubrico fluit, & quo latius patet, & profundiore existit,
eo magis agitur. Hinc circa brumale solstitium majores in iis
regionibus sunt æstus maritimæ, quod aquæ sint vberiores.
Non possum tamen animum inducere, ut existimem tam cer-
tum & constantem effectum, à causâ adeò infirmâ & instabili
prodire. Nescio quid illud tenue, quod sentiri nullo modo,
intelligi autem vix potest, ex infinito propè intervallo à corpore
lunari profluens, tam validè, tam æquabili motu totum Ocea-
num cire non potest.

Revertar igitur è unde sum progressus, nihil enim proba-
bilis dici posse arbitror, quām Oceanum præ spiritu nitroso
intumescere: non quidem per rarefactionem: nihilo enim ra-
rior sit aqua; sed per motum localē, novarum aquarum acceſ-
su. Spiritus verò ille à corpore lunati excitatur: unde citius
medium mare, quām extrema, intumescit. Vno tamen atque
eodem tempore ejusdem Oceani diversa litora, quorum vnum
ad ortum, alterum ad occasum dirigitur, allabente æstu pro-
luuntur. Quapropter ut motus omnis animalium à spiritu pro-
ficiuntur; sic verisimile est totum Oceanum à spiritu nitroso,
quem in se recondit, agitari. Cùm partes vniuersi inter se con-
nexæ sint & colligatae, nihil mirum si Luna, quæ in res humi-
das vim suam potissimum exercet, illos spiritus stimulet, at-

Refelli-
tur.

4. opinio.

que æstus maritimos gubernet. Siquidem inferiora à superioribus reguntur. Iam verò quid causæ est cur stagna, fluvii, lacus, internum ipsum mare non fluant ac refluant? An quod angustioribus alveis coëcentur? an portius spiritibus motoribus destituuntur? hinc mare Balthicum minores æstu agitant, quod magnorum fluminum appulsu illius falsèdo retundatur, ac minorem habeat spirituum copiam. Nec omnis humor, sed spirituosus dumtaxat, & turgidus Lunæ accessum sentit, quod majorem cum Lunâ cognitionem habeat. Ostrea quippe & conchylia, ossium & arborum medullæ in pleniluniis turgescunt. Imò ostrea si longissimis terrarum spatiis à mari absint, fluxu Oceani accedente, valvas aperiunt. Quid nisi vis quædam occulta Lunæ hæc admonet, ut hiatu valvarum aquam vitalem hauriant? quidni & Luna mare sollicitabit, atque reciproco æstu commovebit? non aliter ac magnes vasi suppositus, ferri ramenta eidem vasi imposita huc atque illuc mover.

LITER. I. 6.

*Exultare etiam Samothracia ferrea vidi**Et ramenta simul ferri furere intus ahenis**In scaphiis, lapis hic magnes cum subditus esset.*

Hæc, ni fallor, est de fluxu, & refluxu maris, eruditissimi Fromondi tententia; nisi quod, ut falsèdinem, sic æstum bitumini; ego nitro portius, quod natura flabellum à Chymicis vocatur, ac totum spirituosum existit, tribuendum esse putem.

4. *originis
confusione.*

M E N. Iam rua, vide, ne desideretur constantia. Negabas modò aquam maris per æstum rarescere: quid igitur opus est illo spiritu quo turget? quid causæ est cur inter tropicos minores sint æstu, quam versus utrumque mundi cardinem; huc denique omnia redeunt incommoda, quibus aliorum opiniones mox premebas. Et quod caput est, cur senis horis fluit mare, atque eodem tempore relabitur? cur Luna sub horizonte depressa non minus attollit mare, quam cùm vertici nostro imminet? an rursus ad magnetem vasi suppositum, tamquam ad ignorantiaz azylum te referes? mirum si vis Lunæ magneticæ globum telluris penetrat. Expecto ut cum Fromondo novum astrum, quod Antisilenem, seu Antilunam vocat, quodque oppositum semper Lunæ locum occupet, nobis fabrices. Illud quidem fidus sub visum non cadit, sed ex effectibus colligi

posse putat: non enim liquet cur Lunâ sub horizonte depresso,
mare exæstuer, nisi virtute alterius Lunæ iisdem viribus imbu-
ta attollatur. Hoc scilicet opere est, & suavissimè nugari.
Huc arquæ illuc te verses, mi Theophile, numquam veram
huic effectui causam reddes, quoisque terram moveri fatea-
ris. Neque enim aqua naturaliter fluit, nisi per declivia: nec
moveri potest, nisi vase, in quo continetur agitato. Id certè
præter cæteros per pulcrè Galilæus exposuit. Quòd si terra vno
& æquabili motu ab occasu in ortum tenderet, aqua quæ huic
motui non adeò religiose obsequitur, in occasum semper re-
flueret. Vnde qui sub zonâ torridâ navigant, longè celerius ab
Africâ in Americam, seu ab ortu in occasum, quām è contrâ
ab Americâ in Africam promoventur. Verum terra dupli-
motu annuo & diurno circumagit: cùm igitur ambo illi mo-
tus in easdem conspirant partes, neccesse est ut motus ex utro-
que compositus sit multò celerior: idque semel in die vsuvenit;
semel item contrarium accidit, atque ambo tellutis motus in
oppositas partes nituntur: ex dupli illâ inæqualitate Oceanus
quasi concussus & agitatus, bis de die fluit, refluitque. Iam
quis nobis explicet omnia æstu reciproci phænomena: cur
circa polos longè sit maximus, sub æquatore vix possit percipi?
An fortè idem evenit, quod in vase agitato: nam aqua circa
vasis margines altius subsultat, quām in medio: sic maris Medi-
terranei elationes majores sunt Venetiis quām Anconæ. Sed
cur ipsum mare Mediterraneum non vti Oceanus fluit, ac re-
fluit? An quòd fretum Gaditanum angustius sit, quām vt tan-
tam aquæ copiam ab Oceano profluentem possit excipere, illi-
que vicissim reddere? Quid demum est cur æstus maris ad Lunæ
motum alligetur? quare in pleniluniis & interluniis existit ma-
ximus? cur bis vnoquoque die mare æstuat? hac atque alia id
genus innumera Galilæus non expedit: sed Cartesiani hanc
mentibus nostris offusam caliginem facile discutiunt. Terra &
Luna in eodem quasi vortice, v: l' celo continentur, quod spatio
menstruo Luna conficit. Cùm igitur ad meridianum circulum
Luna pervenit, tum æther interjacentis inter duorum corporum,
terræ nimirū & Lunæ angustias, fluit vehementius: cùmque
omnia corporibus sint plena, neque ullum inane admittat na-

D ii

*s. sententia
ex tellure
moni estuus
maris de-
ducit.*

tura; necesse est ut globus telluris de loco suo dimoveatur, atque in oppositam partem aliquantulum cedat: quod sine ullo negotio perficitur, cum sit in æquilibrio constitutus, atque in medio aëre pensilis, instar funependuli, quod minimo momento huc atque illuc impellitur. Quare æther interfusus inter illas angustias rapidius agitur, & subjectum aëra, neconon mare ipsum vehementius premit, idque versus litora attollit. Iam ubi præ terræ motu diurno longius à nobis abscedit Luna, tuncque aëris ex iis angustiis expeditus, maria non amplius premit, aquæ vltro relabuntur. Bis unoquoque die æstus recurrit, quod idem terræ punctum motu diurno ad illas cæli angustias bis de die revertatur; primùm, cum id Lunæ obvertitur; deinde quando ad locum Lunæ oppositum pervenit; quo circa senis horis mare fluit, senis itidem recedit, atque omnibus sub eodem Meridiano constitutis, eodem prorsus momento æstus contingit. Hic porro singulis diebus, vnâ ferè horâ tardius recurrit, quod Luna vigesimam fermè octavam sui orbis partem dietim peragret; unde & vnius horæ tardius ad Meridianum accedit. Cum autem lunare cælum non circularem obtineat figuram, sed ellipticam, vel ovali proximam: ita ut partes Soli obversæ sint angustiores & circa latera laxiores: non mirum si æstus marini majores sint in pleniluniis, vel interluniis, quam in quadratis aspectibus. Siquidem illis majores angustiae majorem quoque aëris pressionem, & maris agitationem efficiunt. Hic contrà cum partes cæli sint latiores, corporis lunaris interiectu, minus aëris comprimitur. Sed cur stagna & lacus, mare Internum, Caspium, Pontus, non æstuent? id vero accidit, quod lacuum superficies sint angustiores, nec corporis lunaris objectu pars vna magis, quam altera prematur: neque etiam aquæ ab Oceano per fretum Gaditanum exundantes Mediterraneum mare replere possunt. His ita constitutis aliò si vobis videtur pergamus.

*Refelli-
tur ultima
opinio.*


S I M P. Nondum confecta res est, neque ad exitum perducta quæstio. Nam videris ea sumere, quæ non concedantur, aut ea quæ etiam concessa, nihil te adjuvant. Profectò telluris motum jam hesternâ disputatione profligatum puto? sed neque ex illâ terræ vertigine æstus maris reciprocus concludi potest;

¶que vnicā demonstratione evincam. A qua vase contenta cum ipso vase vna movetur, nisi fortè vel motus vasis repente sistatur, vel subitò acceleretur; hócque principii loco supponitis. Sed motus terræ est æquabilis: ergo nihil est causæ cur mare singulis diebus bis fluat & recurrat. Audio equidem Galilæum, qui magnopere contendit, terram duplici motu diurno, & annuo cieri, qui quidem motus cùm in easdem conspirant partes, velociorem; cùm in oppositas partes nituntur, motum ex utroque compositum reddunt tardiorē. Optimè quidem. Verū in iisdem protrsus punctis, atque eādem penitus horā æstus maris recurrere oportet, cùm certa sint & fixa loca, in quibus telluris motus velocior contingit, vel tardior. Neque à Lunæ motu æstus reciproci suspenduntur: non enim Luna terræ motum vel accelerat, vel remoratur. At Cartesius Galilæo quasi in subsidium venit: placet illi interjectum aëra à corpore lunari comprimi; Oceanum vero ab aëre attolli existimat. Sed cur ab ipso Sole, atque aliis sideribus maria non utique premuntur? Cùm in eodem hemisphærio totus simul Oceanus exæstuat, profectò motus ille à corporis lunaris compressione non proficiscitur. An fortè Luna simul tam vastam aëris molem sic vrget, vt subiecta maria attollat?

Non equidem inferior, æstum maris vix explicari posse circa aliquem telluris motum; non enim aqua naturaliter fluit, nisi vas, in quo continetur, huc atque illuc agitur; neque hunc motum efficit Luna: quo enim modo, quibus machinis illum perficiat? an fortè ad vim magneticam, & occultam, tamquam ad ignorantiae aram configiemus? Cur Luna sub horizonte delitescens mare attrollit? quare æstuum periodus 15. diebus absolvitur: neque ut vulgo credunt, æstus in pleniluniis, vel interluniis sunt maximi, sed die tertio à novilunio maximi contingunt, qui usque ad decimum cum semisse diem, sensim minuuntur; hinc usque ad 18. crescunt; ac rursus usque ad 25. cum semisse detumescunt: hinc demum usque ad tertium proximæ Lunæ augentur. Non igitur æstuum periodus cum revolutione Lunæ consentit: cùm hæc diebus 29. vel circiter; illa 15. ad summum diebus perficiatur. Quocirca, cùm rem omnē ad ipsius rationis trutinam exigo, multum in Cæsar's Arconsū opinionem

*Probabilis
de aere reci-
proco conve-
nientia.*

propendo, æstum maris à motu quodam insensibili terrestris globi proficisci. Motus quippe Oceanus, si quis alius, est maximè naturalis, cùm sit constans, & æquabilis: aqua vero naturaliter non fluit nisi per declivia. Necesse igitur est ut terra sursum deorsumve moveatur, ut aqua fluere ac relabi possit. Id vero luculentius est explicandum.



Sit mundi centrum A, in quo medium terræ constituamus. Globus ex terrâ & aquâ compactus erit circulus GHG. quod si terræ centrum ibi prorsus staret immobile, nihil foret causæ cur Oceanus GHG, qui terram cingit, moveretur: cùm delabi non possit, nisi ut medium mundi vicinus perat. Centrum itaque terræ hinc inde fertur in L, vel R, seu à Septentrione in Austrum & vicissim. Cùm fuerit in puncto L constitutum, circulus GMG, seu telluris globus partes quasdam altiores, vel à centro mundi remotiores; alias quoque depressores obtinebit. Igitur aqua quæ decliviora querit, per G & L in punctum M delabetur; & vicissim, vbi terra centrum pun-

Cum R occupabit, aqua refluet à puncto S per G & I, in T: centro terræ in L existente, altitudo maris in his regionibus minetur longitudine H N, & tantumdem in altero hemisphærio intumescit, nimirum rectâ SF. Mirum sanè quām pulcrè hæc hypothesis cum experientiâ ipsâ consentiat.

Primum enim, longo observationum vsu compertum est eādem prorsus horā, in eodem hemisphærio aquam maris intumescere. Centro quippe telluris ad R translato, aquæ in nostro hemisphærio attolluntur, ac simul ultra æquatorem minuantur. 2. Æstus sunt maximi circa vtrumque polum. Sic maximus æstus erit NH, cùm A N sit omnium rectarum maxima, vt AM minima. 3. Prope æquatorem GI nullus ferè æstus contingit. Quocumque enim terræ centrum transferatur, puncta G & I à medio mundi A æquis distant intervallis. Vnde mare ibi numquam altius attollitur, vel humilius deprimitur; nullus adeò ibi fluxus aut refluxus. Imò eādem proportione æstus minuantur, quo æquatori loca sunt viciniora. Vnde ad Garumnae ostium vbi polus 45. gradibus elevatur, æstus maximus OP est ferè tertiam partem minor, quām sub vtroque polo. Cūmque OP sit ferme 20. pedum, necesse est lineam NH esse circiter 30. pedum. Adeò vt non amplius quām 30. pedibus centrum terræ à punto A, hinc atque inde, sursum vel deorsum libretur. Hac verò libratio 12. horis absolvitur. Nam senis horis ab L in R, (tūnque æstus contingit) senis itidem horis ab R in L redit, & tum aqua relabitur. Nec mihi illud est miraculo terram à Septentrione in Austrum librari; cùm hoc habeat cum omnibus sideribus commune, qua hoc celerius suas librationes perficiunt, quo terra sunt propiora. Nam minus spatii habent decurrentum. Cùm verò senis horis æstus omnes conficiantur: eodem prorsus tempore recurrerent, nisi terræ centrum 12. minutis in unoquoque sua librationis termino commoraretur: idque unoquoque die quater continet: vnde æstus 48. minutis singulis diebus tardius recurrerit. Tantumdem Luna motu diurno impendit & : vnius hora seculi ad meridianum regreditur. Hinc fatò credidere æstum maris reciprocum à motu Lunæ profici: cùmtamen utriusque periodi omnia in diversa. Nam, vt jam monuimus,

*Æstus marini phæno-
mena.*

1.

2.

3.

aquæ vivæ, seu æstuum incrementa circa decimum Lunæ diem usque ad decimum octavum contingunt: ita ut singulis diebus in elevatione poli 45. graduum, digitis ferè sexdecim, ac versus polum duobus pedibus augeantur. Hinc usque ad 25. diem Lunæ, eadem proportione decrescent, tum aquæ mortuæ vocitantur. Nec difficile est in litoribus quæ alluit Oceanus, ad quam æstus quisque perveniat altitudinem observare. Quocirca æstuum revolutio 15. ad summum diebus perficitur, eaque confecta, centrum terræ 12. viii horæ minutis in medio mundi A conquiescit, priusquam novam ineat periodum. Quo quidem tempore totus Oceanus in æquas distribuitur partes, non aliter ac si terra omnino quiesceret: quemadmodum bis vnoquoque anno dies æquantur noctibus, cum Sol æquinoctiale circulum assequitur. Ut finiam, centrum terræ à medio mundi progressum 7. diebus cum semissile versus Austrum attrahit, tum aquæ Oceani in nostras regiones confluunt, & æstus sensim augmentur: sed sub initium hujus periodi, ac primis subinde diebus centrum terræ non longè à centro mundi excurrit; primo die duobus dumtaxat pedibus ab eo discedit; eadem proportione crescunt æstus, quovsque expletis 7. diebus cum semissile centrum terræ 15. revolutiones versus Austrum, 14. versus Septentrionem perficiat. Tumque aquæ vivæ dicuntur. Has excipiunt aquæ mortuæ eodein temporis intervallo decrescentes, nempe sepm diebus cum semissile, quibus centrum terræ 15. in Boream, 14. in Austrum periodos absolvit. Sic motus ille librationis paulatim senescit, ac minimus tandem evadit. Hæc vera sunt an falsa nihil pugno, sunt certè verisimillima.

M E N. Hic quoque tuam constantiam desidero, jam enim non semel nos monuisti, corpora gravia non in mundi ipsius, sed in terræ centrum niti. Nam quocumque telluris globus transferatur, illius medium gravia petent. Quemadmodum pars à corpore lunari revulsa, non mundi, sed Lunæ centrum affectaret. Quod si ita sit, frustra terram ficticio librationis motu exagitas, vt aquæ quasi suspenſæ, proprio pondere dilabuntur. Illud etiama dñior hunc terræ motum esse naturalem, non ascititum, nec tamen esse continuum, cum in reflexionis

pun-

puncto terra immota consistat, quasi exhaustas vires restauret.
An celestes motus vixquam cessant? Quæ causa novum im-
petum telluri imprimit, cum 12. minutorum spatio con-
quievit?

SIMP. Quasi tabellis obsignatis mecum agis, & quid aliquando dixerim mihi ipsi opponis. Nos, ut scitè Tullius, in diem viuimus, & quodcumque nostros animos probabilitate percussit, id dicimus. Verumtamen nondum mihi satis liquet, an grauia in mundi, vel terræ centrum propendeant. In eam sententiam magis inclinabam, corpora terrestria telluris, non mundi centrum affectare. Verum æstus maris reciprocus in contrarium me retrahit. Vellem equidem terram hinc atque inde, à Septentrione in Austrum librari, nec de loco tamen suo commoueri; vel solum Oceanum ab intelligentiâ quâdam agitari fatendum est. Vetus est opinio terram sursum ac deorsum extra proprium centrum attolli, ac deprimi. Nec satis validis rationibus hæc sententia à Fromondo impugnatur. Negat villam rationem reddi posse, cur fluxus & refluxus maris sint inæquales. Sed causam huic effectui iam reddidimus, nempe æstus esse majores, quo terræ centrum longius à mundi centro discedit. Sed cur hic motus cum Lunæ motu adeò consertus existit? Quod forte eadem causa omnes naturæ motus æquabiles tem perer. Quicquid sit, hæc hypothesis cum experientiâ adeò convenit, vt quicquam probabilius afferri posse planè desperem.

MEN. Vis igitur amici tui sententiam collato pede tueri.

SIMP. Quidni ego velim?

MEN. Ad resistendum igitur te compara. Totum Oceanum objectiones:
simul & eodem tempore à Septentrione in Austrum, ac vicissim, moveri putas. Id vero falsum est: nam & mare Iudicum, & alia bene multa, ab ortu in occasum cententur. Imò eodem æstu, idem mare prope Orcades à Septentrione in Austrum, & juxta Caletum ab Austro in Septentrionem nititur: in medio autem inter utrumque extremum spatio, vix æstus percipitur. Sic mare Britannicum non eodem tempore intumescit: sed longè citius in confiniis Normaniæ & Armoricæ, quam versus Belgium recurrat. Addis quoque, vix ad 20. pedum altitudi-

E

4. nem Oceanum intumescere: contrarium experientia demonstrat. Nam juxta sancti Michaëlis fanum, usque ad 60. pedum altitudinem aestus afflurgunt; haec sane cum vestris principiis non cohaerent. Liber etiam inquirere, cur mare Rubrum, Mediterraneum, vel ipsa flumina hunc librationis motum non sentiant? Fatearis ergo necesse est vel nullam haec tenus aestus reciproci causam allatam fuisse, vel si quae sit, aliam esse non posse, quam eam quae à Galileo & Cartesio tam dilucide exposta, omnium ferè Doctorum consensu recepta est.
5. *Diluantur
règulae.*

S I M P. Necdum de hac opinione, quæ tibi adeò absurdâ videretur, conclamatum est. Quæque objicis, dilui facilimè possunt. Atque ut præpostero ordine respondeam, fluvii instar Oceani aestus non reciprocant, quod prono & declivi alveo fluant, atque in ipsâ origine multò sint altiores, quam cum in mare delabuntur. Quod si ingens aliquis fluvius foret ab uno in alterum polum porrectus, fortè instar Oceani astuaret. At nullus tam latè fuisus invenitur, omnes si unum vel alterum excepéris, eodem hemisphærio continentur: quo circa etiamsi per devexa non fuerent, vix sentirent terræ libratiōnem. Hinc enim, ut ad aliam objectionem veniamus, Mediterraneanum mare aestus suos, ut Oceanus non reciprocet. Nam si pars illius citra, pars altera ultra æquinoctialem lineam excurreret, nonnullos aestus, licet ininvis perceptibiles obtineret: nam parte Australi sursum sublatâ, aquæ in Boream confluerent, & vicissim. Sed res non ita se habet, ac totum illud mare quod Mediterraneanum vocant, cum terra in Austrum attollitur, simul intumescit; illius vero elationes eo sunt majores, quo longius ab æquatore mare discedit. Sic mare Rubrum vix ullos sensibiles aestus obtinet; est enim illius eadem planè, quæ interioris maris ratio. Sed, inquis, Oceanus huic finui finitus, ab ortu in occasum, non à Septentrione in Austrum cieatur. Ratio obscura non est: Oceanus ad litorum, quibus circumscribitur, situs sese accommodat; idem enim hic visuennit, quod in fluminis exundatione. Licet tibi mente concipere Rhodanum vndas suas à Boreâ in Meridiem volvere: sed ubi exundat, ab ortu in occasum diffunditur. Sic Oceanus motus ab uno in alterum polum dirigitur, sed in sinus etiam &

freta exundat; unde accedit ut eodem tempore aestus maris in diversis locis non recurrat. Hinc citius ad sancti Maclovii, vel divi Michaëlis fanum, quam ad Caleti portum pervenit, quod Caletum magis sit in recessu, & longius ab ipso velut Oceanii alveo diffideat. Cum autem mare Britannicum, & Germanicum efficiant duos sinus in eodem velut angulo prope Caletum concurrentes: nihil mirum, si Oceanus per oppositas ferè partes, in utrumque hunc sinum illabens, contrariis motibus ferri videatur, & in medio intervallo immotus ferè appareat; in diversas enim partes distrahitur. Ne illud quidem est miraculo, Oceanum ubique eodem tempore non aestuare, vel in eodem sinu; non potest enim, cum exundat, & quasi ad latera effunditur, in momento temporis ex. gr. 400. & amplius millaria percurrere, sic ipsa flumina non uno eodemque tempore aestus compleat. Sed quid est cur in fluviis majus tempus insumat aestus, quam ipse refluxus? Vnum duntaxat pononam exemplum, quo res fiat illustrior. Garumna aestus usque ad 120. penè millaria diffunditur, tantum spatii emetitur horis 18. non amplius verò quam 12. horas in ipso refluxu impendit. Idque ad calculum exigere facile est. Siquidem circa novilunium, aestus tertia horā à media nocte incipiat; senis horis ad quinquagesimum milliare perveniet; nimurum horā nonā ante meridiem. Hinc rursus senis horis perveniet Burdegalam; atque adeò ibi tertia de meridie horā naves gyrabunt, ac puppes obvertent, quod est argumentum aestus adventantis. Tandem ad sancti Macarii, horā ferme nonā jam languidior advenit; neque ibi moratur, sed cum statim refluxus excipit, quem idcirco senis horis minus, quam aestum durare necesse est. Nec mirum si aquæ proprio pondere celerius in mare delabantur, quam à mari in flumina excurrant; ibi enim descendunt, hic videntur ascendere: est quippe mare ipso flumine depresso: quanto longius aquæ propelluntur, tanto argius procedunt, cum fluminis alveum hoc altiore offendant, quo suæ origini propriem. Nam eò usque aestus progreditur, donec Oceani & fluminis aquæ veluti in aequilibrio constituantur. Multum quoque momenti affert situs, vel positio fluminis. Siquidem Garumna recta ferè in mare properat, non item

E ij

Sequana; serpit enim hic fluvius multiplici flexu. Hinc matris aestus multò longius in Garumnam, quam in Sevanam excurrit. Mirantur eodem tempore aestum in Oceano, & in Garumnā prope Burdegalam contingere. Ratio in procliviest; nam si interlunio aestus ad Garumnae ostium, tertiam post mediam noctem horā incipiat, idem post duodecim horas Burdegalam perveniet; tertiam nimis de meridie horā, quo tempore aestus in Oceano iterum redibit. Itaque eodem tempore Oceanus & Garumna prope Burdegalam intumescent; non uno quidem aestu, sed diversis. Atque ut nihil videat omittere eorum quae ab Arconsio praeclarè observata sunt; dicam quid in Sevanā ingentem illum aestum quem vulgo (*Laburre*) vocitant, efficiat. Tres sunt eiusmodi fluctus, qui sub æquinoctia & solstitia, imò post novilunia, & plenilunia, adeò tument, ut obvia quæque sternant; & quod magis mirere, primus ad altitudinem quatuor ferè pedum assurgit, huic proximus 8. tertius 12. pedum altitudinem superat; & quatuor penè horarum spatio, 25. leucas Gallicas magno strepitu, impetu majore percurrent. Idem ferè in Garumnā, sed rariùs accedit, nimis sub mensis Augusti finem, vel Septembri initium; quod tum temporis aquæ illius fluminis sint depressiores. Nec verò Garumna, ut Sequana tam sape exsiccatur. Quo autem fluvius pleniore alveo fluit, eo minus has Oceani exundationes experitur. Cùmque sub æquinoctia vel solstitia, necnon circa novilunia & plenilunia maiores sint aestus, pallam fit cur iis temporibus decumani illi fluctus, & maiores, & frequentiores existant. Sed cur in Sevanā adeò effrantur, non item in Garumnā? An quodd Sequanæ alveus instar infundibili extremum habeat latius, & apertius; adeò ut aestus adveniens ibi tumentes fluctus non excitet, at sensim instar tubi coarctatur; quare necesse est ut aquæ ex Oceano, magno impetu in angustiorem alveum irrumpant? Quemadmodum ingentis stagni aqua ruptis obicibus, vehementius per prona devolvitur; quod si angustiorem vallem, & axis abrupta loca pervadat, quantum strepitem, quantas edet strages: nam, ut præclarè Seneca, quamdiu flumini facilis, & liber est alveus, primas quasque aquas explicat. Vbi saxa casu,

vel manu illata pressere venientem, tunc impetum morâ quærit: & quo plura imposita sunt, plus invenit virium: omnis enim illa vnda, quæ à tergo supervenit, & in se crescit, cùm onus suum sustinere non potest, vim ruinâ parat, & prona cum his quæ jacabant, fugit. Iam nihil necesse est hoc loco inquirere quæ sit causa, cur in zonâ torridâ fluvii nullo æstu agitantur, cùm in iis locis Oceanus ipse non æstuet, nedum flumina quæ solius Oceani exundationibus tument. At in temperatis & frigidis zonis fluvii incrementa Oceani hoc magis sentiunt, quo polis sunt viciniores: nam ibi æstus sunt maximi. Verum excipis, quid igitur est causa, cur circa Normaniæ & Armoriciæ confinia ranti æstus incurant, quanti aliâs nusquam: adeò ut non solum ad 30. sed etiam ad 60. pedum quandoque perveniant altitudinem? Hic sanè nos sudare necesse est. Tametsi non absurdè responsum fuit ab hujus opinionis, quam nunc versamus, auctore. Idcirco id accidere, quod Oceanus aquæ à Meridie in Septentrionem agitatæ Britannicarum insularum, ac potissimum Hiberniæ occursu resilire compellantur. Atque ab Armoriciæ & Normaniæ litoribus iterum repercussæ, in ipsum veluti angulum, & concursus angustias confluent vberimæ. Idem evenit in freto Magellanico, propter vtriusque maris Äthiopicæ, & Pacifici concursum, & motus in diversa titentes: quemadmodum in maris Britannici, & Germanici confiniis contingere diximus. Sed in his jam sum nimius, neque hanc opinionem velim, ut certain & exploratam jaclare sententiam, aurobis inveniendæ veritatis occasionem intercipere; eam dumtaxat vtcumque defendi posse contenderim.

Sequitur ut de maris sal sedine perpaucâ subjiciam. Existimat *de mari* quidem Aristoteles exhalationes terrenas, & adulatas, quæ *saledine.* calore Solis attolluntur, hanc mari conferre sal sedinem. Siquidem ex illius mente sal non nisi per adustionem educi potest, *Aristotelis* *opinio con-* *futatur.* vt in calce, & cineribus videtur est. Hinc Oceanus aquæ subzonâ torridâ multo sale inficiuntur; contrarium evenit in mari Glaciali polis finitimo. Addit eximus Scaliger pro comperto veroque haberi, in fundo maris aquas esse dulces, superficiem non dulcem, quia dulce in levi, leve autem à Sole absuntur. Hic sanè Aristoteles, si usquam alias errore habitur. Non enim


sal per adustionem procreatur, vt alibi ostendimus, sed cùm in corporibus actu inesset, extrahitur. Atque vt ipsius quæstionis jugulum petam: Quòd si exhalatio terrestris falsedinem mari impertitur; quid est cur stagnantes aquæ falsæ non apparet? nec facile tanta halituum copia, quanta inficiendo mari sufficit, vi caloris solaris educi potest. Maximè cùm radii solares fundum maris vix attingant. Accedit quòd exhalatio ipsa falsa neutquam existit. Nimium verò Scaliger Aristoteli indulget, cùm assertit vrinatores vitreis vasculis aquam è fundo maris dulcem extrahere. Contrarium non experientia modò, sed etiam ratio ipsa persuadet; cùm aqua falsa sit dulci gravior. Nec difficile est id experiri, & aquam è fundo haurire beneficio vasis, cuius operculum funiculo alligatum aperiatur, cùm vas ad imum descendit. Quod autem de zonâ torridâ, & mari Glaciali obtrudunt, facile solvitur. Nam vel major aquæ copia in Glaciali Oceano, vel multorum fluminum influxus, vt in Ponte Euxino, & in mari Caspio contingit, aquas possunt diluere. Sub æquatore Sol ferventior majorem dulcis aquæ copiam extenuat in vapores, qui versus polos recidunt. Nemo ignorat aquam coctione fieri salubriorem, quòd purior exhaleatur. Quinetiam dulcis aqua longâ coctione falsedinem contrahit; non enim est omnis salis expers. Marc quoque falsus æstate, quàm hieme invenitur, iisdem de rationibus. Vnde ergo falsedo maris? an forte in principio suæ conditionis sale, nitro, & bitumine imbutum fuit: nec sal illud perit, cùm in vapores resolvi nequeat, siquidem illius particulæ proprio pondere relabuntur: sunt enim, vt Cartesio placet, graves, rigidæ, & instar cuspidum acutæ. An potius fodina salis in mari, vt in terrâ sunt innumerabiles; at jam dissolutas eas oportuit, nisi forte novæ succrescant. An salis, nitri, & bituminis exhalationes vi caloris, vel ignis subterranei continenter crumpunt, quibus aquæ maritimæ inficiuntur? sic lacus Asphaltides, seu mare mortuum in Palæstina, non aliunde suam falsedinem, gravitatem, saporem denique mutuatur, quàm ex copioso quo abundat bitumine. Non alia, vt mihi videtur, causa est cur mare nauseam, ac vomitum provocet, nisi quòd circumfusus vapor multo sale volatili inficiatur, cuius corpuscula ven-

*de falsedi-
ne maris
verisimilia.*

triculi fibras vellicant: hinc aër maritimus oculorum dolores excitat. Fortè etiam bilem calidam item & siccā naturæ familiaritate attrahit. Hinc spiritus salis multā aquā permistus huic incommodo remedium est: vel idoneo medicamine purganda bilis, tum succo limonum ventriculus refrigerandus. Aliud remedium nuper edidit vir omni pietate ac doctrinâ præditus Alexander de Rhodes, nimirum pisciculum è majoris ventriculo extractum, qui assatus permodico aceto, & sale conditus, hunc vomitum vi quādam occultâ inhibet. Non ignoro jactationem maris multum conferre: nam plerique in rhedis vesti naufragant. Nec dubium est quin omnes ferè maris vires, & effectus ex eādem causâ, ac veluti ex eodem fonte dimanent. Attrahit bilem purgat, quod licet meatus occlusos salis corpuscula aperiant, his rescratis attra bilis expurgatur. Scabieim sanat; quia exsiccat, & abstergit. Lintea, imò & ligna nisi pice obliniantur, adurit, quod salis corpuscula linteorum filamenta disrumpant. Vnde aqua marina extinguidis incendiis minus est idonea, quod quiddam gerat pingue & vnguatum; hinc saepè è fluctibus in scopulos vehementius impactis ignitæ scintillæ emicant. Quod verò mare cadavera, & naufragiorum reliquias in litora evomat, id à virtute quādam secretâ & expulsive non oritur, sed ab æstuum aut fluctuum impetu: idem in exundante flumine cernere est; vbi refluxus imbecillior in alveum non revehit, quod fortior æstus expulit.

*Cum mare
vomitus m.
et naufragium
provocet.*





C A P V T T E R T I V M.

De aliis impressionibus tum aqueis , tum aëreis.

- i. De sale multa ex Cartesio. ii. De glacie , nubibus , nebulâ , pluvia , rore , & pruina . iii. De melle , & manna fusè agitur . iv. De nive & grandine . v. De ventorum naturâ , causis , & effectibus , ac de reliquis impressionibus aëreis disputatur .

M E N A N D E R.

Pacis tu quidem , optime Simplici , vt bonum virum , & perurbanum decet ; nec quæ aliorum est perversitas , Cartesium nostrum maledictis infestaris : quinimò persæpe illius opinioni non dignaris accedere . Nihil profectò absurdius singulare potest , quâm mare sal sedinem suam à terræ limo repetere : cùm enim aqua marina ita pelluceat , vt fundum sape videndum exhibeat , terrenis exhalationibus non inquinatur . Neque , ut putant , sal sedeo qualitas existit , sed à sale dimanat in aquâ exulto . Cùm igitur in vellere , vel arenâ percolatur aqua , ibi non qualitatem , sed salis spicula deponit . Hinc aqua maris vbi distillatur , salem exiit ; quod corpuscula ex quibus sal componitur , gravitate aliqua donentur , nec possint ascendere , nisi extreum alterum deorsum vergat : sed tum facilius recidunt , quâm sursum eluctentur . Figuram verò reretem & aciculis similem salis corpuscula esse sortita , ex sapore colligimus : siquidem linguam suis cuspidibus altè penetrant ; hinc brutis sal adeò sapit , quod linguam habeant asperiorem , quam inflexibilis & rigidæ salis particulae titillant . Hinc etiam situm excitat , appetitum acuit , quod linguae & ventriculi fibras vellicet . Eamdem ob rationem pruritum excitat & scabiem , quia fibras corporis dividit , & viam pravis humoribus aperit . Quid , amabo te , est cause cur sal à putredine vindicet , nisi quod suis cuspidibus , & bacillis humorum corruptionis fontem , & fermentum expellat . Hinc caro falsa & siccior , & durior existit : nam hu-

*De natura
salis quid
Cartesio vi-
deatur.*

*Salis corpo-
scula esse
in star spicu-
lorum acu-
ta.*

*Prarii salis
effectus ex-
plicantur.*

humor, si quis remanet, circum salis oblongas aciculas convolvitur, ne diffusat; atque his bacillis omnes carnis particulae fortius constringuntur. Humor enim motu suo corpora dissolvit & emollit; sal vero humorem vel exprimit, vel retinet. Quamobrem qui sale non vntuntur, gravem spirant anhelitum, quod sal putredinem arceat. Illud quidem est friabile, nam partibus constat rigidis, quae facile separantur, nec flecti possunt, nisi summo ignis calore; tuncque sal in aquam stygiam, seu fortem abit, cùm scilicet illius particulae ex rigidis, & cylindricis, flexiles, planae, & instar gladiorum secantes efformantur. Hinc aqua stygia penetrat, ac dissolvit metalla, linguam stringit, & saporo est acerrimo. Enimvero, si salis, vt ita loquatur, atomi sunt crassiores, & graviores ipsius aquae atomis, quae fit ut proprio pondere ad imas partes non descendant, sed per totam aquam diffusae jaceant: an quia aquae particulae sunt lubricae, & flexiles, quod earum sapor dulcis demonstrat; unde circa rigida salis corpuscula facile advolvuntur. Et si credimus Cartesio velocissime circa ea gyrant, efficiuntque illam matis perspicuitatem. Quod enim fluidum est, idem in perpetuo motu versatur, nec luminis transitum adeo impediret, quia motui illius facilius obsequitur. Atque ea mili videtur ratio, cur mare vix, aut numquam congeletur: nam & calor salis nativus, & motus aquae salsa concitator ipsam impediunt congelationem, quam in partium immobilitate consistit. Mare quippe Hyperboreum fortasse in glaciem non concrescit, sed nix copiosa, quam regitur mare, conglaciatur: vel si Oceanus ipse congeletur, id accedit, quod magnorum fluminum appulsi minorem habeat salis proventum. Quid igitur inter aquam, & glaciem interest? hoc scilicet, quod aquae particulae a subtilissima materiâ agitantur, non secus atque anguillæ in navi perforatae existentes, ab aquâ subeunte huc & illuc inflectuntur: particulae autem ex quibus glacies constat, non amplius fluctuant, sed manent immobiles, atque aliæ aliis incumbunt; fernè ut anguillæ (ne ab eodem exemplo recedam) in fluminis ripâ exsiccatæ. Nec mirum si glacies dura sit, non item aqua; hujus enim partes jam motæ faciliter inoventur, quam glaciei particulae quietentes. Quid enim aliud est frigus quam motus imbecillior?

*vnde aqua
fortis tanta
vires.*

*Cur sal in
aqua exfol-
vatur.*

de glacie.

*ex quibus
corpusculis
aqua com-
ponatur.*

Quod autem aquæ corpuscula eam nacta sint figuram; quod longa sint & lubrica, & facile à se invicem separantur, sapor ipse indicat. Non enim linguam, vt salis corpuscula compungunt, sed leviter allambunt. Accedit etiam quod omnium corporum meatus non æquè subeunt; quia certam obtinent figuram, quæ quibusdam corporibus, vt calci, & arenæ accommodata est, aliis non item. Quod aquâ madet, facilis exsiccatur, quâ id quod oleo insuitur. Siquidem olei partes sunt ramosæ, & tenaciæ inhærent, partes vero ex quibus aqua componitur, sunt flexiles & quâ minimo motu excutiuntur. Sed de his jam alias copiosè diximus. Nunc longius si placet progrediamur. Ac de impressionibus aëris quid ego sentiam breviter explicabo.

*psa natura
aëris.*

Dissimulare non possum Cartesii Philosophiâ, acutâ & brevi mitifice animum meum capi: Peripatetici enim nihil quâm lites, & contentiones amant. Dum verba instar poëtarum fundant, vel adversarios tortuosis argumentis involvant, magna tollunt supercilia. Cedo, mi Theophile, quid tuus Aristoteles, de meteoris præclarum memorie prodidit? de reciprocâ Oceani æstu altum silentium: quod falsedine maris attinet, quæ magis erat obvia, nihil vel verisimile sentit. Iam vbi de Cometi, de viâ lacteâ tractare aggreditur, quâm absurdâ scribit, atque ab ipso sensu penitus abhorrentia. Sed quâm breviter, quâm enucleatè Cartesius hæc naturæ arcana nobis aperuit. Quod si illum audimus, terra, aqua, aët ipse ex eâdem materiâ, quam tertium vocat elementum prodiere. Aquæ, & aëris particulæ minus inter se cohærent, & facillimè huc & illic agitantur. Partes vero aëris sunt omnino disjunctæ, ac singulæ proprio motu gaudent, quem à subtilissimâ primi, & secundi elementi materiâ, vel si malis à calore mutuantur. Quare particulæ, seu filamenta ex quibus aër componitur, majorem locum, vel circulum exigunt, quo majori motu cidentur: imminutio illius motus, frigus dicitur. Cum oblonga illa statina sibi mutuo incumbunt, tum aërem esse crassiorem necesse est. Facilè aër comprimitur, quia illius particulæ sunt flexiles & disjunctæ; compressus tamen magno impetu resilit: nam singulæ partes ab æthereâ substantiâ, vel calore agitatæ, com-

muni nisu vasa disrumpunt. Atque obices amoliuntur , quo
majus occupent spatiū , ac liberiorem motum consequantur.

*Quare n
bēs in ai
suscendur
tur.*

Quæ porrò causa nubes adeò crassas , & densas in mediā aëris
regione suspendit ? an corpora minùs gravitant , quo longius
à terra discedunt ? nix quippe jam efformata libratur in aëre ,
quo tamen densior existit. Planetæ ejusdem , vel similis sunt
cum terrâ naturæ , nec descensum affectant , quia longissimè à
nobis recedunt. Alia forsitan causæ subesse possunt ; aut calor ,
qui inferiorem aëris regionem dilatat , ac nubes sursum repel-
lit ; aut frigus , quo superior aëris plaga constringitur ; aut va-
por qui continenter è terrâ erumpit , & nubes pensiles sustinet ;
vel denique ventus , qui nubium particulas disjunctas , & malè
colligatas , non evehit modò , sed sublatas retinet. Taceo quòd
minutissimæ nubium particulæ non satis habent virium , vt
ipsum aërem diducant , quòd pro mole suâ multum habeant
superficie. Sic lamina auri tenuissima aquæ innatat ; pulvis agi-
tatus diu libratur in aëre. Quid verò aliud est nubes , nisi va-
por qui in alto aëre suspenditur , & præ opacitatem suâ sub ob-
tutum cadit ? hinc opacitatem naœta mihi videtur , quòd
singula corpuscula nonnihil luminis reflectant ; unde simul
congesta totam regerunt lucem , vix quicquam transmittunt :
frigore autem densantur. Neque nubes quicquam à nebulâ dif-
fert , nisi quòd hæc terræ vicinior est , & frigoris vi citius con-
crescit , nec altius evehit potest. Ingenito terræ calore , non radiis
solaribus plerumque exsurgit : nam manè , vel vesperè sa-
piùs ; raro Sole fervido terram obducit , subito totum ho-
rizontem compleat , atque ex certis locis erumpit. quæ omnia in
vapores à Sole attractos non cadunt. Cùm ex aquâ putrescente
expirat , tum foetet & tussim excitat. Vbi manè recidit , sere-
num cælum promittit , nam si Sol non potest tenuem illum va-
porem attollere ; nedum è mari aut fluminibus aquam evehet.
Quòd si sursum attollatur , pluviam præfigit. Nam terra ad-
huc calens novos vapores suppeditat , qui tandem in aquam
abeunt , ex quâ prodiere. Cùm scilicet vapores insensibiles in
alios subinde cadunt , quoisque in guttas satis sensibiles cre-
scant , quæ hoc sunt majores , quo ex sublimiori loco delabun-
tur. Quapropter flante Austro guttae sunt pleniores. Cùm ve-

De nubil.

{ i }

cœpit, major, inquit Seneca, inclinatio aëris sequitur, & calidore cælo, majora fiunt stillicidia, tūmque nimbi graves magis, vastique, quām pertinaces deferuntur. Guttæ porro decidentes rotundam obtinent figuram, quod pressus aëris relicturn à guttâ locum, quām potest compendiosiore viā occupat; ac guttam globosam facilius radit, quām si aliam nocta esset figuram: vel materia subtilissima per poros aquæ commeans hos efficit globulos, nam in istis guttulis citius movetur, & facilius, quām in molli aère; vnde circa illas gyrat.

*Cur media
aëris regio
nec frigi-
da.*

De pluvia.

Sed cur media aëris regio tanto frigore algat, vt nubes conglomerentur non certè id accidit, quod radii solares reflexione solâ calorem excitant: est quippe idem radius directus, qui reflexus. An igitur radii à terra reflexi citè coeunt, & quasi in foculos, vt loquuntur Optici, vel in nodos colliguntur: vnde calor aucto lumine itidem crescit. Nullumque est infini aëris punctum, in quo plures radii reflexi non vniantur, & eo plures, quo Sol verticibus nostris vicinior existit: tum enim radios directiores, & confertiores vibrat, qui quasi duplicati, in se ipsos ferè resiliunt. Hinc mediâ æstate vberim quidem vapores sursum colluntur, sed Solis ardoribus dissipantur, nec facile coguntur in pluviam, nisi vento frigidore densentur. Contrà hieme calor est debilior, quām vt vapores attollat. Vere & autumno calor est moderatus, magna quoque diurni æstus, & nocturni frigoris inæqualitas: hinc pluviae vberiores. Nec denique omnes nubes concrescent in pluvias: vel quod vaporum particulae nimium inter se distent, nec sese mutuo contingant; vel quia non satis est frigoris nubi constringenda. Stillicidia, ait Seneca, quamvis jam inclinent se, & labantur, nondum tamen efficiunt lapsum; sed ubi plura coïère, & turba vires dedit, tum pluere dicuntur. Quinetiam sublati vapores, potius in glaciales atomos, quām in pluviae guttas concrescent, nisi vento calidore solvantur. Densantur verò nubes, tum vaporum ascendentium copiâ; tum vento Australi, vel occiduo; tum denique oppositis ventis, quibus sepe vapor constringitur. Altissimæ nubes acerrimo correptæ frigore in nivem potius, quām in pluviam concrescent. Vnde vel in zonâ torridâ, excelsorum montium juga inter tantos ardores, vt

orum Tacito loquar, opaca sunt, fidaque nivibus. Sed de nive postea. Nunc quae sit pluviae utilitas; quae illius indicia brevi expediam. Aquam esse elementum volatile norunt Chymici. Sublimatur, atque in medium aeris regionem evehitur, vt fæces exuat, purior recidat, tum ut terram humore superfluo exoneret. Nam ut scite Auctor Physicæ restituta, haec vaporis sublimatio quasi obstructions terræ amovert, & fastidientem illius stomachum sublevat, cumque digestioni aptiorem reddit. 2. Vapor sublimatus, concrescit in aquam, atque in terram demittitur, ut eam nestante, cælestique potu perfundat; paulatim distillatur, non confertim ruit, ne vberior aqua intimum terræ calorem extinguat, & vivifico spiritui (jam cum Chymicis loquor) aditum præcludat: sic enim æquabiliter distributa terram fecundat. 3. Pluvia in plantarum, atque arborum alimentum facessit. Hinc radices arborum numquam ferè ultra duorum passuum, seu decem pedum profunditatem porrigitur. Quod, ut putat Seneca, nulla pluvia ultra decem pedes in altitudinem madefaciat terram. Hoc alimento extremæ, ac minutissimæ radices, vi quâdam occultâ, aut secreto igne in propriam convertunt substantiam. Sed nullo tempore pluvia plantis acceptior est, quam circa mensem Marum, quo herbarum fibræ calore Solis laxantur, ac plantæ jam robustiores copiosius exigunt pabulum. Et state autem pluvia nonnumquam obest, nisi eadem sit vberior, quod humor ille alimentarius apertas fibras facilè penetreret, facilius exeat, vñaque secum insitum & nativum humorem educat. Sæpè vñuenit ut pluvia mordaci, & acri exhalationi admista segetes adurat, idque æstate plerumque accedit.

Multa sunt pluviae adventantis indicia; ut Sol in ortu clare affulgens, vel solito major, vel cœruleo colore infectus: nam vapor & Solis colorem immutat, & illius speciem auget; sic cum stellæ plus æquo scintillant, & lasciviant, pluviam prænuntiant. Idem vapor Lunæ colorem imminuit, ac pallidam exhibit. Flavæ circa exortum Solis nubes pluviam portendunt, quod cum sint humiliores, calore Solis sursum tolluntur, & tandem in pluviam resolvuntur. Vespertinæ verò crastinam serenitatem promittunt: nam frigore nocturno resident. Sol

concavus oriens (vt loquitur Plinius) pluvias prædictit; si antea illius ortum radii se ostendant, aquam & ventum significabunt. Ex animantibus quoque pluviae futuræ signa conjiciuntur. Priusquam enim vapores cogantur in pluviam, jam insensibiles guttulae infimum aërem complent, & proprio pondero decidunt. Tumque vapor toridus subtilitate suâ poros animantium subit, ac vellicat. Hinc ubi gallus gallinaceus crebrè, & de die cantat; cum boves extento collo cælum suspiciunt; fæles barbam detergunt; equi celerius promoventur; pecora saltus edunt inconditos; cum denique porci stramina ore discerpunt: tum pluviam imminere conjicimus. Accedit frequens ranarum coaxatio, quod humidiore aëre gaudeant. Copiosos aliquando imbres ventus vehemens in terram tuens antevertit; tum fortè nubes cadit, quæ hunc ventum ac pluviam efficit; quæ quidem nubis præcipitatio muscas, & alia minuta animalia in terram deprimit, quas hirundines tamquam prædam persequuntur. Quapropter cum hirundines juxta terram volitant, tum pluviam brevi futuram prædicimus. Quietiam, vt optimè Fromondus animadvertisit, res insensibiles illo subtili vapore de quo mox diximus perfusa, imminentis pluviae, aut tempestatis nos admonent. Trifolium inhorrescit, & folia erigit, quod fibræ humido aëre intendantur. Si quis corium vituli marini Austro flante sub dio exposuerit, tum pilos emicantes, & erectos videbit: sed flante Boreâ subsident. Eadem causa efficit, vt qui podagrâ laborant acriori dolore vrantur; callum illud quod pedum digitis succrescit, fortius pungit: ligna in ignem conjecta crepitant; fores magis strident. Quæ quidem ferè omnia ex eodem fonte, nimurum ex vapore rorido & subtili, qui pluviam solet præcurrere, diminant. Hæc atque alia id genus indicia fallunt persæpe: nam idem calor qui vapores attollit, potest eos dissipare, vel in ventos difflare.

Ros.

Iam quid de rore, pruinâ, & manna necesse est dicere, cum eadem sit omnium materia, eadem prorsus effectrix causa? Quid enim aliud ros, quam vapor nocturno frigore concretus? Hinc loca aridiora, ros nullus tegit, quod ibi humor deficiat: flante vento, vel cælo nubilo perparum roris concrescit: nam

ventus vaporem dissipat; ac pluvio cælo vel vapor nullus educitur; vel filamentis exhalationum implicatus cum nube confunditur. Siquis rōre manus frequentius ablueret, fortasse scabiem, vel lepram brevi contraheret; quod acia corpuscula habeat admista, quibus subtiliores fibræ dividuntur; hinc segetum rubigo, cum ros spicā exceptus ardore Solis putrescit. Nec immerito Chymici existimant nitrum subtilissimum rōte contineri, quod forte erucarum, atque aliorum insectorum procreationi multum confert. Nitrum quippe vim prolixam in se recondit. Quid autem pruina, nisi ros acerrimo frigore *pruina*. congelatus. Hæc cuniculos intra paucos dies saginat, quod instar roris per dulcis existat, & nitrofa. Quod attinet illa filaments, quæ Veneris capillitum vocant, & autumno maxime, instar telæ aranæ volitant, nihil sunt quam quædam nebularum veluti reliquæ calore Solis exsiccatæ: hinc duæiles sunt & viscosæ.

Iam, ut minutiora quæque persequar, quid aliud mel, *De melle & manna.* quam vapor pingui exhalatione permistus? Dulcedinem suam ac saporem, vires ad omnes ab halitu tum florum, tum herbarum contrahit. Hinc flores odoriferi mel præbent suavissimum. Venenatae herbae mel quoque reddunt venenatum, quod plerumque pondere dignoscitur; nam gravius est innoxio, sternutamenta excitat, nec facile densatur. Quo vapor melius digeritur, eo mel efficit præstantius. Manna species quædam mellis existit, ex pinguiori halitu æstivo calore sæpe concrescit in granula, & foliis quarundam arborum, ut abietum & cedrorum adhærescit.

S I M P. Etsi minimè impediendus est interpellatione iste cursus orationis tuæ, ignoscas tamen, si quid ego de melle, & manna sentiam, paulò vberius aperiam. Tu vulgi opinione ductus illa inter Meteora censes, quæ mihi videntur ad mixta perfecta referri oportere. Nam mel mistionem constanter habet, & crasim stabilem; quinetiam fructus melle conditi diutiùs asservantur: in sua principia, ut mixta reliqua resolvit, nutrit denique; quid igitur est cur illud inter Meteora, quorum partes sunt malè colligatae, recenseas? Idem prorsus de manna judico: sunt enim mel & manna congenera, at-

que ex iisdem ferè ducuntur causis, quas quidem nunc paulò diligentius inquirere non erit alienum. Vulgaris opinio est vtrumque ex vapore rorido concrescere: nam si aestivis diebus rorem colligas, eumque vitreо vase conclusum radiis solaribus exponas, is melleum saporem contrahet. Verum hæc remotior mellis est, & mannae materia; propiorem verò inquirimus; neque enim ros omnis vites mellis, aut manna obtinet; nec consistit, nec radiis solaribus induratur. An fortè hæc nihil sunt, quām florū vel arborum succi? Siquidem mel non solum manē; sed etiam die toto ab apibus colligitur, idque ex profundis florū calicibus exsugunt, hinc etiam mel quoddam venenatum est, aliud amarum; est quod: gratissimum odorem afflat, aliud autem fœret. Vnde tanta diversitas, nisi ex florū, herbarum, & succorum varietate? Manna quod attinet, illud nihil esse, quām succum & veluti lacrymam quarundam arborum existimat Altomarus Neapolitanus. Non enim alibi quām in fraxinis, & ornis succrescit Calabriæ manna: si ros foret aëreus, nihil esset causa cur in aliis quoque arboribus non nasceretur. Imò sunt quædam fraxini vicinæ, in quibus manna oritur numquam, quod steriles sint, & effœctæ; jussit ille arbores pannis tegi, ne ros deflueret; manna tamen sub pannis inventum est; non igitur illud ab aëre depluit; sed ex arboribus exsudat. Est gummi similius, quām rori: hinc fraxini Calabriæ incisis corticibus manna profundunt, idque foliorum pediculis adhærescit, quod sit humor excrementarius; vnde æstate, non hieme erumpit. An potius mel ac manna ex plantarum succis, & halituoso rore concrescunt; ita visum est olim Erafso, & meā quidem sententiā immerito reprehenditur à Libavio. Quid enim aliud quām pinguis, & viscosus halitus, ex ipsis herbis, & floribus erumpens vñà cum rore aqueo & subtili permistus mel primigenium efficit? Illud apes ex omni genere florū decerpunt; os & ventrem onerant, ac nimium distentæ evomunt, atque in alveolis recondunt; ibi post aliquot dies musti instar fermentatur, & ebullit. Quapropter ex tribus saltem ducitur mellis natura; ex vapore rorido, pingui florū, atque herbarum halitu, & peculiari quādam coctione, quam in apum ventriculis consequitur. Ut taceam
de:

de effluviis quæ ex terrâ & aquâ jugiter dimanant; nam sal quoddam nitrosum continet, vnde in locis mari finitimi copiosius invenitur. Ros ipse hoc nitroso sale non caret, ex quo vis illius acrior, & purgatrix exoritur: hinc forte fermentatio in melle. Est igitur mel ros quidam, sed excoctus, viscidus & pinguis, in quo omnia insunt elementa. Ex vapore quidem & halitu concrescit, sed odorem, & pinguedinem ex ipsis trahit stirpibus; hinc aliud thymum, aliud absinthium redolet; pars quidem roris aquosior calore Solis diffatur; sed ros melleus & tenacior remanet, quem exorto Sole apes colligunt; ille tamen aquam refert, & perspicuus est, cum in ventriculis apum continetur, idque evisceratis apibus, cum è pastu domos redeunt, facilè comperies; sensim flavescit, & crassiorem adipiscitur substantiam. Sæpe floribus, & foliis arborum guttulæ roridæ insident, quæ si digito leviter excipientur, nihil ab aquâ differre videbuntur; at si linteo deterferis, melleum saporem, & pinguedinem præ se ferent. Ros igitur est ipsius mellis matræ, sed ille ex plantis turgentibus potissimum attollitur, atque ex iis pinguedinem, & visciditatem deponit. Non succus est florum, vel arborum; nam sapor ille dulcis, vis acris & ignea quæ in recessu later, tenacitas, color, vires adeò omni melli communes, ex eodem principio, & communæ origine dimanant. Sed tamen inficiati non possum, illud ab ipsis, ex quibus colligitur plantis nonnihil affici, atque alterari. Multum quoque confert peculiaris quædam elaboratio in apum ventriculis: non enim mel quod vespa conficiunt, ejusdem saporis, ac naturæ est, cum eo, quod ex apum alvearibus colligitur.

Cum melle multum affinitatis habet manna, idem fere utriusque sapor, neque origo multum diversa. Nec milii placet Donati Altomari sententia, manna succum esse fraxini, vel ornari, præterquam enim illæ arbores non sunt resinosa, cur quædam fraxini in Calabriæ manna profundunt, alias his finitimaæ steriles existunt? Quid est cur in aliis regionibus nullæ fraxini manna præbeant, cur sola Calabria hanc habet prærogativam? Succus, gumini, vel lacryma vires arboris continet, est enim purissima essentia, naturæ ingenio extracta: at folia fraxini sunt:

amara, fructus calidi & siccii, calculum comminuant, hydroperm sanant; succus vires habet alexipharmacas: nihil horum mannae convenit; dulcem & nauseabundum obtinet saporem, bilem subducit, calculosos non juvat. His atque aliis rationibus Altomari & Clusii opinionem infringit doctissimus Magnenus. Iam quæ causa subest posse, cur manna Calabriæ solis fraxinis, vel orniis insideat? an quod istarum arborum folia non sunt bibula, ac manna sub dulce respunnt, cum ipsa sint amariora? an cera primigenia quæ mannae compositionem ingreditur, ex iis arboribus copiosior educitur, cumque nihil sit præter lanuginem quamdam furfuream, quæ ex plantis calore solari exhalatur, mannae coagulationem multum promovet. Nam ros liquidus ex quo manna componitur, siccis & minutis filamentis, que ceram efficiunt, incrassatur. Eam portò esse ceræ primigeniæ naturam tibi constare poterit, si apes onustas, & redeuntes omphalopatrâ diligentius intueri, atque acu os velis ducere; tum enim asperginem illam è floribus collectam videbis, ac magnum instrumentorum apparatus, quibus eam subigunt, & fortè cum succis arborum viscosis permiscent. Fors item est ut multa ejusmodi arbores recrementa profundant, eoque vberiora, quo major calor accesserit. Plantæ oleaginosæ, quæ diutius durant, & combustæ flamمام candidiorem præbent, ex quarum censu sunt ornus & fraxinus, pinguiora ejus generis purgamenta effundunt, ex quibus non modò cera primigenia, sed etiam mannae coagulum & concretio oritur. Sed cur ex inciso cortice fraxini in Calabriæ manna distillat? an quod cortex bibulus hunc rorem intus admisit, quem ob naturæ diversitatem respuit? Cur foliorum pediculis adhærescit? quia ob nodorum asperitatem ibitenaciùs infigitur. Cur arbores linteis ob ductæ manna præbuerunt? quod ros linteæ & panos facilè subeat, ac penetret. Quare ros ille in alias arbores non delabitur? quod iis desit idoneum coagulum ad mannae consistentiam. Vnde illius dulcedo? ex melle primigenio. Quare bilem subducit? ob naturæ familiaritatem hanc attrahit: sal vero nitrosum quo manna non caret, naturam ad secretionem exstipulat. Nitrosi salis argumento est, quod ubi inflammatur multum edat strepitum, & spiritus nitroſi cum impetu dissiliant.

Huc accedit quòd ex rore Chymici nitrum colligunt. Terra quoque Calabriæ nitroſa est; in aquâ manna exſolvitur, frigore nocturno concreſcit, calore Solis induratur, friabile eſt, & dulce; combustum nullos relinquit cineres: quæ quidem omnia ex cerâ primigeniâ, melle, & ſale volatili, ſeu nitroſo proficiſci eſt veriſimile. Pingui quoque & oleoſo halitu conſtat; nam flammam concipit. Vbi aduritur, odorem ſpirat mellis ceræ admixti. Ex iis igitur licet concludere manna ex pingui halitu, ſale nitroſo, & volatili; cerâ, & melle primigeniis conſlati. Ceram ex apum cruribus avulſam, vià cum melle ex earum ventriculis expreſſo commiſſuit Magnenus; ſub diō hanc ma-teriam de nocte in ficus folio repoſuit; ante Solis exortum, quiddam mannae non diſſimile concreviſſe reperit; erat enim miſtura friabilis, & melci odoris. Sed fortaſſe longius pro-gredior: quare, ſi tibi videretur, refer te ad illa quæ nobis ex-plicare occuperas.

M E N. Pervulgatas res requiriſ, & tibi non incognitas: per-gam tamen quoniam ingressus ſum, de meteoris quæ mihi no-ta ſunt dicere. Haud euidem ſcio cur mel, manna, & fac-charum iſum inter mixta imperfecta recenſeant: eſt enim fac-charum quarumdam arundinum ſuccus alimentarius, qui ſalis naturam multūm refert: ſiquidem in aquâ exſolvitur, & ſpiri-tibus ignitis abundat. Vnde ex affriſtu ferri lucem igneā in tenebris vibrat. Sic per ſepē aqua maris vehementius agitata ſcintillat: nam ſalis ſpicula ex particulis aqueis explicata, & magnâ agitatione vibrata, globulos æthereos ſecundi elementi expellunt, ac ſubeunte primi elementi ſubtiliſſimâ materiâ, ignis procreatūr, eo quo diximus alibi modo. Neque omnes fluctus, ſed decumani & maxiſi ſcintillant. Nec crassior & turbida aqua maris ſcintillas emittit, quòd illius particulae non ſatis lubricæ exiſtant, ut ſalis atomi ex iis ſeſe expediant. Im-dæ implicant, tum mare crebriùs ſcintillare obſervamus. Eſt igitur faccharum quoddam ſalis genus; tametli plurimum fa-pore diſferat, quod pinguiori ſucco temperetur: candorem ſuum, ut reliqua, ab atomis ſphericis mutuantur, quæ lucem vberiorem, atque in omnes partes regerunt. Neque aliud ni-

saccharum.

*Cur fluctus
maris ad
rapes allig-
familiant.*

G ii

tantum candorem conciliat: nam mille globulos in nive, microscopii beneficio licet intueri.

xxx.

Quid ergo nix nisi quædam vaporis spuma frigore concreta? non quod existimem cum Plinio, ex mutuâ nubium collisione, & confictu, nivem instar spumæ ebullire: sed aëre forsitan, vel spiritu quodam tepidiore turgent innumerabiles bullæ, quæ nivem componunt. Vnde cùm nix imminet, frigus aëris non mediocriter temperatur, ac plerumque caput gravedino laborat, distillationes cerebri excitantur. An quod spiritus quidam tepentes, ac nivium prodromi, vt loquitur Fromondus, deorsum exprimuntur? vt vt sit, flocci nivis non decidunt, nisi vaporum filamenta frigore conglaciata, in vnum veluti globulum plura conspicient; nec coëunt, nisi extrema velut fila calore modico liquata floccum reddant, & densorem, & gravorem. **Quod si illi globuli, priusquam terram attingant calore solvuntur, non nix ipsa, sed pluvia quædam frigidior delabitur.** Sed vbi inter cadendum flocculi calore liquantur, atque iterum frigore concrecent, grandinem præbent. Est igitur grando, gutta pluviae acerrimo frigore congelata. Hinc perspicuitatem & rotunditatem suam obtinet. Verum vbi nivem jam liquefacentem ventus frigidior corripit, ac multos floculos in vnum colligit, tum grando & maxima, & polygona præceps ruit. Hujus extrema sæpe traludent, quod extremitates prius liquefactas frigus occupaverit, neque intimas partes subierit: hinc nix quædam in medio opaca remanet. **Aestate frequentior est:** nam hieme non satis est calor, vt is ad nubes usque sublimiores perveniat: inferiores quidem attingit, sed citius nix soluta decidit, quam frigore iterum congelari queat. Cùm igitur nix nondum liquata est, sed aliquantulum emollita, tum grando non pellucet. Sic nivis & grandinis figuræ, tum venti, tum diversi halituum plexus, aut frigoris gradus, varias, ac propè infinitas exhibent. Alii grandinem ex nubis altioris inde pressorem casu summo frigore concrecere autumant; neque enim verisimile est, aestate cùm aëris infimus tepidior est, pluviam delabentem conglaciari. Nec prope terram, sed in mediâ aëris regione, vbi frigus intensissimum regnat, congelatur. i. Mirari subit quod plerumque nivis flocculi instar stellæ-

Grando.

rum sex radiis distincti appareant. Placet Cartesio plures globulos simul & in eodem plano agitatos plerumque sic coire, ut sex globuli eumdem circulum efforment. An potius ad spiritum vniuersi, & rationes seminarias cum Platonicis nos conferemus? rerum enim omnium semina suis figuris instructa sunt; nec animantes modò, sed etiam res vita expertes suas à naturâ figuras sortitas esse arbitrantur. Nivem aiunt fertilitatem terræ inducere; seu quia succum benignum instillat; seu quòd terræ & plantarum halitus contineat, neque expirari sinat. Hinc in montibus nive obductis, erumpentes halitus sibi fornicem, aut crustam excavant, sub quâ lœta exsurgunt graminæ. An fortè fœcunditatem suam ab halinitro mutuatur? Hinc facile in aqua solvit, & dissoluta ventum frigidum spirat. i i. Nix diu atrectata manus calefacit: nam primò calidum sanguinem arcer, qui postea copiosior & vberior affluit: vel fortè nix ex innumeris sphærulis compacta fibras eodem modo agitat, ac calor. i i i. Nix est friabilis, quia globulis constat, qui facile separantur. Eamdem ob rationem perstringit oculos, quòd vberiorem lucem ex illis sphærulis reflectat: unde qui mediis in nivibus habitant, plerumque debilioris sunt visus. i v. Nix aquæ innarat, quòd multo aëte turgeat. Sed cur grando citius, quam nix calore solvit, cùm grando acriore frigore concreverit? Id propter densitatem grandinis forsitan evenit. Quemadmodum libra plumbi citius quam butyri liquefit; quòd vbi pars vna calorem concepit, statim eum proximæ communiceat, & ita quasi per manus citissime calor per omnes partes diffunditur. Prætereo alios effectus nivis, quos Fromondus recenset; quòd bulimiam, ac quoddam virium deliquium in iis excitet, qui nivali tempore iter faciunt: quia halitus nivales subeunt corporis meatus præ calore apertos: atque adeò calor naturalis vberior expirat. Idem halitus ventriculum, & pulmones male afficiunt, ac vellicant; cui morbo remedio sunt, tum panis, qui benigno spiritu ventriculum recreat; tum etiam vehementior tussis, quam maligni halitus excutuntur. Cùm ningit, campanarum sonitus, vel colloquientium ex proximo voces vix audimus, quia sonus in flocculos nivis toties impingit, vt tandem dissipetur, nec per eorum intervalla

G ij

Quare nix
sex radius
plerumque
distincta
videatur.

integer permeare possit. Nix itaque hoc à pluvia differt, quod illius corpuscula adeò sint exigua ut delabi nequeant. Nam flocci nivis nihil sunt quam veluti cineres conglobati, non continui, hinc illius candor, ut saepe monuimus. Nix porrò in loco sublimiore, quam pluvia generatur; cum excelsorum montium juga nive perpetuâ obducantur, neque ullâ pluvia solvantur. Mollis est quia ex tenuissimis compingitur atomis. Frigus aliquantulum remittitur, cum nix imminet: quia nubes nive prægnans coarctat aërem terræ finitimum, atque halitus è terra erumpentes repercutit, qui calorem augent. Postquam verò nix delapsa est, tum aër magistepet: vel quia Sol radios prius nubilo oppressos, jam liberius vibrat; vel quod nubes antea pendula frigore subiectum aërem infestabat. Ita quidem videtur Thomæ Anglo.

*De pluviis
porcentosis.*

Hic nihil addam de prodigiosis pluviis, de quibus tam multa alii scripsere. Nam & sanguinem, & lac, & lanam, imò & lapides pluisse, Historiarum monumenta prodidere. Refert Agricola anno 1534, in Sueviâ pluisse sanguine; ita ut vestes rubris & sanguineis crucibus tingerentur: idem in Germaniâ & Belgio anno 1501. contigit. Quoties Romæ lapidibus, & metallis pluit? haec partim fuerunt divinæ providentiae miracula, quorum tota ratio est omnipotentia facientis; partim etiam ex abditis naturæ prodiere. Vapores è terra rubra sublatos pluviam rubeo colore inficere posse multi arbitrantur, sed falso; nam vapores elati pristinum colorem exuunt, ut in aquis distillatis videre est. Nec aqua rosacea rutilum rosæ colorem servat. Quid igitur? an maculæ sanguineæ lapidibus ac parietibus adhærescentes, non ex pluvia, sed ex erucis oriuntur; quæ in papilioes abeunt, atque ubi spolia exuunt, guttas relinquunt sanguineas? Rem ita se habere clarissimus Peireskius anno 1608. observavit. Hinc cruentas illas maculas vix aquâ ablui posse, referunt historici, quod ipsa demonstrat experientia in illis papilionum excrementis; neque è cælo sanguineas guttas decidere, hinc constat, quod neque in ædificiorum tectis, nec ferè in oppidis: sed potius in agris, atque in foraminibus, in quibus nidulantur; neque in devexis, & cælo obversis lapidum superficiebus, sed in aversis, & concavis conspician-

tur. Sunt quædam ex illis guttis satis illustres, quæ aliquando assis magnitudinem exæquant. Neque inficias ibo vapores multis corpusculis terrestribus vel succis permisceri, quæ lactis, vel sanguinis colorem præbeant. Nam terrestria corpora usque ad medianam aëris regionem attolli posse, hinc jam ostendimus, quod vbi nix, vel pluvia resedit, in fundo vasis multum lumen liceat inspicere; imò & pili animalium grandinum granis inclusi visuntur. Sed de his jam nimis. Per pauca adderem de ventorum origine, nisi longius me esse proiectum, quam instuerat, jam pœniteret. Nescio enim quo pacto omnia ferè metteora, non solùm ex Cartesii mente; sed etiam ex Peripateticorum fontibus exposui: nec potui pauca nisi è multis feligere.

S I M P. Nihil est quod te pœniteat: res enim amplissimas, non jejuno quidem & exili stylo, sed tamen expresso, & contracto conclusisti. Hæc sanè ratio, & via docendi multum Cartesio aridet: hinc plerisque subobscurus videtur. Profectò affectata illa brevitas mirificè me delectat. Quid enim ineptius, quam flexuosis ambagibus res minimè obscuras involvere. Perge igitur, quofo te, de ventorum naturâ, & origine, quid sentias expromere. Quicquid dicturus es æquis & attentis auribus excipiemus.

M E N. Quid senserit Cartesius, quæque acceperim, ex sermonibus, collocutionib[us]que amici nostri, cuius ingenium acerrimum & prope omnium rerum capax meritò demiramus (nosti, mi Simplici, quem hoc elogio designem) paucis apertiam. Ventus nihil mihi videtur, quam aëris majorem locum affectantis agitatio. Hic communis sermonis consuetudine abutimur: aërem quippe dicimus corpus quod nec visu percipiatur, nec manibus contrectatur. Quamquam ventus ipse non tam aëris sit, quam vaporum agitatio. Neque utrumque confundimus, vaporem, & aërem; hic facilius comprimitur, ægrè dilatatur; ille cum ex aquâ prodierit multum explicatur, vix coarctatur. Ventus verò ex dilatatione proficiscitur, non aliter atque in æolipilis aquci vapores subiecto igne irritati, suis gyris majorem quatunt locum, atque in patentem aërem magno impetu per foramen angustissimum prorumpunt. Non dissimili modo vapores ex aquis, nubibus, atque humidioribus terris

*de vento-
rum origi-
ne.*

sublati, totum aëra exagitant; atque in eam maximè partem feruntur, vbi aér frigore vel aliâ de causâ densatus eos excipit. Cùm verò exhalatio tantæ dilatationis non sit capax, ventus non tam halitus erit, quàm vapor. Quòd ea sit ventorum causa, ex æolipilis ipsis colligimus: nam vbi incaluere, ventus ex iis tamdiu erumpit, quamdiu aqua supperit. Sic plerumque ex antris spirant venti: aliquando ex imo mari prodeunt: interim per terræ meatus difflantur, ac sàpè post terræ fremitus spirant. Hinc liquet cur venti, ac procellæ sint in mari, quàm in terrâ majores; quòd vberiorem vaporum copiam mare suppeditet. Exhalationes verò quæ è terrâ erumpunt, non tantum valent, nec tantam sustinent dilatationem. Iam cur ortivi plerumque venti sub ortum Solis, occidui spirant vesperè? Ratio in medio est, aërem noctu condensatum Sole exoriens dilatat, & vapores vberiores excitat, qui vtrinque in partes Soli oppositas cidentur. Vesperè & sub occasum Solis venti qui in nostras partes reflant, occidui; qui verò in eas regiones ad quas Sol accedit spirant, ortivi dicuntur. Cùmque aér continuo fluxu in occasum labatur, sive id telluris motus, sive diurna cæli efficiat conversio: palam est cur ortivi venti sicciores & vehementiores existant. nam dupli impetu aët propellitur, ac vapores subinde disjicit, nec coalescere permittit; sed occidui motu in contrarias partes nitente nubes sistunt, & condensant, hinc imbriferi sunt & humidiores. Huc accedit quòd aér noctu densatus Orientales ventos majori impetu ruentes excipit. Siquidem sola aëris compressio ventum persæpe efficit. Sic nimbus cadens magnum ventum excitat. Nonnumquam evenit vt nubecula delabens nullum sensibilem in patenti aëre ventum procreet; sed in caminorum tubis collecta cineres & paleas turbinet. Neque vlla, si bene conjicio, tempestatum ac turbinum causa afferti potest, quàm nubium è sublimi aëre in terram lapsus: nam hinc copiosi imbræ, & vehementes venti oriuntur. Densatæ quippe nubes dant pluviam, & suo lapsu aërem exagitant, non secùs ac si velut expansum ad terram identidem allideres. Hæ quidem procellæ in mari & crebriores sunt & magis pertinaces. Nam maxima vaporum copia ex mari erumpit, & quo nimbi sunt vel densiores, vel graviores, hoc majores excitant procellas.

Verùm

Verūm vnde iam incertæ sunt ventorum tum vicissitudines, tum etiam affectiones? Ventus enim ex eodem spirans loco, nunc siccus, nunc humidus existit. Numquid humidior erit si ex proximo lacu, siccior, cùm ex arenoso loco perflaverit? Quare in Ægypto Auster, qui ex Africæ arenis nascitur siccissimus est, nec pluvias cogit. Numquam adeò, vel raro in Ægypto pluit, nam qui à Meridie flat ventus siccus est, nec vapores ab Oceano Australi ortos potest è adducere, quia priùs dissipantur, quām in Ægyptum perveniant. Boreales quidem venti, à Mediterraneo mari spirant, sed frigidiores sunt, & ferociores, quām vt vapores densare queant. Addunt nonnulli igneos spiritus ex Ægypti solo continentem etrumpere, qui nubes concrecerent non sinunt. Indicio est soli fertilitas, vel corporum sepulcrum quædam incorruptibilitas, necnon diuturna incolarum vita. Iam vt ad eam partem sermonis, ex quā egressi sumus revertamur, sicciores venti vaporibus terrenis, qui multo aëre & halitu abundant, humidi verò aqueis constant. Tantam porro inæqualitatem ventorum causæ propè innumerabiles efficiunt. Multi credunt variam Lunæ illustrationem non parum in procreatione ventorum momenti obtinere. Vt taceam de calore subterraneo, montium, & vallium asperitate, & diverso cavernarum situ. Nonne hæc atque alia penè innumera tantæ ventorum inæqualitati sufficiunt? Quocirca vbi omnes, vel plurimæ ex his causis desunt, venti magis uniformes, & æquabiles spirant. Vnde illud amplissimum mare, quod ad Austrum dirigitur, Pacificum dixerat, non quòd tutum sit à temperatibus, sed quia illud minus irregulares venti perflant. Non omittam quosdam ventos penè anniversarios existere; vt in nostris regionibus Etesias, seu Boreales, qui quotannis post æstivum solstitium ferè spirant. An forte Sol vbi ad tropicum Cancri pervenit, ex locis Aquilonaribus vapores educit copiosos, quos efferre non potest, cùm versus Austrum longius abscedit? Sic verno tempore procellæ sunt crebriores, quòd Sol ad Boreales plagas nubibus, & nivibus opacas, tum declinet, & magnum vaporum proventum sursum tollat, qui nocturno frigore statim densantur; sed diurno egent calore, quo dilatari queant, & in ventos difflari: quare tum temporis ven-

H

ti Boreales & ortivi dominantur. Iam ne longior sim, dicā cur circa oras maritimas, ventus de die à mari flare soleat; noctu verò à terrâ: hæc enim calorem pertinaciūs retinet, quæ aqua, vnde propter calorem illum superstitem, terra etiam noctu vapores ventis procreandis suppeditat, qui quidem venti ad mare diriguntur, quod ibi nocturno frigore aët condensetur. Sed de ventorum origine satis supérque dictum puto: nec tibi, mi Theophile, quantum ex vultu intelligo, magnopere probantur.

*Cartesii
pinacis ex-
pediuntur.*

Tu. Non adeò morosus sum, vt omnes Cartesii, vel aliorum recentiorum opiniones, quæ bonas, quæ malas infester: sed nondum ita me comparavi, vt tanti viri decretis, vt inconcussæ fidei oraculis planè acquiescam. Sæpe vſuvenit, vt illius inventiunculæ excusæ risum habeant, quæ inventæ facie ingenii blandiuntur. Iam vt contentiones, quantum potero, minuam, salis atomos rigidas, aqueas verò esse flexiles; nubes, pluvias, & alia id genus meteora, eo ferè modo fingi, atque exposuisti, non invitus concedam. Nisi quod substantiam illum ætheream adeò subtilem minimè arcessendam putem, vt explicemus modum, quo glacies concrescit: vel guttae pluviarum congregantur. Mallem equidem ire in Francisci Vallæsi sententiam, quæ existimat sp̄itum igneum, per fluida corpora diffusum, illius fluiditatis causam existere. Siquidem metalla ignitis particulis agitata liquantur. Tum igitur aqua, & cæteri liquores congregantur, cùm calidæ atomi præ frigore expelluntur. Nec multum diversa est doctissimi Fabry opinio, quæ putat ignitas particulas præ nimio frigore, in primâ aquæ superficie dividī: hinc ne quid inane remaneat, partes aquæ contrahuntur, atque superstites ignis atomos impli- cant: vnde aqua purissima, si quæ foret, non posset congelari, ut nec vini spiritus, qui vberiore igne abundat. Aqua jugiter fluens, non facile conglaciatur: nam petens motus contraktionem partium arcet, & novas subinde ignis particulas sibi comparat: eâdem ratione salis corpuscula nativo calore frigori resistunt. Hinc denique glacies levior efficitur, nam poris & foraminulis magis hiat, majorem adeò exigit locum. Illam esse intumam congelationis causam pertinaciter tueri no-

lum: est certè verosimilis. Postremò nobilissimi Digbæi sententia non abhorret à vero; terrea, sicca, & exigua corpuscula aquam subire, penetrare, dividere, ac poris demum suis imbibere, cùmque plena & sativa fuerint, eorum lateribus reliquæ liquoris, vel aquæ particulae adhærescunt, adeò ut glacie non aquæ rarefactione, vt vñsum est Galilæo, sed potius condensatione, & novorum corporum ingressu concrescat. Majorem quidem locum aqua conglaciata obtinet, & videatur quasi intumescere, quòd novi spiritus accesserint, qui cùm sint aquâ leviores, nihil mirum, si glacie in aquâ non deprimi, sed magis extare videatur. Circa vasis latera dehiscit, vt viam novis atomis aperiat, quæ aquam altius congelabunt. Hinc qui aquam æstate conglaciant, nivem, vel glaciem, cum nitro, aut sale ammoniaco permiscent, vt salis calor cum siccitate conjunctus frigidas nivis partes protrudat, quæ subeuntes aquam lagenâ vitrâ conclusam sensim congelant. Nix forte non dissimili modo concrescit, nisi quòd in nive aquæ corpuscula magis distrahuntur, in glacie sunt confertiiora. Pluvia in guttas congregabatur, quòd ab ambiente aëre stillicidia vndique premantur æqualiter. Nubes verò in medio aëre sunt pensiles; non quòd continuo vaporum ascensu veluti fulciantur; sed quia æqualis sunt cum medio aëre ponderis. Illud quippe staticæ leges exigunt, vt corpora quæ sunt leviora, liquidis immersa sursum tollantur. Quare nubes eo sublimius effteruntur, quo sunt leviores. Sunt quidem aëre opaciores, sed non continuò graviores; vt lignum aquæ impositum extat, quam tamen opacitate vincit. Quòd autem insimus aér, & densior, & gravior superiore existat, refractiones siderum, vbi horizontem stringunt, apertissimè demonstrant: siquidem sereno & tranquillo cælo 34. minutorum refractionem patiuntur, tum cùm oriuntur, vel occidunt; sed vbi ad 30. graduum altitudinem pervenere, tum ab omni refractione sentibili libertantur. Dixerit aliquis, nubes vaporibus & pluvia grava i-
psum aërem densitate superat, & pondere. Id verò non concedo, donec nubes frigore constricta pluvia guttas exprimat. Hinc *solutio* nubes vaporibus & pluvias factæ longè sunt depresso, quàm sumi terreni, qui usque ad supremam aëris regionem effera-

tur, & ultra 50. millaria descendunt, ac crepusculorum faces ascendunt. Media vero aëris plaga non ultra 4. millaria porrigitur: hucusque enim vapores evehi possunt, ac tantum ferè altitudinis Aetnae vertici perpetuis nivibus obducto tribuit Abbas Maurolycus. Sunt quidem alii in Peruvia montes longè sublimiores, quorum juga nulli vapores obnubilant. Cùm igitur nubes nobis finitimæ vix ultra dimidium milliare, vel 500. passus à nobis distent, (vt norunt ii qui Alpium, & Pyrenæorum juga descendere) necesse est mediæ regionis altitudinem trium ferè milliarum cum semisse existere: non enim ultra 4. millaria vapores ascendunt, aut nives concrescunt. Sed de his haec terius.

De ventorum causis, & naturâ. Nunc videamus quæso, quid tandem novi de ventorum origine Cartesius attulerit. Diu est quod Seneca nos docuit edi è specu ventos, recessuque interiore terrarum: tametsi non putat hanc solam esse ventorum causam. Addit aquarum, terrarumque evaporationes; ex his gravitatem aëris fieri, deinde solvi impetu; cùm quæ densa steterant, vt est necessè, extenuata nituntur in ampliorem locum. Sed nimium ingenio indulget suo, cùm docet aërem se ipsum movere, atque in aëre, vt in aqua esse quiddam vitale, omnis motus principium. Modò, inquit, aëris spissat se, modò expandit & purgat: aliàs contrahit, aliàs diducit: hócque interest inter aéra & ventum, quod inter lacum & flumen. Quid enim ventus nisi aëris fluens impetu, aut cursus aëris aliquò concitatior? Hanc certè definitionem non aspernamur: sed quid illum impetum procreat? negamus aërem vivere, neque id ullâ ratione probari potest. Quid igitur aërem incitat, nisi exhalatio multo vapore permista? nec tamen sola ipsius halitus dilatatio majus spatiū affectantis, ventum ciet: nam exestate vehementiores flarent venti, quam vere, & autumno: siquidem quo radios in terram rectiores Sol jaculatur, hoc aërem, & vapores magis extenuat. Quod si solâ rarefactione, vel condensatione ventus procreatur, necesse est vt in omnes simul partes spiret; quandoquidem aëris in orbem diffunditur. Hanc igitur vaporis, vel halitus extenuationem esse quidem in parte, sed non solam ventorum causam existimo. Nec mihi quotundam Peripate-

ticorum sententia arrider, exhalationem sursum nitentem nubium objectu repellere, quæ cùm præ levitate non possit descendere, nec sursum efferri, in transversum movetur. Quod si irascerit, necesse est ut ipsas nubes singamus tamquam corpora solidæ, quæ exhalationem adeò fortiter reflectunt: neque in eamdem, sed in omnes partes venti resilient. Huc accedit quòd media aëris regio longè foret gravior & solidior infimâ. Quæ igitur causa hunc vento motum imprimit? numquid terra pulmones cum Keplero, vel Angelos cum Bodino obrendemus? Kepleri & Bodini sententia refeluntur. sed alterum vanum est, ac fabulosum; alterum Philosopho indignum videtur: tanta quippe ventorum inæqualitas causam habet minùs constantem & certam: atque ut flumina naturali impetu labuntur; sic motura aëris à causâ naturali proficiuntur existimare par est. Non inferior tamen creaturam visibilem per spiritus invisibilis regi: verùm alias his rebus causas & propiores, & magis cognatas inquirimus. An singulis ventis, qui provinciales dicuntur, & in certis regionibus spirant, singulos quoque Angelos, quasi prefectos tribuemus? Sed, inquiunt, dæmones plerumque solent, & ventos, & tempestates excitare: sic magi vnde libuerit ventos evocant. Addit Bodinus, quòd si cadaver ex Ægyptiorum sepulcris erutum navibus aliò transvehatur, violentissimæ tempestates tamdiu navem jactant, quoisque vel demergatur, vel cadaver in mare projicitur. Vnde qui Alexandriâ solvunt nautæ scrutantur onerarias naves, ne forte quis mumiam imposuerit. Hæc atque alia id genus persuadent quidem multum Angelis, & dæmonibus licere in hæc inferiora, ac ventos posse vndeque excitatResponse.

multa extra naturæ ordinem operari: sed eos esse ventorum impulsores, & quasi æolos, vix homo sanæ mentis crediderit. Quid ergo ventos ciet? numquid ut placet Aristoteli, exhalatio sursum sublata à sublimi aëre versus occasum cæli vertigine abripitur, & obliquè detorquetur? At necdum satis constat sublimem aërem primi mobilis conversione rapi: neque facile concipitur, quâ hoc fieri possit. Altissimorum certè montium vertices nullo inquietari vento compertum est. Accedit quòd omnes venti ab ortu flarent, ac nubes in occasum propellent. An forte nobis in Fromondi sententiam concedendum

H iij

opinio Ariostelis perfringitur.

est, quā putat ventos in terram suo pondere delabi? At ventus non adeo gravitat, vt tanto impetu præceps ruat: maximè cùm præ levitate suā sursum sublatus fuerit. Vnde ergo tantum virium sibi conciliat, vt arbores altis infixas radicibus evellet: id nobis discutiendum est. Sive ventus exhalatio quædam sicca, sive humidus vapor censatur; vel quod mihi magis placet, exhalatio sit vapore permista: suā quidem levitate hunc crassum aërem perrumpit; sed mediæ regionis frigore densatus, instar torrentis confertim fluit. Non quidem, vt imber, cadit ad perpendicularium; inferior enim aëris resistit; sed movetur in transversum, hoc validius, quo major fuerit exhalatio. Nam quæ sequitur præcuntem vrget, & instar fluctuum alia aliam pellit. Hinc saepe venti vires acquirunt eundo: quo enim plures imprimitur ictus, eo magis crescit impetus. Sed tamen cùm longiorem tractum decurrunt, pars melior exhalationis plerumque dissipatur. Qui ex altiori loco decidunt, longius promoventur. Ventus Borealis cùm densior sit, & gravior, quasi rectâ deorsum propellitur. Non raro ferocior est Austro: nam saepius actiori frigore densatur. Auster verò, nisi imbris sit gravis, levior est Aquilone & magis in obliquum fertur. Hinc cessante Austro, fluctus quos excitavit, non statim subsidunt: quemadmodum æstus quos Aquilo commovit, qui subito sternuntur, vbi ventus resederit. Nam Aquilo vehementior quidem est, sed deorsum ruit: non item Auster, qui fluctus ex transverso perstringit. Saepes tamen evenit vt ventus proprio pondere in terram præcipitatus, non statim frangatur; sed resiliat, vel propter impetum quem sibi acquisivit, vel quod una exhalatio aliam vrgeat & insequatur; vel denique quod crassior sit aëris terræ finitus, quem non facile perrumpit halitus ventosus. Nonnumquam in contrarias partes ferruntur nubes: nam qui leviore halitu constat ventus, sublimiore est, nec facile delabitur. Contingit aliquando vt infimum aëra ne minimus quidem ventus sollicitet, cùm tamen eodem tempore nubes celerrimè promoveantur. Horum omnium una est communis causa, quam subinde attigimus: major aëris inferioris densitas, quem idcirco levior exhalatio non gravat. Quo verò aëris magis densatur, eo minus vaporum minutissimæ


atomi in vnum coire queunt. Hinc flante Aquilone cælum serenum esse solet: sed ubi Auster spirat, tum aër calore laxatur, & vapor resolvitur; in maiores adeò globulos colligitur. Ille est salubrior, quod poros adstringat, calorem nativum contineat, nec facilè exspirare patiatur: sed flante Austro caput gravedine laborat, quod corporis meatus subtili & calidae exhalationi pateant, quæ humores fundit. Non easdem tamen ubique terrarum qualitates venti obtinent: nam Aquilo pluvias ac nubes vehit, cum à mari, vel lacu vicino spirat: Auster in Africa serenus est & siccus, quod prodeat ab arenosis terris. Illud etiam constat, tenuem quamdam auram à mari, & magnis fluminibus excitari: nam Sol vapores citius quam exhalationes educit. Huc accedit quod aët fluentis aquæ motui obsequitur. Sed cur venti solent maximorum circulorum arcus decurrere? an quod brevissimam affectant viam, quæ in sphæra superficie est arcus circuli maximi? cur in unam potius partem, quam in alteram spirant? an forte id ex situ spiraculorum, ex quibus erumpunt, vel ex aëris resistentiâ dependet? quare alii sunt graves, alii leviores, nonnulli pluvias vehunt, alii cælum serenant, quidam salubres, alii sunt insalubres? hæc quidem dependent è terrâ, ex quâ educuntur, quæ si humida sit & frigida, densiores; si calida & humida, copiosos; si siccior, leviores procreat ventos; item ex calore qui hos vapes effert, qui quo fuerit intensior, crassiores halitus educit. Denique venti eam fortiuntur naturam, quæ materia, ex quâ producent, convenit. Postremò minuta illa corpora, quæ vel radiis solatibus, vel calore subterraneo turmatim prorumpunt, in ipso itinere alia offendunt corpuscula, cum quibus sæpe consociantur; quæ si fuerint humida, frigidioris venti occursu in nivem, aut grandinem densantur. Si ventus siccior fuerit, imminenter arcet pluviam; nisi major sit vaporum copia, quam ut à vento exsiccari possint, tum enim pulvis ille cum impetu protritus, quem ventum dicimus, initio cum humidis vaporibus fœdere in pluviam concrescit, atque effuso imbre ventus concidit.

De ventis anniversariis nihil necesse est dicere. Eretas vocant, qui à estate à Septentrione quotannis flare solent; sive con-

cuisse magno calore nives (ut cum Seneca loquar) plus vaporis efflent ; sive quod terra exonerata nivibus, retectaque spirent liberiūs : nam probabile est spiritum nivalem sursum efferri , & frigore densatum recidere : quare Etesiarum ab Aquilone fatus in Meridiem dirigitur , quod ibi aërem solutionem , & calorem jam dilatatum offendat. Neque alia mīhi succurrit ratio , cur in zonā torridā Subsolanus ab ortu in occasum indesinenter spiret ; nam eō ventus incumbit , quod liberior exitus invitat , & loci laxitas : nocturno quoque frigore aër condensatur , quem Sol exoriens dilatat , ac novos subinde vapores attollit , qui quarunt quod diffluant , & eō potissimum exeunt , vbi plurimum vacui est , & magna , & patens area. Agnoscitis Senecæ verba , quæ facile est traducere ad perennem illum motum explicandum , quem in zonā torridā ab ortu in occasum flare experiuntur : nisi si quis fortè velit cum Keplero , & aliis Copernicanis insanire , hunc que ventum terræ motui referat acceptum. Terra , inquit Keplerus , in illis regionibus velocissimè rapitur ab occasu in ortum ; nec tam celerem motum aër consequi potest ; vnde in contrarias partes videtur refluxere. Quidigitur causæ est , cur circa vigesimum septimum gradum latitudinis Favonius ferè indesinenter spiret ? Crediderim potius Solem ex his locis vapores continentē attollere , qui Sole recessente in ventum difflantur , hic ultra vigesimum septimum gradum occursum litorum resilit ; hinc Favonius decem subsequentes gradus occupat. Quod verò Thomas Anglus ex illo æquabili motu æstum Oceani deducat , vix adducor ut credam ventum tam leniter fluentem totum Oceanum abripere , qui occursum litorum ad Orientem refluxat. Majores certè æstus sub æquatore , quam versus polos contingerent : cur vnâ ferè horâ tardius recurrerent ? Quod additum mare ab extrariâ causâ agitari , quia observatum est in locis non admodum profundis infra sextam orgyiam contineri ; adeò ut inferior aqua quiescat , & placida ; id si verum est , causa quam ex terræ libratione , mi Simplici , duxisti , non parum vacillat : sed longius excorro.

Iam quæ restant decurramus : diu noctuque in easdem partes perflat ventus , quod Solis motum consequatur : nam Solis

Ils calor, quod s̄epe dictum est, vicinum aērem dilatat ; laxatus aēr exhalationem ad se invitat. Nihil addam de procellis quas Ecnebias vocant; nihil de turbinibus. Ecnebias nihil est quām sp̄itus ē nube disruptā ruens; acer est, & vehemens, quōd non fusus, nec in apertum veniat, sed laborat, & iter sibi vi, ac pugnā parat. (non ignoratis vnde tam magnifica verba depromam) Ventus verò circumactus, & eundem ambiens locum, & se in ipsā vertigine concitans, turbo est. Nam vt flumen incurrens in aliquod saxum, retorquetur, & in orbem aquas sine exitu flectit, sic ventus quandiu nihil obſlit, vires suas effundit; sed vbi aliquo promontorio repercuſſus est, aut in tenuem canalem collectus, ſepiuſ in ſe volutatur, ſimilēmque aquis facit vorticem. Quōd si pugnacior est, ac diutiū volutatur, inflammatur, & efficit quem ~~enīm~~ Græci vocant: hic est igneus turbo. Neque alia est, vt mihi videatur, fulminis & tonitri causa, de quibus continuo agerem, niſi eſſet à ceteris separata ratio: hanc quippe ad ignita meteora pertinent.



CAPVT QVARTVM.

De ignitis meteoris.

- I. De fulguris, fulminis, & tonitri naturā, causis, & effectibus. II. De reliquis imprecisionibus ignitis differitur.

MENANDER.

 Et sanè quamquam diversarum rerum quādam vicinia; ſive enim Ecnebias ſit ventus ſiccā nube excuſſus, ſive ſit nubes magno impetu cadens; non aliter ipsa fulmina, & fulgura procreantur. Quid enim fulgur, niſi exhalatio fulfurea nubibus intercepta, & superiorum nubium caſu, vel agitatione inflammata? Superior quippe nubes calore ſolvit, atque in inferiores non ſine magno ſonitu ruit, eoque in maior est fragor, quo nubes ſunt crassiores. S̄epe evenit, vt De fulgere fulmine, & conſtru.

exhalatio inflammabilis copiosa quidem sit; sed non satis densæ sint nubes; tūmque citra tonitru mīcant fulgura. Contrā accidit, si densis, & solutis nubibus exhalatio sulfurea, & nitrosa desit: tum enim tonat quidem, non fulgurat. Fulguratio, ait tuus Seneca, mi Theophile, est latē ignis explicitus: fulmen est coactus ignis, & impetu jactus. Nubium in se compressarum angustiæ medium spiritum emittunt, & hoc ipso inflammant, & tormenti modo ejiciunt. Quapropter fulmina exploduntur fermè, vt turbines: nisi quòd turbo est cruda exhalatio cum nubibus in terram demissa, & sursum non sine magno impetu reflexa, quæ obvia quæque contortâ vertigine turbinat: sed fulmen exhalatio quidem est inflammabilis, quæ nubibus intercepta, & constricta, sape in lapidem concoquitur. Siccas quippe, & terrestres partes in median aëris regionem attolli, & in fundo vasis vbi diutiùs pluvia resederit, terrenas facies conspici, jam subinde monui-
mus: quæ quidem cum nitrofis, & sulfureis fumis permixtae, & incensæ, in lapidem abeunt. Quid igitur mirum, si acres, oleosæ, & terrestres particulae, in nube tamquam in fornace decoctæ, lapidem ceraunium conflent: tametsi nemo ex veteribus, ante Avicennam, hujus lapidis merwinerit. Ex quâ igitur materiâ fulmen cuditur, nisi ex terrâ, nitro & sulfure? Communis quippe est pulveris pyrii, & fulminis materies; utriusque effectus omnino sunt similes. Quocirca nubes ca-
va instar tormenti erit, cuius claustra dum sulfurea exhalatio disrumpit, & tonitru, & fulgur, & fulmen efficit: fulgu-
ratio ostendit ignem, fulminatio emittrit; illa comminatio tan-
tum est, ista jaculatio cum ictu; nec naturâ, sed impetu distant.

*Quare ful-
men in ter-
ram dejici-
tur.*

Enimvero multa nos abeentes retrahunt. Primum quî fieri possit, vt sola fulminis flamma tanto impetu in terram usque dejiciatur? non enim flamma è tormentis bellicistam longè prorumpit. An forte exhalatio illa viscosa est, & tenax, nec facile dissipatur, quòd non sulfurea modò, sed etiam bituminosa sit? Sulfur quidem ipso odore se prodit: bitumen vero non abesse hinc conjicimus, quod in aquâ non extinguatur. Multa profectò in chymicis operationibus, fulmini non dissimilia intuemur; nam calcem auri fulminantem,

atque ingenti strepitu deorsum nitentem præparat: ut nihil dicam de croco antimonii, quem per detonationem eliciunt. Sic vbi *as* Cyprium in purum excoquitur, si antequam perfectum fuerit, aliquantulum aquæ injecteris, prorumpit excavatio, non sine magno strepitu, ac prosternit quidquid attigerit. Sed quare fulmina deorsum potius, quam sursum vibrantur; nam aët infimus, densior cùm sit, plus resistit? An quodd in illo conflitu densata nubes, vel confertus imber è sublimi aëre ruens fulmen deorsum præcipitat? juvat etiam inquirere, cur fulmen alta quæque feriat; cur aliquando illæsa vaginâ ferrum fundat; cur dolia intacta fulmine exhauiantur? Excelsa quæque fulmine ieiuntur, quodd non rectâ deorsum; sed ex obliquo fulmen demittatur: unde excelsa quæ sunt, sèpius ex transuerso occurrunt: nubes quoque in mediâ sui parte facilis disrumpitur, cùm turris, vel montis cæumen subest, quia plus ibi resistitur.

Ceterum non eadem semper est, & viuismodi exhalatio, quæ fulmen accedit: si pinguis fuerit, & oleosa, mollia tantum corpora adurit; si penetrans, & subtilis, cedenti materiae parcer, obstantia quæque perfringeret. Sic aqua fortis dissolvit metalla, non ceram, vel lignum. Exhalationem verò ex quâ fulmen cuditur, multum nitri, ac salis volatilis continere, jam identidem monuimus. Nihil igitur mitum, si manente vaginâ ensis liquefacit; vel inviolato ligno circa pila ferrum onine distillat; aut loculis integris confertur argentum. Illud mihi majori est miraculo, quodd fracto dolio vinum incrusteret, ac tam citò fæcem vini exsiccando, corticem obducatur; aut ipsum vinum conglaciet. Stat, inquit Seneca, in dolio vinum: nec ultra triduum rigor ille durat. An forte spiritus nitri vinum congelat? Iam enim notum, & petyagatum est, quod nitrum glacie contritâ permistum, ac lagenæ vitreæ obductum, aquam lagenâ inclusam conglaciatur. Rationem idoneo loco redidimus. Iam unde tantus tonitru fragor? An quodd in nube humidâ extinguatur ignis: nam ne ferrum quidem ardens silentio tinctur? Sed tamen ferrum aquâ extinguitur, stridentem edit sonum, non tonitru bombum. An forte ex nubium collisione, vel exhalationis inclusæ lucidae, & ignis accenditur;

varii ful-
minis effec-
tum.

& tantus fragor exoritur. Sic lauri, & juniperi folia, vel castaneæ non incisæ, atque alia id genus, non sine stridore incenduntur, quod spiritus conclusus, & rarefactus, magno impetu corticem distumpat. Quod si ita sit, non sola collisio, sed etiam nubium scissio tonitru sonum facit; præsertim cum vehementius crepat. Talia, inquit Philosophus jam sæpe à nobis laudatus, eduntur tonitrua, cum globata dissolvitur nubes, & spiritum quo distenta fuerat, emittit. Exemplum illustre habemus in pulvere pyro, qui in tormentis rarefactus, magno fragore erupit.

• viettio.

T H. Assentior plane, neque unum vni tam est simile, quam tormenti & tonitru sonus: verumtamen non resonant mollia, nisi illis duris; nec auditur fluctus nisi impetus. Iam quid nube ipsa mollius, quid ipsi cum ferreis, vel æneis bombardis commune?

• sollio.

M E N. Tametsi nubium materia non sit ferrea, stringit nihilominus spiritum accensum, qui sibi vi atque impetu parat viam. Non dissimile quiddam videmus in fodinis carbonariis: nam halitus bituminosus, si forte in facem accensum incidet, magnum edit strepitum; nec tamen ad durum corpus alliditur. Multum etiam confert aëris flagellatio: quid enim sonus nisi iactus aë? Cum vero nubes, non subito, sed paulatim effringitur, tum stridentem emitit sonum, non aliter ac si pannum disrupteris. Cum denique per nubem crassiorem exhalatio discurrat, tum grave murmur auditur: quando enim spiritum intra se clausere nubes, in concavis partibus carum volutatus aë similem agit mugitibus sonum. Nec demum inficiari possum nubium lapsu, & tonitru, & pluvias pliores effici: nam ubi major crepus insonuit, largior imber effunditur. Quid vero est causa cur fulmen obliquè feratur? An quia natura ignem sursum vocat, iniuria deorsum premit (non potui hanc Stoici vocem omittere.) Interdum neutra vis alteri cedit, & ignis in superiora nititur, & in inferiora deprimitur; unde, ut jam dictum à nobis est, frequenter cacumina montium feriuntur; quia opposita sunt nubibus, & è cælo cadentibus per haec transcedunt est. Fervidis & æstivis diebus plerunque fulminat,

quod oleosa, & pinguis materia, non nisi calore vehementiori attolli possit, ut videre est in distillationibus chymicis, vbi spiritus volatilis, & phlegma leni distillatione prolixiuntur; olea vero non nisi aucto igne extrahuntur. Celerrimam rarefactiōnem velocissima nubis, & vicini aeris compressio sequitur: hinc ingens oritur sonitus.

T H. Iam si placet quām brevissimē poteris, de reliquis impressionibus ignitis perge dicere: ista enim omnibus sunt obvia, nec longam exigunt disceptationem.

M E N. Sequar quō vocas; cūmque omnia ferē meteora, quae calore accenduntur, ex eodem fonte manent; nempe ex pingui & fumo halitu: satis fortasse fuerit de his in vniuersum dicere. Communis quidem eorum materies halitus est pinguis, & viscosus; sed quo incendatur modo, non ita est in promptu. Volutatio spiritus in nube conclusi valentissimum est accendendi genus. Hinc fieri potest, ut violenta agitatio vaporē ab exhalatione, ut serum à butyro fecernat; cūmque copiosa est exhalatio, & tenuis vapor, ac nulla nubes sub obtutum cadit, sulfureus halitus facilē sese expedit à vapore, & sine crepitu in stellæ, aut globuli ignei modum, è cælo in terram præceps ruit. Idem ferē hic, quod in pyrobole accidit, nisi quod stellæ cadentes nullum vehementiorem edunt sonum, sed non sine magno strepitu charta toties replicata, & adstricta, perfringitur. Huc accedit quod pyrobole sursum nitantur, quia materia paulatim accensa ampliorem exigit locum: nec deorsum potest tendere, vel quod apposita obster virgula; vel quod projiciens impetus sursum ire compellat.

Stelle difurrentes simili ferē modo non in supremâ aeris regione, sed proprius terram incenduntur; videntur discurrere, quod aer hi exhalationibus sit refertus, & accensus halitus, pabuli sui venam sequatur. Interim velut igne continuo torum iter signant, quia visus nostri tarditas non subsequitur momenta currentis; sed videt simul, & unde exilierit, & quod pervenerit. Pleraque ejus generis meteora tempestates prælagiunt: significant enim aera infici multā exhalatione. Hinc postquam atrox tempesta sæviit, ignes ejusmodi navium malis adhaescunt; nec verisimile est ex fluctu

*De stellis
cadentibus.*

*De aliis
impressioni-
bus ignicis.*

bus maris inter se collisis eos procreari. Crediderim potius vaporem vi tempestatis abripi, halitum solum pinguem & viscosum esse superstitem, cuius flocci per aërem volitantes aliquando obviis navium malis tenaciter inhærent, atque ipso motu incenduntur. Interim unus dumtaxat apparet; hunc veteres nautæ Helenam dicebant, & tempestates portendere arbitrabantur: si duos conspicerent, Castoris, & Pollucis nomine eos insigniebant, felioris, ut putabant, ominis. Nunc temporis nautæ secùs augurantur, & quo plures conuentur, eo maiorem fore tempestatem conjiciunt.

Quid necesse est hic de Dracone, Caprâ, Clypeo, & aliis bene multis, quæ figurâ tantum, non naturâ distant, fusiùs differere? Quando exhalatio aëcensa in mucronem acuitur, pyramidem dicunt: si teres sit, & cylindrica, columnæ; si latiori fastigio scintillet, facis: si rotunda sit & plana, clypei; si oblonga, & transversa, trabis; si media partes intumescent, Draconis nomen sortietur. Quòd si globus igneus circum se floccos penfiles, instar lanæ præferat, ac saltu incondito lasciviat, Capræ saltantis nomen obtinebit: tenuis quidem exhalatio hos efficit flocculos. Stipulae dicuntur, cùm globus igneus non apparet, sed exhalatio latè dispersa incensarum stipularum speciem præbet. In quâ porro aëris regione hæc meteora accendantur, difficile est decernere. Nam vix adducor ut credam, non alibi quâm in supremâ aëris regione illa generari; cùm nulli vapores eò descendant, nec sublimem aëra vllus ventus exagit: quo igitur modo exhalatio ibi accendi poterit? Sæpe hæc incendia ad terram usque pervenient: non longè igitur à nobis procreantur. Cæterum cùm ignes illi aërei in materia tenui & subtili insideant, facile extinguntur: nam si crassiori adhærent materia, subito decidunt, nec proprio renitente pondere, in sublimi aëre diutius suspendentur. Quapropter cometas, imò & trabes, quæ aliquamdiu perseverant, (qualem se vidisse Aquis Sextiis, anno 1637. ab ortu in occasum prætervolantem testatur Gassendus, quæ eodem tempore per totam Occitaniam visa est) nec terrenis halitibus constare, neque in ipso aëre efformari mihi persuasum est. Sed de Cometis aliâs pluribus.

*Vbi hec me-
tae gene-
runtur.*

Quod ignem fatuum attinet, plerique existimant nihil esse, Dr. ignis fa-
quam halitum pinguem, & tenacem, nullo igne flagrante: inno.
sed instar lampyridum, vel ligni putridi lucentem. Ioannes
Fluddus sealiquando hunc ignem assecutum fuisse testatur, ac
comperisse illius materiam non igneam, sed viscosam, lubri-
cam, & candidam, nigris maculis inspersam. Alii aliter sen-
tiant, nec probabile putant, materiam adeo crassam nullo
igne accensam, in aëte tamdiu pensilem fluctuare. An Fluddo
tanta fides debetur, quem ubique ineptire Philosophia Mosai-
ca, titulo superba, re inanis satis demonstrat? Fieri etiam po-
test ut stellæ cadentis reliquias pro igne fatuo, manibus conte-
staverit: nam illæ sunt viscosæ, & lubricæ, ut experti testan-
tur. Ejusmodi ignes circa coemeteria, paludes, & cloacas
frequenter discurrent; quod ex pingui halitu prodeant. In
flumina deducunt insequentes: quia secundo flumine tenuis
aura spirat, & contiguus aët ab aqua fluvii abripitur. Hinc
ignis fatuus insequentem fugit, & fugientem insequitur:
nam locum à moto corpore relicturn occupat, & aëris fluxui ob-
sequitur. Æstate & autumno, imò & in regionibus fervidis
crebriores visuntur; quod pinguis humor non nisi magno Solis
ardore elici, & digeri queat. In præcipitia sepe deducunt;
nam ibi aër instar vorticis volvitatur. Substant in aëre, quia
fluctuantem aëra pro vehiculo habent; vel quod à nocturno
frigore, aut ab ipso tore cadente deprimentur, atque ingenitâ
levitate resiliant. Ignis denique lambens nihil est, quam spiri-
tus tenuis, & pinguis, qui equorum sudantibus jubis insi-
det; vel circa hominum tempora, tamquam spiritus vini te-
nuiissimus accenditur: neque viri tamen, propter raritatem
maximam. Ex equis & felibus ejusmodi scintillas excuties, si
adverso pilo astricueris. Spiritus enim lucidos esse jam hester-
no colloquio demonstratum fuit. De mixtis imperfectis satis
ut opinor multa: reliquum est, ut de Iride, & aliis impressio-
nibus, quæ Emphaticæ, seu Apparentes vulgo dicuntur, quid
sentias, optime Simplici, explicare non graveris.





CAP V T Q V I N T V M.

De Iride, Coronâ, & aliis impressionibus
apparentibus.

- I. De loco in quo Iris efformatur. II. De illius figurâ, magnitudine, & coloribus permulta. III. De coronâ & aliis emphaticis impressionibus. IV. De coloribus qui per trigonum crystallinum apparent, variae mittuntur conjecturae, ac pleraque explicantur ejusmodi phænomena.

S I M P L I C I V S.

 *V* ID ipse de naturâ, & coloribus Iridis sentiam quæris, optime Menander. Res est tot difficultatibus obstructa, & tantis circumfusa tenebris; ut qui in eâ indagandâ tempus omne contriverunt, invenire se posse quod cuperent diffisi sint. *V*ide arcum, inquit Ecclesiasticus, & benedic eum qui fecit illum. *V*alde speciosus est in splendore suo. *G*yavit celum in circuitu glorie sue: manus excelsi aperuerunt illum. Nec igitur mirum, si hoc divinae manus miraculum mentis humanæ infirmitas capere non possit; cum minutissima quæque nemo comprehendat. *Q*uod non obscurè innuit Ecclesiastes; *I*ntellexi quod omnium operum Dei nullam posset homo invenire rationem, eorum que sunt sub Sole, & quanto plus laboraverit ad querendum, tanto minus inveniat. Illud sane cum in aliorum naturæ operum, tum maximè in Iridis contemplatione contingit, de cuius loco, naturâ, & coloribus, summa est inter Philosophos contentio. Varias ac dissidentes eorum sententias nunc referre non vacat, nec refellere: quæ ad veritatem magis mihi videntur accedere breviter attingam: neque ab eximiis Chambræi decretis discedam. Nemo quippe, sive recte judico, sive amore præcipui in Philosophia viri labore, hoc argumentum divinius pertractavit. Primum, quod Iridis locum attinet, plerique omnes Philosophi magno in errore versantur,

dum

dum putant illuc efformari, vbi se videndam præbet. Profet
Etò nubes non terfa est, & polita instar speculi; sed mollis &
inæqualis: adeò vt nec radios Solis reflectere, neque eos variis
possit coloribus tingere: præsertim cùm solà reflexione lumen
in colorem non degeneret. Radii quippe luminis in diversis
speculis, vel septies reflexi, nullum idcirco induunt colorem.
Denique Iris in arcum curvari nequit, nisi ipsa nubes instar
speculi concavi existat: adeò vt si vel minimum ab hac figurâ
desciverit, lumen Solis in arcum non flectat: atqui nubes nec
cavæ sunt, nec satis solidæ, vel continuæ, vt speculi vices ob-
eant. At, inquiunt, non solà reflexione, sed quâdam etiam ra-
diorum refractione Iris in nube toridâ & appetat, & gignitur.
Responso.
Quod si ita sit, non in extimâ modò superficie, sed in intimis nu-
bis penetralibus Iris conspicietur, siquidem radii refracti à recto
tramite deflectunt; sed tamen corpus ipsum penetrant, atque
vterius progreduuntur. Verùm quid ago, sanusne sum, qui
enixè labore in confutandâ opinione, quam visus ipse erroris
revincit? Quoties enim vidimus pluviam de cælo labentem,
vel arbores ipsas Iridis coloribus imbutas? quod ne concipi
quidem poret, si Iridem Sol in nube sibi oppositâ effingat. Quid,
cùm è montis vertice Iridis cornua in vallem usque demissa
conspicimus, an eò usque nubes decidit? Quid denique, cùm
nubem in quâ Iris depingitur interruptam videamus; num conti-
nuò Iris evanescit? Hæc sanè nisi mens fallit planè demon-
strant Iridem non in ipsâ nube, in quâ depictam intuemur; sed
in aliâ quâdam Soli viciniore non aliter effungi, quâm Irides
quæ radiis solaribus per trigonum crystallinum refractis in ad-
verso pariete delineantur; nam suis coloribus tingunt quicquid
interjacet. Nubes quidem Soli opposita est instar parietis, qui
suâ opacitate radios Solis refractos sistit, ac videndos præbet.
Quare non immerito concludit Keplerus his verbis: ergo ma-
teria aquæ, quæ inter spectatorem, & Solem est; seu pluvia
sit, seu peliucida nubes, seu nebula, (Vidi enim, inquit, Iri-
des & in nebula) hæc, inquam, format & figurat refractiones
radiorum Solis: quæ post spectatorem est, ea excipit hos radios
Solis refractos. Nubes verò superstans obumbrat locum, & ra-
dios Solis directos avertit, vt colorati radii cerni queant. Ita-

que non est verum radios Solis, seu visus repercuti, vel frangi
in ipso loco nubis, in quo Iris appetat.

*Vitrum cen-
tra Solis, o-
culi, & tri-
dis eadem
reddi conne-
ctas.*

Scite tu quidem Keplere; sed tamen nimis jejune rem tanti momenti explicas: cumque subnectis, centra visus, Iridis & Solis in eadem rectâ esse disposita, Cardani, Maurolyci, atque aliorum communi errore laberis. Videntur enim vobis Iris per solam radiorum reflexionem procreari: quasi nubes sit instar speculi chalybei, solida, & polita: aut guttae roridæ penè insensibiles lumen solare tam validè possint regerere. Hinc tot Irides efformari, quot sunt spectatorum oculi, falsò creditis: cùm per trigonum crystallinum, vna in opposito pariete Iris delineatur, quam ex omni situ, & loco licet intueri: neque adeò necesse est, ut centra Solis, Iridis, & oculi in eadem rectâ linea constituamus. An Iris à Fromondo observata, cuius alterum cornu vix ultra 30. passus ab ipso distabat, cùm alterum longissimè dissitum appareret: vel duæ Irides à Fortunio Licero viæ ad Austrum vergere, cùm Sol occumberet, atque aliæ innumeræ à diversis spectatæ, centra sua, ut fingunt, sic disposita habuere? Quod si eadem recta linea tot centra conjungat; necesse est ut Iridis brachia æquo semper à nobis distent intervallo, cùm Soli è regione arcus opponatur. Non multum abhorret à vero Fromondus, cùm duplicem Irim ex Aristotele distinguit; vnam quæ per $\alpha\delta\epsilon\lambda\alpha\sigma\pi$, seu reflexionem; alteram quæ per $\delta\epsilon\lambda\alpha\sigma\pi$, sive refractionem gignitur. Illius quæ per reflexionem efformatur, centrum cum oculi, ac Solis centris in eadem rectâ disponitur. Secùs est de Iride, quæ per refractionem generatur, qualem prisimata, vel tricorni vitrei, vulgare etiam vitrum vinarium efficiunt: nam si in cubiculo subobscuro radios Solis per fenestræ rimulam admissos vitro aquâ pleno sic excipias, ut per summam, & tenuem ejus partem radii trajiciantur; tum in subjecto pavimento Irim suis coloribus distinctam affabré depingent. Hæc quidem Fromondo concedimus: sed tamen multiplici nomine offendit.

Primum, quod radios Solis non in nube Soli finitum, sed in oppositâ, tot diversis coloribus tingi existimet; cùm radii luminis hanc colorum varietatem ex proximâ nube, per quam refringuntur hauserint: hinc pluviam decidentem iisdem co-

Ioribus induunt. An paries oppositus Irim quæ per trigonum efficitur, tot coloribus distinguit? An potius vitrum ipsum cùm radios infringit, tum eos suis ornat coloribus. Rem ita se habere non dubitabis, si oculo juxta parietem constituto, vbi arcus delineatus apparet, aciem in trigonum vitreum dirigas: hunc enim certes jam Iridis coloribus imbutum, ipsūnque arcam in facie trianguli Soli obversâ contueberis. Illud quoque mihi reprehendendum videtur, quod addit raras esse ejusinodi Irides, quæ per refractionem procreantur: cùm omnes ita delineari in nubibus, vt altera sit instar trigoni vitrei, in quo formatur; altera instar parietis, in quo depingitur, tam certum sit, quām quod certissimum. Neque tamen inficior quosdam arcus iisdem in locis videri, in quibus effinguntur. Nam Halo, seu Corona, nihil est, quām Iris, quæ totum suum implet orbem: sic in rore, vel adamante quiddam Iridi non dissimile efficitur. Hoc verò inter utramque Irim interredit discriminis, quod hæc Sole adverso, illa averso spectetur: nam si oculum in pariete, vbi Iris per trigonum efformata depingitur, colloces; in ipso triangulo, vt mox diximus, Irim contueberis, quæ per solam refractionem efficitur.

Fateor equidem Irim per reflexionem quamdam apparere, sed nego nubem quæ illius imaginem excipit, esse instar speculi politam: nam radii à corpore polito reflexi, non ex omnibus situ, neque ab omnibus; sed certo quodam aspectu, & sub determinatis angulis oculos feriunt. Cùm igitur Sol horizon tem stringit, radios à nube reflexos sursum regeret, neque ullâ ratione poterunt ad nos pervenire. Finge animo ingens speculum in nubis loco constitutum; id certè Solis imaginem sursum reflectet, neque illa sub obtutum cadet: necesse est enim vt angulorum incidentiarum, & reflexionis servetur æqualitas. De loco Iridis satis supérque diximus; nunc quid illam tam aptè circinet, quæ sit illius figuræ causa, intuendum.

Hic sanè Philosophi plus satis sudant, quantumvis Geometras vocent in subsidium. Quidenim obtusius, quid absurdius, quām ad nubis cavitatem cum Scaligero configere? An nubes adeò figuræ suæ tenax est, vt eam non mutet, nec jugi aëris motu, nec ventorum flatibus? An Iris quæ per trigonum conspi-

BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS VENETICAE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF VENEZIA

FONDAZIONE CARLO RUBbia LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF VENEZIA

*De figura
Iridis variab-
fentis.
refelluntur.
Opinio Sca-
ligeri.*

citur, vel in guttis aquæ, quam ore spargimus, efformatur, ab ipsius vitrei trianguli, aut guttarum cavitate in arcum curvatur? Placet aliis Irim esse confusam Solis imaginem. Sed vbi est illud speculum, quod imaginem Solis ad eò dissimilem, & enormem exhibet? Nubes erit, si Senecam audimus, quæ in modum concavi speculi, & rotundi formatur: neque enim omnia ad verum specula respondent: sunt quæ facies torqueant, vel evertant. Quid ergo mirum est ejuscemodi speculum, quo Solis species vitiosa reddatur, in nube quoque fieri? Adde quod Iris numquam non adversa Soli est, sublimis aut humilis, propterea se submisit, aut sustulit contrario motu: illo enim descendente, altior est, alto depressior. Nec igitur dubium cuiquam relinquitur, quin arcus imago Solis sit male expressi, ob vitium figuramque speculi: nam & celerimè nascitur, & aquæ celeriter aboletur. Nihil autem tam citò redditur, quam à speculo imago: non enim facit quidquam, sed ostendit. Ingeniosè quidem hæc dicuntur; sed vix crediderim nubem esse speculum concavum, vel Irim nihil esse quam Solis imaginem: siquidem Sole laborante, vel Lunâ dividuâ visæ sunt Irides ejusdem prorsus figuræ, ac si Sol, vel Luna pleno orbe illuxissent. Præterea, si arcus nihil est quam Solis imago; quare nec circulum absolvit suum, nec tota area solari impletur lumine? Quid est cur Sole extremo dumtaxat margini formam suam imprimat? Cùm enim radios per foramen vibrat, ac se ipsum in obscurioris cubiculi opposito pariete depingit, non dimidiatum, sed integrum exprimit circulum. Sic Parhelii, & Coronæ totum orbem absolvunt. An cum Scaligero licet inepire, ac totum illud spatium, quod inter Iridis cornua interjacet, à vaporibus liberum esse fingemus; neque ibi Solem exprimi, quod speculum desit, quod nubes non eò usque descendat? Nam si illum audimus, vbi duplex Iris cernitur, non nubes, sed aët inter utramque intercedit. Nonne, ut ipse loqui solet, hæc scuticæ digna sunt? quis illos hiatus nubium animadvertisit? Nubes etiam in qua arcus depingitur, usque ad horizontem persæpe excurrit. Enimvero Scaligerum dimitamus, atque ad Senecæ opinionem revertamur. Cùm multa, inquit, stillicidia sint, totidem specula sunt: sed quia

Seneca plau-
catum.

Conclusio.

parva fune, Solis colorem sine figurâ exprimunt. Deinde, cùm in stillicidiis innumerabilibus, & sine intervallo cadentibus reddatur idem color, incipit facies esse non multarum imaginum intermissatum, sed vnius longæ, atque continuæ. Nec mirum si oculi nostri imbrium stillicidia non separant; ingenti spatio intuentibus minutarum imaginum discrimen interit. Hæc quidem facile refelluntur; immo Seneca, qui gloriosè quidem, sed non constantissimè loquitur, multa adversus hanc opinionem objicit, quæ ipse non diluit. Quidnam est, inquit, tam dissimile, quam Sol, & arcus, in quo neque color, neque figura Solis, neque magnitudo appetet: nullæ nubes habent similitudinem speculi, per medias saepe transsumus; nec in illis nos cernimus: singula stillicidia, singula specula sunt, concedo: sed illud nego, ex stillicidiis constare nubem. Habet enim quædam, ex quibus fieri stillicidia possunt, non ipsa. Nec aquam quidem habet nubes, sed materiam futuræ aquæ. Quid enim simile speculi habent nubes, cùm illa non perluceant, haec transmittant lucem: illa densa & coacta, haec raræ sunt: illa ejusdem materia tota, haec ex diversis temerè compositæ, & ob hoc discordes, nec diu cohæsuræ. Numquid hæc quæ sibi obiecit, prius soluta oportuit, quam sic concluderet: in eadem sententiâ suum, quam Posidonius, ut arcum judicem fieri nube formatâ in modum concavi speculi, & rotundi, cui forma sit partis è pilâ sectæ. Promeair, est repentina ejus facies, & repentinus interitus. Proprium enim est speculi hoc, quod non per partes struitur, quod apparet: sed statim totum fit: æquè citò omnis imago in illo aboletur, quam componitur. Illud certè nemini persuadebit, nubem instar speculi, Solis imaginem reddere: nam arcus, qui per trigonum appetet, non per partes, sed totus statim exprimitur: numquid idcirco trigonus speculum est? Frustraque Geometrarum opem implorat, ut argumentis nihil dubii relinquentibus doceant arcum Solis esse effigiem: quid enim argumenti promant? An quod radii à Sole manantes, atque à nube sic reflexi, vt æquales sint anguli reflexionis, & incidentiarum, circuli arcum exhibeant? Id verò non inficior: sed nego hos radios posse in oculos nostros incurrere, cùm reflexi in omnes partes distrahanter. Verum excipiunt, innumerabiles

radii ab eadem gutta resiliunt, ex quibus aliquot ad oculos usque nostros pervenire nihil prohibet. Enimvero hæc stillicidia nimis sunt exilia, ut tot radios in omnes partes diffundant: & quod caput est, arcum non per reflexionem, sed per luminis refractionem produci iam confecimus.

*Probabilior
de Iridis fi-
gurâ senten-
tia.*

Quare dispunctis omnibus, quas posui opinionibus, relinquitur, ut Iris figuram suam non à Sole defumatur; neque à nube in quâ excipitur, & appetat; sed ab ipsâ per quam trajicitur nube. Argumento est Iris quam vitrum aquâ plenum exhibet: cùm enim eadem figura, iudicem penitus colores in utraque Iride conspiciantur; necesse est ut simili quoque modo gignantur. In aliis rebus, ait Seneca, vaga inquisitio est, vbi non habemus quod manu tenere possimus, & latè conjectura mittenda est: hîc vero appetat duas causas esse arcus, Sollem, nubemque; quia nec sereno umquam fit; nec ita nubilo, ut Sol lateat. Quocirca licet nobis nubem Soli adversam, & finitimam cum vitro contendere; nubes autem, in quâ arcus depingitur instar parietis erit: radii solares summam, & quasi convexam aquæ superficiem ex transverso subeuntes, in concavâ, vel infimâ vitri parte aliquantulum coguntur; & postquam è vitro exiere, citò in uno ferè puncto colliguntur, vbi lucem Solis puriorem, & vegetiorem intueri licet. Hic est veluti focus, in quem omnes radii, qui vitrum pervasere coeunt; ibique necesse est, ut se se mutuo intersecent: adeò ut qui radius inter cadendum fuit sublimior, jam depresso evadat: ut cùm per exiguum obscuri cubiculi foramen imagines Solis, vel hominum foris stantium chartâ foramini oppositâ excipimus: tum objecta situ inverso cernuntur, quod radii luminis per rimulam decussati transeant, ac situm adeò commutent. Idem planè in vitro evenit. Quorsum hæc? mox dicam, cùm de coloribus Iridis sermonem instituam. Cùm itaque solares radii sèpius fracti, ac debilitati, ex illo communi punto quasi soluti & liberi procedunt longius, eamdem retinent figuram, quam induere, tum cùm insummam vitri, vel aquæ superficiem inciderunt. Rotundum autem vitrum supponimus; unde nihil mirum, si in arcum curventur radii. Quod si in pilam vitream ex omni parte in-

currant, Irim quoque exhibebunt, sed cuius integer erit, & absolutus instar coronæ circulus. Secùs est de vitro aquâ pleno, cuius dimidium dumtaxat orbem radii penetrant, arcum adèd, non circulum expriment. Arcus itaque figuram à nube, aut vitro mutuatur, ac rotundam nubem existere par est: alioqui non circuli arcum, sed virgas tantum exprimet. Præterea necesse est, vt nubes illa cuius interjectu arcus efficitur, densitatem habeat sui vbiique similem: nam partium disformitas, colores, & figuram Iridis turbabit: vt accidit in vitro vinario, cui crystalli fragmenta imponuntur. Hinc raro apparet Iris, cùm graues spirant venti: nubes enim in cuius ytero Iris formatur, citò à ventis dissipatur, ac distrahitur. Nec plus satis crassa, vel ampla nubes existat, ne radii eam penetrare non valeant: hinc raro hieme, sæpius vere, atque autumno arcus cernitur: nec diuturnus, vel largior imber eum consequitur, nisi forte infirmam & rariorem nubis partem radii subeant. Sic vbi nubes vel minor, vel ratiō intercedit, quām vt solares radios satis copiosos possit excipere, (qui idcirco in nube, nec tinge coloribus queunt, nec quantum necesse est infringi) tum nullus sub oculos arcus cadit. Hinc Irides quæ per vitra, aut triangula efformantur, cominūs tantum videntur, quod pauciores radii per vitrum subeant, quām vt eminus spectari possint.

Iam quid est causæ cur Iris diameter ejusdem ferè vbiique magnitudinis conspiciatur? Illius quippe altitudo, vel semidiameter, si Vitellionem, & Maurolycum audimus, 45. ferè graduum semper existit: nam Sole depresso, altior asturgit; Sole magis elevato, humilior quidem est: sed tamen sub angulo 45. graduū à nobis conspicitur; centrumque Iridis tantum à circumferentia, quantum à visu nostro distat. Hac pulcrè quidem explicantur, si arcum in nube tamquam in speculo per reflexionem radiorum, & formari, & videri fateamur; secùs nobis aquam hærere necesse est. Enimvero si interjectu nubis radii Solis infringantur, & paulo ulteriùs progressi decussentur, atque in nube oppositâ, tamquam in tabellâ Irīm circinent, quo punctum intersectionis proprius nubi Soli aversæ futurum est, hoc minor erit arcus; maior, quo longius distabit: quemadmodum suprà diximus, radios per rimulam cubiculi, undequa-

*De Iridis
magnitudi-
ne.*

que clausi vibratos majorem Solis imaginem in opposito pariete depingere, quo longius à foramine removetur: quia radii decuslati, quo longius procedunt, eo magis distrahuntur. Vnde ergo arcus ejusdem fermè molis aspicitur? An punctum intersectionis in eodem semper consistit loco? At nubes Solis radios infringens in eadem statione non permanet. Perfacilis tamen ac perexpedita responsio est, ubicumque Sole existat, radios è sublimiore loco emitit: quod si vertici nostro sit vicinior, ac nubem ad Iridis procreationem offendat idoneam; Irim quidem generabit, sed in oppositâ nube tanquam in pariete eam non exprimet, cum radii in terram delabantur. Hinc aliquando evenit, ut arcus conversis ad Solem cornibus, magno spectantium miraculo videretur: quod radios solares per obviam nubem refractos, lacus, vel mare exciperet, à quo sursum reflexi, vel in nube mari proximâ, vel in stillicidiis pluviae cadentibus Irim inversam iuxta reflexionis leges exhiberent. Sic nonnumquam accidit, ut Iris in foliis arborum, vel in nebulâ circumfulâ depicta videatur, quod priusquam radii in nube aversâ excipientur, vel crassus vapor, vel arborum folia, vel denique pluviae stillicidia eos sistant. Sic Iris quam Fromondus à se observatam Lovaniï testatur, cuius alterum cornu vix 30. passibus ab eo distabat, non alibi, quâm in cidente pluvia visa est: nam strictrior apparebat quo propior; siquidem puncto intersectionis erat vicinior. Rem ita se habere indicio est, quod postquam cessavit pluvia, Iris in collem longè à spectatoribus dissipit se recepit. Quare non immeritò concludit centra Iridis, Solis, & oculi non semper in eadem rectâ collocari: neque arcum per angulum 45. graduum necessariò spectari. Addit arcum aliquando per refractionem radiorum interjectu nubis procreari. Verum ignoscet, si arcum in nubibus non aliter efformari pertendam. Quod enim toties inculcat Irim sequentes fugere, & fugientes sequi; quia radii per reflexionem ex determinato spatio, & certo angulo ad oculum revertantur: non quod eadem Iris locum mutet; sed quia aliam perpetuò, & diversam vides. Vnde transferri de loco in locum apparet; quando ab uno ad alterum cornu progrederis, quod oculus ad centrum Iridis dirigatur: quare si quis locum mutet, aliam subinde

subinde videt Itim; tametsi priorem loco motam esse sibi fin-
gat. Hæc sane minimè concedimus: ostensum quippe fuit e-
xemplo Iridis quæ per trigonum effingitur, eamdem ab omni-
bus conspic. Tametsi non inficior quasdam per reflexionem
sib obtutum cadere; ex hoc genere fuerunt illæ à Fromondo
observatae, quas pluviae stillicidia instar speculi reflectebant.
Ista quidem fugientes sequuntur, & diversæ à diversis conspi-
ciuntur. Sed eò redeat, vnde aberravit oratio. Qui fieri potest
vt arcus ejusdem semper magnitudinis exprimatur? Illud mini-
mè admiror, cùm nubium luperficiem, & quasi fornicem iüs-
dem temporibus, æquis à terrâ distare intervallis, nemo non
vtrò fateatur. Quocirca cùm Sol è sublimiori loco in nubem
roridam, vel satis densam, radios suos vibrat, ii propter refrac-
tionem variis coloribus tinguntur, & in quodam puncto de-
cussati, in nube Soli oppositâ sistuntur. Punctum illud inter-
sectionis non eundem in aëre locum obtinet: nam Sole ho-
rizontem radente altius est: sed tamen eamdem ferè vbiique re-
tinet tum à nube, quæ radios infringit, tum ab eâ quæ illos
excipit, distantiam. Cùm igitur hoc, quod sæpius nominor ra-
diorum intersectionis punctum, sit quasi arcus in nube delineati
polus; non mirum si vbiique ferè sibi æqualis arcus appareat:
quamquam fortè Iris quæ horizonti est vicinior, eadem quoque
majoris circuli portionem efficiat. Nec dissimile quiddam e-
venit in vitro aquâ pleno, cuius summam superficiem si radii
Solis directiores penetrerent, majorem & illustriorem arcum
præbebunt: nec solùm amplioris circuli portio major futura
est; sed etiam limbus suis coloribus distinctus, latior appare-
bit. Cùm igitur idem in arcu caelesti observetur; vtrumque
eodem modo, atque ex eâdem prodire causâ, non abhorret à
verosimili: neque enim radiorum qui per aëra crassiorem hori-
zonti incumbentem transeunt, refractione, speciem arcus adeò
augere potest. Sol quidem, & reliqua sidera cùm oriuntur, vel
occidunt, videntur majora: sed tum radii è purissimo æthere
in vaporum sphæram incurrentes, multum infringuntur. Iris
verò paucis milliaribus à nobis distat; nec interjecti vapores
tantam refractionem possunt inducere, vt cornua ipsius arcus
quæ horizontem attingunt colorē latius diffusos, quam supre-

ma illius portio, præferant. Quod magnitudinem Iridis attinet, cùm horizonti finitima est, illius radius, vel semidiametrum esse 45. graduum plerique Optici existimant: nonnulli aliquot subducunt gradus, alii adjiciunt, vt hinc conitare possit non eisdem semper magnitudinis arcum effungi; neque ex illâ æqualitate, quam vbiique Iris servare nobis videtur, sententiam nostram posse labefactari. Habetis de loco, & figurâ Iridis quid sentiam.

*De coloribus
Iridis.*


Sequitur paulò abstrusior de coloribus disceptatio, quam tamen magnâ ex parte excussum, tum cùm de natura, & varietate colorum agebamus. Meministis, vt opinor, non dubiis conjœcturis, sed certis rationibus demonstratum à nobis fuisse, i. Colores qui vulgo apparentes censemur, ejusdem esse generis cum iis, qui altius subjectis suis incident: adeò vt falsum sit, quod afferit Seneca, non esse in nube colorum substantiam, sed mendacium, & sine re similitudinem: Profectò, cùm speculum hos reddat colores, cùmque ab omnibus sine discrimine spectentur. cùm tota denique coloris essentia in hoc posita sit, vt appareat, ac vbi ilis fiat; nihil absurdius dici potest, quām hos colores vidēri tantum, non esse: ac ridenda omnino est colorum disti. Etio inter fictitious, & reales: quasi objectum visus signatum esse possit. ii. Ulterius progresi ostendimus, colores ab ipso lumine ne speci: quidem sejungi, cùm vnius facultatis vnum sit objectum, cùmque Iridis colores nihil sine præter lucem multiplici refractione debilitatam. Quot cuique colori gradus luminis convenient, ex doctissimi Chambræi meditamentis assignavimus; nempe quod si 24. gradus albo tribuamus, flavus 18. rubeus 16. viridis 12. purpureus 8. gradus decerpant; atque eundem ferè inter sonos, & colores concentum reperiunt diximus: neque necessè est quæ tum fusè à nobis disputata sunt, nunc repere. iii. Insinuatum quoque à nobis est lumen variis modiis debilitari posse: nam quo lengius à suo fonte procedunt radii, hoc magis distrahabuntur, & minus colludent: sed non idcirco in colores abeunt, cùm eorum natura nullum patiatur dispendium: nam in speculo concavo, vel in vitro convexo rursus colligi possunt. Verum vbi à rectitudine suâ excidunt, sive objectu corporis opaci resiliant, sive densio-

ris occurſu frangantur, tum ſic debilitantur, vt hoc dampnum farcire amplius nequeant, atque in variis ſubinde degenerent colores, eo quidem iuſtiores, quo radii minùs detimenti accepere. iv. Illud denique conſecimus, colores Iridis non ex ſolâ luminis cum vmbra, vel opacitate miſtria prodire: ſiquid lux cum vmbra, vel opacitate permifceri non potest: neque lucis, & vmbrae tempeſies tantam colorum varietatem efficeret. Quinetiam nec ſola reſlexio, vel refractio, ſed utraque ſimul conjugeta lumen in colores commutat: non enim lux Solis ſæpius à diuersis reſlexa ſpeculis in colorem abit: nec radii per tubum opticum refracti, vllis imbuuntur coloribus. Neque mihi objicias ſimiles Iridis colores, quos Sol exoriens in foliis arborum pingit: tum enim crassi vapores radios Solis infringunt, eoque reflectunt arborum folia. Sic aranearum fila, licet tenuiſſima, ſuā tamen perspicuitate donantur. Quod si aliquando per ſolam reſlexionem lumen in colores commeat, tum id accidit, cum radii luminis tenuiores, vel debiliores ſæpius hinc atque inde reſlexi, eamdem patiuntur imminutionem, ac ſi refracti fuiffent; vt in ſubtilibus lineis ſtanno inſculptis videre eſt: nam latiores lineæ hanc colorum varietatem non præbent. Pili etiam ſubtiliſſimi, ac conſerti lumen eadem ratione in colores mutant: ſic columbarum pennæ diſcolores apparent. Iam ut propius ad colores Iridis accedam, non aſtentior Senecæ, qui eorum varietatem, partim à Sole, partim à nube deducit: adeò ut humor nubis roſidus, modò cæruleas lineas, modò virides, modò purpuræ ſimiles, & luteas, aut igneas ducat: duobus coloribus hanc varietatem efficientibus, remiſio, & intento. Neque etiam arcus idcirco efficitur diſcolor, quod partes aliae in nubibus tumidioreſ ſint, aliae ſubmiſſiores; quædam crassiores, quam ut Solem transmittant, aliae imbecillioreſ, quam ut excluant: ita ut haec inæqualitas alternis lucem, vmbramque permifceat, & exprimat illam mirabilem arcus varietatem. Non denique poſſum in Fromondi, & aliorum ſententiam concedere, qui rubrum colorem ex forti radiorum reſlexione, tum cum in primo ingreſſu reſiliunt, viridem verò hinc oriſ putant, quod lumen paulo altius nubem penetreret, ac multa opacitate fiat obſcurius; pur-

Lij

pureum denique effici, cùm lux altè immersa, nubis obscuritate ferè extinguitur. Mirum si nubes tam diversam naturam, tantulo spatio obtineat, vt in supremo arcus circulo, statim radios Solis arceat, atque omnes ferme regerat; in infimo, vbi purpureus depingitur color, adeò rara existat, & mollis, vt meliorem luminis partem transmittat. Quòd si arcus dupli tantum colore distinctus foret, ex lumine & vmbra forsitan hos colores desumeret: sed neutquam probabile est, tot, & tam dissimiles colores ex luminis & opacitatis conjugio nasci posse. Quæ igitur colorum Iridis causa, vnde tanta varietas? Non recedamus ab exemplo trigoni crystallini. Hic prisma à Geometris dicitur: quinque enim superficiebus continetur, quarum *extremæ duæ triangularem, tres verò reliquæ, & oblongæ quadrangularem figuram nactæ sunt.* Cùm per illum trigonum objecta contuemur, tum illa quidem mira colorum varietate distincta apparent: hinc stultorum paradisus, à nonnullis fatis inepte vocatur. Radios quoque Solis sic infringit, vt arcum cælestem in pariete opposito exprimat. Iamque vt puto id consecuti sumus, non solâ refractione lucem in colores commearere: siquidem objecta per vitrum intuentibus majora quidem videntur, sed nativus manet color: accedit igitur quedam reflexio necesse est. Imò nulla ferè est refractio, quæ cum aliquâ reflexione non sit conjuncta: nam vitrum omne quosdam transmittit radios, & alios regerit. Cùm itaque solares radii trigonum crystallinum subeunt, nonnulli primam superficiem penetrare non valent, sed statim resilient; alii verò illam per vadunt, ex quibus rursus bene multi in tertiam, seu ultimâ superficie sistuntur, & coguntur resilire, qui ut angulorum incidentiarum, & reflexionis servetur æqualitas, in secundam primâ superficiem, tum in primam, per quam subiere, regeruntur; adeò ut triplicem reflexionem, cum vnâ refractione sustineant; tūmque adeò imminuuntur, vt in colores degenerent: tot reflexionibus fessi, trigonum penetrant, atque alios radios priores, qui tantas reflexiones non subiere, suis tingunt coloribus. Menior, ni rem ita se habere vltò concedas, postquam oculos in ipso parietis loco, vbi arcus depingitur, collocaveris: tum enim Iridi in primâ trianguli, seu prismatis superficie delineat-

tam cernes, vbi radii ter reflexi, & fernel refracti in colores abeunt: qui profundorem trianguli partem subiere, purpureo, & magis obscuro colore tinguntur: sed qui transierunt per angularum apices, minus debilitati colorem puniceum, & ardentiorem præferunt: viridis medio consistit loco. Sic radii solares inferiorem, & tenuiorem nubis finitimæ portionem subeuntes, in nubis oppositæ supremâ parte rubeum circulum exprimunt: qui verò prioris nubis superiorem, & profundorem partem pervadunt, purpureum induunt colorem. Hoc dabitis, vt opinor, imbecilliores radios in colores quoque debiliores facessere: sic radii, qui vitri aquâ pleni citeriorum, & Soli propriem partem stringunt, rubrum colorem refracti procreant: qui verò summâ aquâ vitro conclusâ remotiores partes, magis ex transverso penetrant, purpureum efficiunt: illi inter cadendum humiliores fuere, sed post intersectionem, sublimiorem locum tenent, atque arcus superiorem partem cingunt. Fingamus vitrum IN, radius BI refringetur in I, & C, & extra vitrum rubro coloretingetur, vt radius BL remotior purpureum induet colorem. Vnde hoc scis, inquires? Hinc nobis liquet, quòd radii decussati situm mutent, quique à Sole prodeentes sunt altiores, colores arcus depressoress effi-



cient. Quod si manu paulatim promotâ summam æquæ superficiem tegas, primò colorem tubeum sensim evanescere, tum viridem, tum denique purpureum extingui compries, dummodo citeriorem, & Soli viciniorum partem I, primum obtegere incepferis. Quare sequitur, ut mihi jam sit conclusa ratio; lumen in colores abire eo vegetiores, quo directioribus & confertioribus lineis vibratur: neque enim facis accensæ lumen per triangulum admissum Irini exprimit, quod lux illa sit imbecillior. Lumen quippe per crebras tum reflexiones, tum refractiones debilitari quidem oportet; sed ut colores tam splendidos procreet, validum & confertum sit necesse est: secus nec visum sistet, nec rutilos colores exhibebit. Hinc per refractionem radii quasi inflectuntur, atque ex iis multi resiliunt: sed qui vitrum penetrantur, colliguntur, & illustriorem in aëre splendorem praebent.

*De Iride se-
cundaria.*

Quocirca cum duæ Irides per vitrum aquâ plenum exprimi soleant; altera est angustior, ac coloribus fortioribus imbura; altera est quidem longè major, atque inversos exhibet colores: illam efficit lux Solis, quæ summam aquæ superficiem ILM pervadit, hanc verò lux eadem effingit, quæ devexam vitri IF partem ex obliquo stringit. Radii fere ad horizontem subeuntes, ut BP, & BF longè ultra vitrum decussantur, colores adeò debiliores procreant, & longè ampliori spatio sese expllicant. Illud potro non omittam, tubeum colorem secundâ Iridis, minorem circulum, & vitri propiorem delineare, quod radii à Sole vibrati, & rectiores, & fortiores superiorem vitri partem feriant: atque adeò decussati inferiores sunt, & colorem vegetiorem in secundâ Iridis infimo circulo exprimunt. Contra qui partem vitri inferiorem perstringunt, cum debiliores sint, sublimiorem quidem sed languidiorem colorem, scilicet purpureum, post intersectionis punctum, refracti depingunt. Viridis ut par est, medium locum occupat. Sic radius BP superior extra vitrum decussatus inferior evadit: BF verò superior; ille fortior, hic inferior; ille in secundâ Iride colorem rubrum, hic purpureum depingit. Ac ne longè abeam, eodem planè modo secunda Iris in nubibus exprimitur, cum Sol devexam nubis portionem collustrat: quemadmodum priorem

Irim effingit, quando supremam nubis partem irradiat. Idem enim protus, atque in vitro contingit, ubi secunda Iris & circulis amplioribus, & inversis coloribus, & loco sublimiore delineatur. Neque necesse est Irim secundariam, imaginem, ac veluti reflexionem primariæ comminisci: jam hoc ipsum absurdum est, nubem instar speculi imaginem arcus reddere, eamque simul in partes oppositas reflectere: siquidem Iris, quam primariam vocant, simul, atque eodem tempore in oculos, & in nubem superiore resiliat. Sed, inquiunt, quid colores *objetio 1.* permutat, nisi reflexio? Quod si reflexione hæc Iris effingitur, *dilexitur.* quid est cur illius cornua inversa non appareant? Illud quippe exigunt reflexionum leges. Numquid fortè Iris illa amplior, quam radii per vitrum trajecti depingunt, prioris, & vegetoris reflexio, vel imago existit? Et tamen colores omnino inversos obtinet? nonne similes effectus similem quoque causam agnoscunt? Verum excipit Fromondus: numquam secunda Iris *objetio 2.* solitaria videatur, quod indicium est secundam Irim esse prioris imaginem, atque ab illâ dependere. Sed unde habes numquam secundam Irim visam fuisse solam? Nonne aliquando id potuit contingere, quod nemo literis consignavit? An fortè cum 5. vel 6. visæ sunt Irides, ut Snellius se observasse testatur, aliæ aliarum erant imagines? nec quo ordine singuli colores essent dispositi, memoriae quisquam prodidit. Sed demus illud tibi secundam Irim numquam spectari solitariam posse. Numquid alia forsitan subest causa? Iris namque secundaria non effingitur, nisi cum Sol nubem ex transverso, & radiis ferrè ad horizontem parallelis pervadit: quod si nubes sit densior, radii quidem eam penetrare non poterunt, sed illius obscuritate extinguentur: si tenuor sit, & densitatis idoneæ, non secundam modo Irim, sed etiam primam Sol delineabit: tum enim nihil est causæ, cur supremam nubis partem radiis validioribus non trajiciat, si devexam subit.

Iam ut quæ fusiōi stylo differui in summam contraham: Iris non in nube, in quâ cernitur, sed in aliâ Soli vicinore efformatur. Exemplum habemus illustre in triangulo crystallino, *Breviree* vel in vitro vinario, per qua radii solares transmissi, in partie *tinatio.* opposito Irim delincent. Arcum verò, non ipsius in quâ exci-

pitur nubis concavitas, non Solis figura circularis; sed nubis interiectæ rotunditas circinat: non enim arcus imago Solis existit, nec nubes speculum concavum. Postremò, colorum varietatem non efficit nubis, vel vitri opacitas; cùm triangula diversæ densitatis eosdem prorsus exhibeant colores: sed neque sola refractio tot coloribus arcum distinguit: adeò ut certi, & determinati refractionis anguli certos colores procreent: id enim fallum esse hinc colligitur, quod sub diversis angulis idem color conspiciatur: nam ab angulo 32. graduum, usque ad 78. iidem per trigonum colores spectantur: & quamvis inclinatum triangulum radii obliquiores perstringane, nihil tamen colores mutantur: non igitur sola radiorum obliquitas hanc varietatem inducit. An fortè major radiorum concursus colores irem vegetiores procreat? Verum jam ostendimus per solam refractionem lumen in colores non degenerare: tametsi fiant dilutiores, & arcus magis amplietur, quo magis triangulum inclinatur: speciem tamen idcirco non mutant. Vnde ergo hæc tam grata colorum varietas? ex immunitâ & fractâ luce, quæ cùm repetitis reflexionibus, non sine aliquâ refractione, tertiam sui parte mulctatur, in rubrum abit; cùm dimidiâ parte minuitur, in viridem; cùm $\frac{1}{2}$, in purpureum degenerat. Opacitas verò, radiorum obliquitas, reflexio, refractio denique, non seorsim, sed simul junctæ lumen eâ proportione debilitant, quæ ad colorum procreationem exiguntur. Enimverò quid est, cur lumen in hos potius colores, quam in alios facescat? Nemo homo hunc nodum solverit. Non equidem ignoro lucem cum rubro colore sesqui-alteram, cum viridi duplam, cum purpureo denique triplam habere rationem: natuta verò istas præter cæteras affectat proportiones; quod in musicis concentibus experimur: nam facile in diapente, tum in diafason, tum denique in diapason pente sonus commeat: sic ubi Solem diutius spectaveris, si visus aciem in obscuriore locum convertas, lucis impressio circulum rubrum oculis exhibebit, qui in viridem, tum in purpureum degenerans, tandem evanescet. Illud minimum dissimulandum puto, flavum sape colorem, rubrum inter & viridem, medium apparere: cùm tamen supremum locum debeat occupare: siquidem luci vicinior

niorest. An viridis , ac rubri commissura nos decipit , ac rubeus color viridis confinio splendidior videtur : Cur igitur extimus Iridis circulus nigriori nubi finitimus , flavo colore non suffunditur , cùm nigredinis viciniâ illustrior futurus sit ? Quare Iris per trigonum visa spatium illud , quod rubrum inter , & viridem colorem interjacet , adeò splendidum obtinet ? An forte splendor ille non est realis , sed visus dumtaxat illusio ? Quid igitur est cur Iride paulatim evanescente , puniceus color in flavum abeat , ac tandem extinguatur ? Flavum rubro esse illustriorem , ac majorem lucis obtainere portionem , jam alibi collegimus : cur hic locum & stationem suam deserit ? An forte cùm Iris deletur , tum directiores radii per nubem trajecti flavum colorem luci finitimum depingunt ; atque adeò flavus color in mediâ Iride , quasi extra suum ordinem collocatus , ex radiis in hanc partem directioribus emergit ? At qui id fieri possit , cùm obliquiores radii , viridein , & purpureum efficiant , qui flavo in Iride sunt viciniores , quàm rubro ? Hæc sàmè non pugnant : cùm ab eodem Solis puncto innumerabiles radii in orbem spargantur , quorum mediij directiores sunt , quàm extreimi . Hinc numquam flavus color appetet , nisi cùm Iris est valde splendida ; idque evenit , cùm pluribus radiis ab eodem Solis puncto manantibus perfunditur : cùm enim à diversis tantum Solis partibus lumen vibratur , tum Iris efficitur debiliior , nec flavo distinguitur colore . Habes , mi Theophile , quæ de Iridis natura , & coloribus summus & Philosophus , & Medicus disputavit ; ac in eo quidem judicio nebulas omnes , quæ arcum hastenus obduxere , non dubiis conjecturis , sed certissimis rationibus discussit ; & tamen præclarè agi secum putat , si in his rebus à naturâ involutis aliquid verisimile invenierit .

T H. Ego verò hæc non verisimilia modò , sed etiam longè *Cart. si sen-
tientia per-
stringitur.*

verissima esse arbitror : istas porro quæstiones hac arte tractatas oportuit , non à globulis cælestibus circa suum centrum gyrationibus præsidium petere . Joculare enim quiddam mihi videtur Cartesius dicere , cùm asserit cælestes globulos à corpore lucido rectâ impulsos luminis sensum efficere ; sed ubi circa suum centrum velocius torquentur , aut tardius ; varios colorum im-

M.

primunt sensus: quapropter radii per apicem trianguli transeuntes, rubrum in pariete depingunt colorem: tum enim circumvolutio, vel globulorum turbinatio longè celerior est, quam rectus eorum impulsus: album verd, vel flavum inducunt colorem, cum illa rotatio ferè æqualis est recto globulorum impulsui; atque hos ferme colores radii intermedii exprimunt: sed qui profundiores trianguli partes subeunt, tardissimo motu contorquentur: colores adeò magis fuscos, & nigro propiores exhibent; quales sunt cæruleus, & purpureus. An radii possunt circa suum centrum tantâ pernicitate rotari, ut remam luminis emissionem, quæ in momento perficitur, longè superent? Nonne hæc fabulis quam vero propiora sunt? Sed de Iride satis hoc loco dictum sit. Reliquas emphases, seu lumenis impressiones raptissimè decurramus.

Occurrit primo loco fulgor ille qui cingit sidera, Halonem Graci, nos Coronam dicimus; nec multum ab Iride discrepat, nisi quod plerumque viuis coloris existat. Sæpius circa Lunam spectatur: nam in Solem ægrè aciem dirigimus, ac tenuis ille vapor, qui coronam efficit, vix radios solares sustinet. Contrà Sol Iridem saepissime, raro Luna exprimit; quod in densiori nube procreetur, quam Luna vix, Sol facile suâ luce per vadit: quod si aliquando Iridem Luna exprimat, variis ea coloribus non distinguitur: neque enim tantum possunt lunares radii. Sic corona discolor Solem nequit, quod & nubes sic crassior, & lumen fortius: sed colores aliter atque in Iride disponuntur: nam puniceus Solem proximè ambit, quod radii vegetiores illum exhibeant. Neque necesse est cum Cartesio fingere stellulas quasdam glaciales, qua lumen Solis refringunt: mirum si tam facile in orbem disponantur, atque aliæ alii tam citò succedant: nec lucernarum coronæ in stellulis conglaciatis, sed in aëre vapidò, & crassiore formantur: hinc crebriores in balneis, & flante Austro cernuntur. Neque audiendus est Thimon, qui contendit lucernarum coronas non alibi, quam in oculi Iride effungi, non faces ipsas cingere, sed oculis illudere. Fateor equidem eas posse lippis oculis, vel à somno surgentibus apparere, quod humidiores oculi lumen infringant: sed negari non potest, in crastlo & pingui

aëre facem cingente sæpius efformari: siquidem circa summum apicem plerumque disruptur; ac si qua fuligo forte intercedat, ea puniceo colore rutilat. Displicer quoque mihi Sene-
cæ sententia, quâ formari coronam putat, cùm lux Solis, aut Lunæ in spissiorem aëra incurrens, illum recedere in circulos cogit; quemadmodum videmus lapide in piscinam missio, aquam in multos orbes diduci. Quasi verò corona sensim dilatetur, & ampliores subinde describat circulos: quanto demum maiores Sol coronas, & crebriores quâ Luna depingeret. Quod verò monet numquam ullum sidus talem sibi effigiem circum dare, nisi cùm aër est densus, atque immotus, & ob hoc custodiens incidentem in se totundi lineam luminis, non valde repugno, quod ille qui manet aëri possit figurari; at qui rapitur, & currit non det sui potestatem, & omnem ictum venientemque formam exturberet. Quod verò subjicit de coronarum præsagiis, pulcrè Aristotelii succinit: nimirum, vbi corona dilapsa fuerit æqualiter, & in semetipsâ evanuerit, apparet temperatum esse aëra, & placidum: jam si facies non universa subsederit, sed ab vnâ parte intercisa sit, apparet inde aëra incumbere, & idè illa regio ventum dabit: sed si pluribus locis disruptatur, tempestas fit: manifestum enī est à pluribus partibus in illam impetum fieri, & inquietum aëra hinc, atque illinc assilire: Ita que ex hac inconstantiâ cæli tam multa tentantis, & vndique laborantis, futura tempestas, & ventorum prælium apparet. Non illud omittam, quod Petrus Gas-sendus de Halone in suis commentariis memorie prodidit: rarissimè coronam lunarem ab extremo Maii, ad extremum Septembrem à se visam fuisse; nec ferè alio flante vento, quâ Coro, & Cæciâ leniter spirantibus: diameter semper fuit tum in lunari, tum in solari Halone 45. graduum, erasitudo vnius ferè gradus. Sexdecim solares observavit, quorunq; intimus color rubeus, mediis flavus, ultimus sub viridis: qui manè visi sunt, plerumque subsequentem pluviam habuerunt, contrâ qui à meridie sunt observati.

Quid nunc de virginis dicam, quas Sol in nubibus, instar *D. virginis*, Iridis variis coloribus ornatas depingit? quid aliud sunt quâmi imperfecti arcus, qui in rectum jacent, quod figura nubis ra-

dios Solis infringentis, ad arcus efformationem minus sit idonea. Alia quidem est ratio virgarum, quas radii solares per angusta foramina nubium vibrati exhibent. Verum major nos de Parheliis manet difficultas, cum plures Solis apparent imagines.

D. parhelies.

An nubes rotunda, & luce Solis splendida, illius imaginem mentitur? At nubes luce solari imbuta, nec Solem tam religiosè sequitur, nec tanto micat fulgore, vt vix à Sole secerni queat; neque figuram rotundam ita pertinaciter retinere solet: nec demum quatuor, vel quinque Soles tantâ luce fulgentes simul videri possunt, nisi nubes concava, & instar speculi terra, multiplici Solem reflexione exprimat. Eniinverò superius demonstratum à te fuit, mi Simplici, Solis imaginem à nube reddi non posse, quod nec solida sit, nec continua. An forte responsione Fromondi vtrendum est, vaporem eminus visum instar speculi esse posse? sic tenuis vapor manè pratis incubans, ubi procul conspicitur, exundantis aquæ speciem praebet. Nec parum conferunt terræ opacitas, atque ipsa distantia: sic nebula vix propè conspicitur, cum eminus densioris nubis instar appareat; nubes ipsæ eo videntur opaciores, quo longius à nobis recedunt. Quid igitur obstat quominus vapor Solis imaginem, tamquam speculum ad nos usque reflectat? nam opacitate suâ radios regerit. Quod si Aristotelem audimus, ab omni levitate corporum visus aciem radios suos replicare testabitur: nam quidam hoc genere valetudinis laborant, vt ipsi sibi videantur occurrere, ubique imaginem suam cernant, quia infirma vis oculorum ne proximum quidem æra potest petrumpere. Taceo de illo Vitellionis familiari, qui cum de nocte iuxta paludem equitaret, alium quoque equitem videre sibi videbatur, qui una cum ipso progrediebatur, stabat, atque ad omnes illius nutus se componebat: sed cum in puriorem æram se recepit, hoc spectrum statim evanuit. Quod si tantum potest vapidus, & crassus aëris, vt noctu imagines, seu speculum reddat, an dubitabimus quin densior nubes Solis effigiem aliquando queat exprimere? Hinc parhelia sub ortum, vel occasum Solis frequentius apparent, quod vapores, qui horizonti incumbunt crassiores existant. Facies quippe Solis tam

in sublimi potest, quam in fonte, aut placido lacu reddi; si modò idonea est materia quæ reddat. Verum ut cum Menandro in gratiam redeam, Cartesii sententia non invitus accedo, quæ existimat Solem nubi congelatae, atque adeò politæ, & perspicuaæ imaginem suam imprimere: nubis vero superficies conglaciatur, cum calore soluta repentina frigore corrumpitur. Sed quid glaciem illam in aëre suspendit? An vapores qui continenter è terra erumpunt, aut venti qui in sublimi vehementius spirant? Quid aliud dracones illos volantes, puerorum ludibria, tamdiu in aëre sustinet, nisi vis, & impetus venti? Ad extreum, nobis fatendum erit, corpora minus gravitare, quo longius à terrâ discedunt.


M E N. De arcu cœlesti, atque aliis impressionibus quas lux Solis in nubibus effingit, vestra utriusque disputatio mihi fuit perjucunda, nisi quod Theophilus Cartesio nostro paululum videtur iniquior, nec sibi potest temperare, quin virum sine controversia magnuni, cui renascens Philosophia spiritum ac vitam debet, orationis libertate identidem perstringat: illud sanè mihi inhumanum videtur summum virum numquam nominare, nisi in eâ sermonis parte, in qua à nobis reprehenditur.

Cartesius quidem colorem nihil esse quam lumen certâ quâdam ratione modificatum existimat: istuc non reprehendis; nec fortè tu diversa sentis: lumen motum cœlestis substantiae definit; id vero tibi non ferendum videtur. At illud saltem inter nos conveniat, lucem citra aliquem motum nec percipi, nec propagari posse; sive ea sit qualitas primi corporis alterantis, ut Aristoteles decernit, (quamquam vix ullam qualitatis notionem à substantiâ discreta, quæ propriâ fruatur existentiâ, nec subsistat tamen, possim cogitatione assequi) sive nihil sit quam ignis purissimus, è corpore lucido jugiter dimanans, ac summam adeptus raritatem, ut Gassendus, Digbeus, atque alii eruditissimi Philosophi statuerunt: dabis, ut opinor, lumen sine motu non diffundi. Neque enim tanta spatia potest decurrere; vel in angustum cogi, vel in latum effundi, vel refringi, resilire, atque omnes motuum servare leges, citra aliquam loci mutationem. Iam si lumen motus est, aut impulsio, ut placet Cartesio; vel certè cum motu conjunctum, ut fateri cogimur; color

M iii

verò nihil à lumine dissidet; sequitur colorum varietatem, ex diversitate motionum, quibus lumen agitatur, proficisci. Hinc lux reflexa, vel refracta in colorem degenerat: non quòd ipsius lucis radios immutatos, atque in aliam naturam commutasse putem, sed visus organum, seu nervulos, ex quibus retina texitur, aliter feriunt & commovent, quam si recta progressi, nullius corporis occursu fracti, aut debilitati fuissent. Iam ut quæ mihi dicenda sunt in compendium conferam: Colores Iridis ex luce solari, vel reflexâ, vel refractâ in globulis aqueis & roridis, non aliter, atque eximius Cartesius exposuit, emergunt. Mitto rationes ex secretiori Matheſi de promptas, solius visus testimonio contentus; sub exortum solis, virentia camporum gramina rore asperfa paulò diligentius intuere, singuli roris globuli ex certo ſitu, & loco spectati omnes Iridis colores exhibebunt: ſic aqua quam Sole adverſo, ore spargimus, Irim pulcrè exprimit. Eſt quidam in Provinciâ locus, Sillantium vocant, vbi fluviolus è præcelsâ rupe magno impetu præcipitatus, & vapore rorido, tamquam minutissimo pulvere circumfusus, Irim perennem exhibet; illiusque dexterum cornu ſibi proximum, ſinistrum verò longissimè diffitum Gassendus vidile testatur: adeò ut centra viuis, Iridis, & Solis eadem recta linea non connechteret. Sed vnde tanta colorum diversitas? ex refractionum varietate; hæc porro ex diversâ oritur angularum obliquitate, & corporis refringentis figurâ; addam, licet forte reclames, mi Simplici, variam lucis & umbræ temperiem. Nam vbi candor lucis dominatur, flavus, vel rubeus color emergit; cæruleus verò & purpureus exſurgent, si ater color album vicerit. Nunc ſume in manus hunc trigonum crystallinum, atque experire an ex variâ lucis & umbræ commiſſione, tot colorum species duci & explicari poſſint; quæque illuſtris Digbaeus (ne forte me ſoli Cartesio addictum putes) conſcripsit, ipſi experientiæ conſentiant. Sed ante omnia meminiffe oportet, ab eodem objeclti puncto plures radios emitti, qui à diuersis trigni partibus reflexi, ad oculum quandoque perveniunt, ac duplē objeclti imaginem oculo imprimunt, quarum altera eſt expreſſior, altera languidior. Iam mensæ nigriori velo obductæ objectum aliquod candidum, qualis eſt pa-

pyrus, non longè ab ipso mensæ margine colloca, atque trigonum sic compone, vt tibi charta ad pedes ferè jacere videatur, ac superficies trianguli, per quam chartæ species subire debet, sit ipsi objecto, vel papyro parallela: quòd res fiat illustrior, sit oculus B, charta I L taperi subnigro imposita, hæc duas sui emitit imagines, quarum debilior per superficiem trianguli oculo vicinorem transit, hinc ipsum objectum oculis admovet, & proprius exhibit. Quòd si partem chartæ citiorem I velo obduxeris, hæc species debilior, & confusa evanescent; non quòd ab eâ parte effluat, sed quia in eo loco apparet; tametsi à remoto puncto L dimanet, cùm ea sit languidior, ac sub minore angulo percipiatur. Quorsum hæc evadant attendite. Primo, hinc liquet cur pars objecti candidi citerior I cæruleo & obscuro colore infecta appareat: nam species distincta veli nigroris punto L vicini, evanidam & languentem objecti candidi imaginem opprimit, ac suo colore perfundit. 11. Punctum L rubro vel flavo colore rutilat, quòd ibi sincera objecti imago languidam, & quasi spuriam nigri speciem superer. Nam punctum L est albi nigrique confinium, falsa quidem atri coloris species, tamquam capillare velum nonnihil candorem objecti adulterat, sed debilior cùm



sit, flavum, vel rubrum efficit colorem. 111. Si tamen albo astrum objectum imposueris, eosdem huiusdem colores, sed immutato situ videbis; purum enim L. flavum exhibebit, qui sensim in rubrum, tum in purpureum, denique in cæruleum colorem degenerabit; adeo ut nullus relinquitur dubitandi locus colores omnes ex albi nigrique permissione exsurgere. Nec video unde Iridis colores deduci possint, nisi ex ipsius lucis immunitatione; haec vero ex radiorum obliquitate, & angulorum exiguitate desumitur. Radius enim BI obliquè incurrens in punctum I, non penetrat vitrum, nisi porus I patet, cumque angustissimi illius meatus latera, quæ in partem oppositam, nimitem versus L. jacent, directam emissionem inhibeant, ac versus F reflectant, radius BI refringitur, atque ad perpendicularum proprius accedit, non insita quâdam scientia, ut vires colligat, & maiorem vincat opacitatem, sed quia repellitur à lateribus solidæ particuliæ porum I contingentis: hinc refractione nulla sine reflexione perficitur. Radius porro infraactus cum extra vitrum planum egreditur, iterum à puncto C repulsus in radium CO longius à perpendiculari difflitum commeat: nam ab eâ parte repellitur, cum quâ angustiorem efficit angulum: hanc enim magis premit, & vicissim magis ab eâ premitur; ac proinde non recto tramite ceptum iter pergit, sed in partem oppositam deflectit. Quo autem radius BI obliquior est, & acutiore efficit angulum, hoc in egressu angulus FCO erit obtusior, ac lumen magis dispergetur. Quare prope trigonum lux cum sit vegetior, nativum candorem servat, donec longius diffusa, atque umbræ opacitate temperata, varios colores exhibeat. Unde si radios jam dispersos, atque extra triangulum effusos lente convexâ colligas, vix in colores facessent. Vbi radii solares per rimulam obscuri cubiculi subeunt, ac vitri convexi adminiculio coguntur; tum variis lutinis coni efformantur, cum quidam radii proprii, alii vero longius à foramine concurrant; extremi istarum pyramidum margines, non lucidi, sed variis coloribus tinti apparent, qui hoc sunt illustiores, quo locus fuerit obscurior. Iam corporis opaci & angusti interiectu breviorem conum ita separata, ut illius umbram lux ex utraque parte cingat; tum tubeus color in ipso pyramidis limbo cingeret,

quod

quod lux vegetior vmbrae opacitatem superet; contrarium experieris, si longiorem, ac proinde debiliorem lucis pyramidem corporis opaci interpositu secueris; tum enim victrix vmbra corporis, ipsius pyramidis margines cæruleo tinget colore. Ne sim longior, radii obliqui, fracti, ac dispersi in colores abeunt; qui trigni extrema subeunt, acutiores angulos efficiunt; nam radius BL obliquorem & strictiorem angulum cum vitri superficie procreat, quam radius BI: ille in ipso exitu angulum apertorem efficiet cum ultimâ vitri superficie; nam in ipso ingressu radii ad perpendicularum accedunt, in exitu recedunt & magis sparguntur: colorem addo obscuriorem radius BL exhibebit. Verbo dicam, vbi lux vmbra dominatur, ibi splendidi apparent colores; cum vmbra lumen superat, obscuriores & nigro propiores emergunt. Hæc forte cum tuis principiis minus convenient; sed, nisi me mens fallat, nihil afferri potest, quod magis cum ratione, atque ipsa experientia consentiar.

S I M P. Ego quidem videor debere non tam pugnare tecum, quam quid ipse sentiam dicere. Colores Iridis ab ipsa lumine non oriri modò, sed etiam nihil esse præter lumen imminutum, jam subinde monuimus; lucem eo modo refringi, quo tu exposuisti, refractione debilitari, radios esse languidores, quo sunt obliquiores, non equidem reprehendo, sed ante oculos posita, atque ab omnibus concessa esse dico. Lumen vegetius in flavum, vel rubrum colorem, debilius in colores obscuriores commicare, donec penitus extinguatur, ne id quidem reprehendo. Quid enim? si colores ex lumine dimanent, fortius lumen colores itidem fulgidiores procreare necesse est. At verò illud non rebar lucem cum vmbra, vel tenebris commisceri posse; atque ex illâ temperie, tot colorum species sobolesceret; nec putabam ex albi nigrique mistura pictores rubrum, viridem, vel purpureum colorem procreare. Verum ista sunt alterius loci: existimo quidem colorum rationes & causas in universum afferri posse; at definire quot cuique colori gradus lumen convenient; quæ sit anguli refractionis mensura, ut rubeus color, potius quam viridis emergat; hoc majus quiddam esse videtur, quam vt hominum possit sensu, aut cogitatione comprehendendi.

M

N

LIBER SECUNDVS.

De naturâ, causis & usu fossilium.

CAPUT PRIMUM.

De principiis & causis fossilium in universum.

- i. De spiritu universi quæ sit Platonorum & Chymicorum sententia. ii. Variæ objectiones adversus spiritum illuminantem permeantem, rationes seminarias, & vulgata Chymicorum principia proponuntur. iii. Quid nobis videatur de rationibus seminariorum, generatione fossilium, & tribus principiis, sale, sulfure, & mercurio; Peripateticos cum Chymicis, quoad fieri potest, conciliamus.

MENANDER.

Non gravaberis, ut opinor, mihi Simplici, ex ædificare id opus quod instituisti: nam otiosi sumus, atque ab omnibus negotiis vacui. Multa haec tamen de corporum cælestium motibus, neque non de iis impressionibus, quæ in sublimi spectantur, & dilucidè, & satis copiose differuisti: sed cælestia procul sunt à cognitione nostrâ; meteora autem citissimè fugiunt, vix sui copiam faciunt; adeò ut nullâ ferè scientiâ comprehendiri queant: & si maximè cognita sint, nihil tamen ad vivendum conferant. Sed quæ terra sibi suo complectitur, quaque ad humanæ vite viam, & oblationem tam liberaliter effundit, minus quidem habent ostentationis: sunt tamen magis necessaria, & ad cognoscendum non illiberalia. Magna quoque est in iis subtilitas, qua exercere vel altissimam eruditionem, ac scientiam poslit. Quare nisi tibi molestum est, à sublimibus ad ima, & terrena, nostra delabatur oratio; neque ut arbitror Theophilo aliter videbitur.

Tu. Mibi vero id pergratum fuerit: nec potes hanc disputa-

tionem defugere: cum præfertim partem illam scientiæ naturalis non ignorabens, quæ circa res fossiles versatur, Alchimistæ ut decretani occuparint: unde & Philosophorum nomen sibi it: solentissime arrogarunt: non enim Alchimista nomen jam in vulgus probatur.

S I M P . Non equidem ignoro hanc scientiam pessimorum hominum infamia laborare: nam impostoribus, & circulatoribus jam diu præde fuit: sed non continuo ars ipsa infamis censenda, si nequissimi homines in pravos usus eam decorqueant: suas haber dores & quidem maximas, quas nunc persequi nostri non est instituti. Pessime actum cum rebus humanis erit, si nobilissimas quaque artes proscribi oporteat, quod ius male feriati homines abutantur. Nec diffundat possum me nihil reconditum, nihil expectatione vestra dignum de fossilibus vobis esse dicturum, nisi ipsa nobis Alchymia quasi in subisdium venerit: haec enim non metalla modo investigat, & probat, sed etiam quæque corpora in sua resolvit principia; naturæ claustra, & quasi seras recludit, intinæque illius arcana scrutatur. Quo minus ferendi sunt ii, qui hanc atrem ut teniem, ac jejunam cavillantur: cum summi eam Philosophi, & Medici coluerint: inter quos Avicenna, Albertus Magnus, Julius, Fernelius, atque alii eruditionis principes impensam huius scientiæ operam dederunt. Neque is sum tamen, qui Aristotelem, & Galenum pre Chymicis contemnam: sed utramque Philosophiam, & Peripateticam, & Spagyricam facilè conciliari posse arbitror. Quod ipse Severinus Danus vtrò confitetur: nimicum Paracelsum cum asserit omnia constare ex sale, sulfure, & mercurio; non repugnare Aristotelei, qui rerum principia statuit materiam, formam, & privationem: nec Platonii dicenti Deum, exemplar, & materiam esse principia omnium: singuli quippe diversas retum economias scrutantur. Haec quidem Severinus Paracelistarum antesignanus, homo neque meo iudicio stultus, & suo valde sapiens. Ego vero libentissime concedam fossilia (nam de his potissimum nunc agimus) ex materia, & formâ, nec non ex elementis compingi: sed quendam præterea æthereum spiritum, qui formam cum materiâ conciliet; tria quoque principia mercurium, sul-

*Peripateti-
cos cum
Chymicis
conciliari
posse.*

fur , & salem , tamquam virtutum , & actionum omnium
fontes admitti oportere , jure meritóque contendérím.

TH. Ista quidem sumis à Platonicis , & Chymicis : sed
vide ne plus eis tribuas , quām res , & veritas ipsa con-
cedat.

SIM P. Metuebam ne à futoribus , & coquis dices . Ve-
rū de spiritu cælesti , qui materiæ , & formæ vinculum cùm
sit , merito à Platonicis natura ectypa , archetypæ organum vo-
catur , jam aliás vberimè disputatum à nobis fuit , ac demon-
stratum apertissimè naturæ nomen nec materiæ , nec formæ ,
sed huic spiritui rationibus seminariis fecundato convenire.
Est quippe natura intimum motus principium , quæ à nascendo
dicta est , quòd generatio sit illius functio primaria : atqui for-
ma non est intrinsecum generationis principium : non enim
proprium subiectum præparat , sed in illud iam dispositum in-
currit. Sed neque materia augustum naturæ nomen debet usur-
pare , cùm sit iners , atque omni actione destituta. Hæc est A-
ristotelis quinta essentia , ab elementis toto genere discreta ;
calidum innatum Hippocratis , quo cuncta perfunduntur ; vita-
le principium Theophrasti ; balsamum naturæ , & sulfur vi-
tale Chymicorum , quod species individuorum propagatione
conservat. Illius spiritus substantiam respondere proportione
quādam elemento stellarum ; nostris elementis longè esse divi-
niorem , calorem continere non igneum , (nam ignis nihil ge-
nerat) sed planè cælestem , & vivificum : eo denique non se-
mina modò , sed etiam animalium excrements perfundi , quòd
ex iis res vitæ participes procreentur , disertissimè demonstrat
Philosophorum princeps. Spiritus dicitur , quòd idem sit te-
nuissimus , ac subtilissimus : quo enim res est à materiæ conta-
gio solutior , eo quoque est ad motum promptior , atque ad
agendum efficacior : sic lumen in momento diffunditur ; vita-
les spiritus , quos lucidos esse jam alibi ostendimus , & forte
ejusdem sunt cum spiritu mundi naturæ , vt subtilissimi , sic vi-
vacissimi existunt. Cælestem porro vocamus spiritum , non
quòd eum Sol in terram vñà cum formis demittat , vt plerique
falso existimant : sed quia purissimam , & quasi crystallinam
cælestium corporum naturam , atque eorum stabilem duratio-

*De spiritu
vñr. vel
quintæ ef-
ficiæ.*

æm æmulatur: corruptis enim ac dissolutis corporibus, is integer conservatur. Illud intueri licet in grano tritici, quod terra gremio mollito, & subacto sparsum excipit, idque putrefacit, ac dissolvit: at balsamum radicale ab interitu vindicatur, ac novam subinde molitur generationem: cessare enim non potest; ante omnia elementorum mixtionem aggreditur: quid enim aliud discordes elementorum qualitates conciliare posset? Profectò mirari subit cur tantas de mixtione quæstiones moveant Philosophi: an miscibilia in mixto integra remaneant; an tota totis confundantur; an solæ qualitates destructis elementis sint superstites? nec inquirunt, quo motore mixtio perficiatur. An elementa ex condito ad mixtionem confluant? quid tam justa pondera, ac mensuras præscribat? nec tanta est in elementis scientia, nec tantæ vires terræ, aquæ, aëti, & igni competit, vt ex iis omnes corporum facultates, & actiones deriventur. Nimiùm simplices sumus, si colorum, & saporum varietatem, ac venenorū vires propè incredibiles, ex nudis elementorum qualitatibus prodire arbitremur. Sed nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile. Elementa, inquiunt, propter qualitatum contrarietatem sese mutuò in minimas particulas comminuant; alia ab aliis redunduntur; ex illâ pugnâ nova crasis, vel temperamentum, novæ adeò qualitates exsurgunt: Iam cedo quid elementa committat; quo motore, quo instigatoré congregiantur? quid illis tam justas præscribit leges, vt ex eorum congressu triticum potius, quam aliud grauen gignatur? quid elicit ex eo herbescensem viriditatem, quæ senium adolescit, culmoque erecta geniculato, vaginis jam quasi pubescens includitur, è quibus cum emerferit, fundit frugem spicæ? quid est cur potius ex discordiâ elementorum, quam ex amicâ principiorum societate mixtionem perfici arbitremur? an sal cum aquâ, vel metalla cum aquis stygiis in quibus exsolvuntur, inimicitias exercent? Terram quidem & aquam ad mixtionem conspirare non inficior; at quorsum ignem è cælo deducimus, qui moliatur corporum ruinam? quibus claustris fugacissimum aërem coercemus? Sed dabo illud quoque, elementa omnia ad mixtionem confluere. Quid tandem secum afferent, nisi steriles qualites, calorem,

N iii

frigus, humorem, & siccitatem? at constantes rerum proprietates, vires fecundas, & vitales ex aliis principiis dimanare necesse est: illæ ad materialm, istæ ad formam magis videtur pertinere; illæ terrenæ quidem, & elementares, hæ verò essentiales jure appellantur. Principia verò, & elementa spiritus ille vivificus, de quo jamdiu loquimur, simul connectit, & stabili conjugii fœdere consociat; ex illo tincturas suas, ut jam cum Chymicis loquar, vires, facultates denique omnes depromunt. Hinc formarum origo, quæ tamdiu Philosophorum ingenia fatigavit: hinc incredibilis illa specierum varietas.. scilicet ex illo balsamo rationibus seminaris fœto proficiscitur. Nec necesse est ad mundi animam cum Platoniciis; vel intelligentiam, quæ sic formarum dispensatrix, cum Avicennâ, vel ad celum ipsum cum Fernelio configurare. Nulla res ir seipsâ non sua recondit astra, & occulta gerit semina, quæ statis revolutionibus constantes siderum periodos imitantur: Ex iis, tamquam ex inexhaustis divina sapientia thesauris, formæ omnes multiplici fibole succrescent. Nec credibile est materialm primam è laru suo tantas opes fundere: subjectum quidem, & quasi matrix formarum exilitat; sed ex illius gremio non eruantur, nisi eo quo alibi diximus modo. Hæc habui de spiritu vniuersi quæ dicere.

Varia obje-
tiones.

i.

T. H. Da mihi nunc, optime Simplici, satisne ista probast an licet Philosophis, quidvis ad libidinem fingere? an quicquam magis à Philosophiâ alienum fingi potest, quam spiritus cuncta penetrans, qui nec sensu percipi, nec ratione possit colligi? Veniat jam aliquis recens è Peripateticorum scholis, qui grandiloquentiâ Platonicâ non dilatet argumenta; sed minutis interrogatiunculis, & quasi punctis, opiniones tuas vellicet. Hic inquam roget te, quid sit ille spiritus, substantia an accidens? Si substantia, forma sit vel materia, an ex utrâque compositus? tot & tantæ dotes in materialm non cadunt: sed neque formæ rationem sibi vindicat, cum sit omnis corruptionis expers, cum ex illo formæ scaturiant, cum denique sit formæ, & materia nexus. Nec demum in accidentium censu repones, est enim quiddam divinius, ac præstantius, quam ut inter accidentia numeretur. Vrgebit ille forsitan, atque ex te requiret,

z.

an idem & vniuersitatis spiritus, an multiplex, & varius in tantâ rerum diversitate reperiatur? Si multiplex, vnde illa distinctione, vnde tot differentiae repetuntur? non enim ex materia, & formâ compingitur; adeo ut materie titulo, cum aliis spiritibus conveniat, per formam ab aliis dissidat. Quod si virus est, simplex, & ubique sui similis: quo pacto tantam rerum essentialem varietatem: an res eadem & vniuersitatis tot functionibus ob-eundis sufficit? Instabit acrius, & querer an ille spiritus sit vita expers, aut particeps: vitalem vocant; resque omnes vitâ perfundit: an ei perfectione destituetur, quam omnibus tam liberaliter impetrat, adeo ut ipsi lapides & spiritus vniuersalis, & vita compotes existant? Quod si enim Paracelsitas audimus: crescent mineralia, sua maturitatis fortinunt tempora, nutriuntur quoque, excrementsa secernunt, quæ potentibus paroxysmis saepe rejiciunt, magno Metallurgorum pavore: nihil non vivit; ac sublimis illa philosophia priscis temporibus inaudita in viventium anatomia tota occupatur. Quæ cùm ira sint, non dubitabunt hunc spiritum, vel mundi animam, vel certè illius spiracula cum Platonice vocitare. Verum hæc jam inter ineptias evanuerunt; neque illa mundi anima à Christianis Philosophis recipitur, fœtus est profanæ philosophiae, quam propè dimissam frustra revocas. Non igitur ex mundi animâ, quæ cerebri vigilantis somnium est, neque ex spiritu vniuersi, qui nec concipi potest, nec enarrari, formam virgo repetenda est: sed fateri oportet è sinu materiae illas erui, & benedictione divinâ, quam in sui conditione res cunctæ accepere, propagari. Et quidem memini quod cùm de principiis rerum naturalium differentes, negabas acerrimè formas in materia delitescere, quod aliqui nulla foret generatio, sed ejusdem individui multiplicatio, vel recondita forma manifestatio: nec probabile esset formam pulli in ovo contineri: secùs duabus simul formis ovum substernetur: neque etiam anima alibi quam in corpore suis organis instruendo reperitur: an multi forma in equo actu existebat? Hæc atque alia id genus multa disputabas acutissimè. Numquid repente factus transfiga, à Peripateticis ad Paracelsitas defecisti? nihil enim quam rationes seminarias crepant; & magno supercilio reli-

quos despiciunt Philosophos, qui neglecta illarum rationum contemplatione, privationes, informes materias, & mortuas qualitates sectantur.

Sed quid sunt illae rationes, substantiae an accidentia? nihil substantiale praeter materiam, & formam novimus: quod si materia dispositiones, & apparatus, aut vim causar effectricis, qua similem procreat effectum, hoc nomine insigniunt, vltro eorum sententiae accedimus. Verum in ea sunt haeresi, quae formas in seminibus, non virtute, aut potentia, sed actu contineri statuit; atque in eo summa Paracelsica Philosophiae consistit. Negant generationem esse ex non ente ad ens processum; nisi forte, inquiunt, non entia appellemus, semina in quibus vita, potestas, essentia, scientia vigent: nec quicquam aliud est generatio; nisi fluxus seminum: quae nova in dies fieri videntur, in semine ante delitescant, melioraque vitâ fruuntur. Rursus quae hic corrupti dicuntur, non festinant ad non ens, sed destinatis muneribus absolutis, ad fontes suos recurrent. Iam semina in nocte Orphet, vel orco Hippocratis, vel in iliastro Paracelsi, atque in occultissimis elementorum abyssis latent, ut forma in seminibus, quae variis donis, & scientiis instructæ, per spiritus mechanicos, & artificiosos corpora sibi fabricant, & infelici tum principiorum, tum elementorum conjugio copulatae, in mundanam scenam producent; tuncque partium distantias, & extensiones admittunt, locorum insuetis clauduntur angustiis, & temporum tam tardas revolutiones mirantur. Auditio portentosa Severini deliria, qui pergit ineptire, cum magnificis verbis docet in semine omnia vigere, quae hic generationum, & corruptionum vicissitudine fluere, & refluere videntur; adeoque formam viuis cuiusque rei non extrinsecus accedere; non à datore formarum, post elementorum consentaneam mixtionem, infundi; non à stellarum momentaneo positu in inferiorem naturam derivari; non ex atomorum fortuito congressu integrari: sed in ipsis seminibus delitescere. Quid, si ista vera sunt, omnis generatio tollitur: nihil enim seipsum generat: forma dumtaxat emergent ex elementorum abyssis, & tamquam spectra peregrinis corporibus vestita apparebunt. Formæ erunt suis corpo-

Ref. litter.

*De forma-
rum origine,
quid Para-
celsis vi-
deatur.*

corporibus longè antiquiores , ac semen canis , jam canem appellare nihil verat. Potestne quisquam ista sentire , & literis consignare ? nihil gignitur , sed occulta quæ sunt manifestantur ; nihil quoque interit , nam formæ elementorum diversoria repetunt : hinc rursus digestis temporibus suscitantur , & admirabilis scientia , generationum corruptionumque fluxus , & refluxus moderantur. Sed quibus adminiculis generacionum liturgias perficiunt , quibus organis elementa , ac principia permiscent ? spiritibus némpe mechanicis , & architectonicis utuntur , qui amicâ societate dissentaneas copulent naturas : sunt enim visibilium , & inuisibilium ; corruptibilium , & incorruptibilium vincula , atque artificiose omnia operantur. *Qui sunt spiritus mechanici ex Chymicore sententia.*
 Hinc non ineptè mechanici nominantur ; cùmque sint corporum , & spirituum nexus , ambigunt quodammodo , & corpora sunt , sed spiritalia ; sunt item spiritus , sed corporei : tincturis suis , & impressionibus sapores , colores , & alias signaturas , seu qualitates corporibus impertinentur : horum enim omnium perfectam habent notitiam : ne forte indoctos spiritus putemus. Nec mirum si tantâ arte animantium , stirpium , imò & mineralium partes conformat. Quid est enim cur vitam . *De vita mineralium ex Severino.*
 metallis & lapidibus invideas ? tametsi individuorum propagatione speciem non custodiunt , non continuò tamen seminibus destituuntur. Quot animantes , vel plantæ steriles existunt , an forte idcirco carent semine ? neutquam : sed vitali eorum sulfuri altè infidet vis seminaria ; quod quidem sulfur , vel balsanium , digestione , & fermentatione peractis , statim temporibus turget , & efflorescit. Non dissimili modo mineralia seminibus suis , licet infecundis donantur , & sua maturitatis obtinent tempora ; nec non patoxysmorum ratas periodos , venarum ordinatas progressiones , corporum consentaneas compositiones , saporum , & colorum efficaces virtutes , ætatum discrimina , morborum , & mortis necessitatem. Nec manus est artificium in plantarum , vel animalium formis , & figuris , quam in colorum , odorum , saporum , & proprietatum , quæ in mineralibus vigent , ordinatâ explicatione. Quinetiam in iis formæ naturales non sunt prætermissa : alia namque est Adamantis , alia Crystalli forma ; non igitur eorum semina vita , vel



scientiâ destituuntur. Iam hoc ferè modo fossilium generatio perficitur. Senaria in abyssis occultata, vbi digesta expleverint tempora, cum spiritibus conjugium ineunt, qui quamvis fint initio invisibles, corporum tamen principia, elementa, & ornatum omnem in se continent: cùm dispositiones aptas, & materiam attemperatam invenere, tum donorum varietate, scientiæ abditam majestatem exerunt. Siquidem matricibus, & locis repertis, corporum visibilium, magisque concretorum admittunt commercium, tum elementa, & principia sibi idonea constituunt: sal nempe minerale, quod opportunam soliditatem tribuit: sed ne concretâ salium proprietate ligati spiritus mechanici actionum principes, officiorum injusta paterentur dispendia; adjunxit idcirco natura principium, quod copiosa, pingui, viscosaque substantiâ salis congelationem benignâ commixtione temperaret: sulfuris officium id fuit. Sed desiderabatur tertium, quod assiduâ irrigatione duo priora foveret, fluidâque, & labili substantiâ mixtionem facilem redideret: hinc sali & sulfuri adjunctus est mercurius.

Hæc adeò sunt Severini & Paracelsistarum commenta, quibus veram Philosophiam evertunt funditus; vt difficile sit de eorum temeritate, perinde ut causa postulat, dicere. Primum, Philosophi non satis habent magnifica verba fundere, sed rationibus progredivntur, & incerta certis probant. Hic verò multa falsa occurunt, pleraque dubia, nihil demonstratione stabilitum. Audio semina in orco Hippocratis quietcere, nullis dimissionum legibus adstricta, digestis temporibus fructus parere, ac sulfuri incombustibili, seu vitali balsamo insidere: addunt spiritus mechanicos scientiâ instructos variis ornatos donis, hæc semina corporibus alligare. An nobis argumenta querenda sunt, quibus hæc opinionum monstra convellantur?

- 1. Quis ignorat animantes, & plantas in seipsis sua semina possidere, non ex Iliastro Paracelsi, vel Orphei nocte arcessere.
- 2. Terra verbo divino fœcundata plantas produxit, quæ semen in semetipsis haberent, non ex vacuis elementorum abyssis reperterent. Sed illud perabsurdum, semina, & spiritus mechanicos scientiâ donare: numquid cogitando rerum imagines depingunt, aut de rerum veritate judicant, vel vnum ex alio col-

*Refellitur
Severinus.*

ligunt? Taceo spiritus in corpora degenerare, nihil interire, nihil corrumpi; cum tamen Christus & Apostolus testentur granum tritici terrae sive exceptum prius mori, quam in novam frugem adolescat. Iam quo fato semina, cum sint incorporea, corporum infelix conjugium ambiunt? non ut propriam speciem individuorum multiplicatione conservent; sunt enim formæ spiritales, & morti non obnoxiae: quid formis separatis, & spiritualibus cum caducis corporibus? Sed quis illa artem fabrilem edocuit, ut ex elementis cudent principia? si tamen principia dicenda sunt, quae ex aliis prodiere. Mitto dicere de sulfure incombustibili, cui semina, astra, radices inharent; cum sulfur, oleum, balsamum, vel quocumque alio signetur nomine, quo purius existit, hoc citius ab igne consumatur: nec quicquam sit in hoc inferiori globo ab omni corruptione tutum. Iam hic locus non postulat ut de generatione animalium ac plantarum differamus: pauca dumtaxat de mineralium ortu delibemus; hic enim Paracelsistarum factio serio triumphat.

Primum, quod vitam fossilibus largiuntur, faciunt puerili-
ter: istuc enim non temerè assertum, sed probatum oportuit.
*Metalla
non vivere*
Quod si vivunt mineralia, quid est cur non alia generent, vti
plantæ, & animantes? generantur, inquiunt, sed ex occultis
naturæ thesauris. Hæc quidem inconstantissime dicuntur, cum
Paracelsiste, atque alii magni magisterii, seu lapidis Philosophici professores, aurum in seipso suum semen recondere pertinacissime defendant. Sed illa metallorum transmutatio mea
quidem sententiæ est impossibilis, neque ex seminibus oriuntur metalla; sed ex terra & aqua permixtis, ut placet Agricola; vel ex vapore resoluto, qui frigore instar pruinæ concrescit, ut sentit summus Philosophiaæ dictator. Verum de his
alius est nobis sepositus locus. At crescunt metalla. Demus id
vobis. An continuò aluntur? nisi forte ignem vivere, quod
pabulum exigat, stultissimus Paracelsista existimet. Iam quid
absurdius, quam fossillum semina elementis nutrire, atque illa
ex orco Hippocratis evocare? an semina alimentis indigent?
Quid demum illis deest? formæ sunt spiritales (si vobis credimus) nec bene iis cum corporibus convenit. Sed neque cor-

- 3.
- 4.
- 5.
- 6.
- 1.
- 2.
- 3.
- 4.

pora alibi, quām in suis matricibus gignuntur: quis enim fecerat stellas prægnantes fructus suos, pluvias scilicet, ac ventos in aëre; aurum, & gemmas in terrā deponere? Vnumquidque elementum, inquit Severinus, non in propriā, sed in peregrinā regione parturit. Atqui hoc falsum est, neque aqua in terram sua semina immittit, sed in seipsā concipit, & concepta semina promovet: idein in terra v̄suyenit. Falsum id quoque est quasdam stellas ventorum generationibus incumbere, in quibus spiritus mechanici, & scientiæ lateant talium corporum productrices. Quis nescit pluvias ex vaporibus, quos è terrā, vel mari Sol evexit prodire, non ex sideribus demitti? quasi vt Aristophanes de Iove jocatur, & Paracelsus de stellis seribugatur, sidera per cibrum mejerent. Quod si quasdam stellæ australes ventos, aliæ boreales excitant; profectò in eodem terræ hemisphærio, eosdem simul spirare ventos necesse est: nam ex eadem vbiique stellæ colluentes. Verūm hæc otiosorum hominum, atque in Paracelsi Iliastro sonniantium deliria facessant.

De principiis Chymicorum diversa opiniones.

Venio ad ea quæ veri propria mihi videntur, nimirum ad principia ex quibus Chymici omnia campingunt corpora. Ego quidem optarem, vt inter hujus scientiæ professores magis conveniret: magna quippe est inter eos de numero, naturâ, & officiis principiorum dissensio. Sunt qui principia ex elementis, tamquam ex fontibus deducant; aliis contrarium placet, ac negant prima rerum initia ab elementis prodire: nec desunt qui putent in rebus omnibus eadem non esse principia: neque enim sit eis verisimile sulfur auri ejusdem esse naturæ cum aquâ ardente, seu vini sulfure: contrarium ab aliis defenditur, quod plantæ ex mineralibus, animalia ex plantis nutriantur: vnde apertissimè colligi putant eadē esse omnium corporum exordia. Iam vtrum stirpes è terrâ, vñà cum succo, hæc quoque rerum primordia elicant; an potius ex eodem humore diversa principia vitali facultate producant, magnâ opinionata contentione certatur. Plerique posterius assertunt, cum ex maturis, & immaturis fructibus, eadem non eruantur principia: illa igitur humoris ex quo planta alitur, non inerant actu, sed potestate tantum, & sua habent coctionis vel maturitatis tempora. Reclamant alii, & prima rerum exordia non fieri, sed

tantum secerni contendunt; cum ex eodem humore simplici & vniuersitatem, tam diversa principia prodire nequeant: neque idem agens ex eodem subiecto diversos effectus procreare posse. De numero principiorum nullatenus inter se consentiunt. Paracelsus à Basilio Valentino, & Isaaco Hollando sulfur, sal, & mercurium mutuatus est. Libavius quintam essentiam, seu ætheream substantiam, vel calidum innatum adjicit. Veteres Alchimistæ duo dum taxat metallorum principia, sulfur, & mercurium agnovere: Geber arsenicum his adjungit. Omnes hoc communis errore labuntur, quod ea decernant principia, in qua corpora mixta resolvuntur. Id vero concedimus, cum res naturali putrefactione dissolvitur: non autem cum vi quadam per ignem destruitur: ignis quippe haec principia generat, non educit: nam si varios ignis gradus adhibeas, diversos itidem effectus procreabis. Exemplo sit vinum, ex quo spiritum tenuissimum, phlegma seu aquam, acetum, aquam ardenter, oleum pingue, terram, salem denique tum fixum, tum volatilem eliciunt. Plura ex viriolo proferunt: an tot principia statuenda sunt, quot res diversæ extrahuntur? Frustra nobis obtrudunt varias opii & vini qualitates, quas non nisi ex diversis principiis oriri possunt colligunt. Diu multumque de opio dubitatum est, inquit Danus, quæ ratione in tantâ amaritudine stupefaciendi virtus excelleret: nos substantiarum factâ separatione, sulfur, vel oleosum quippiam deprehendimus planè narcoticum: ejusdem naturæ fulsura antea conspexeramus: eadem analysi in opio sal quoddam diaphoreticum deprehendimus, quod subtili resolutione penetrando sudores moveret, cuius similitudinem in multis naturæ partibus similiter demonstrare possumus. Simili planè modo in vino oleum calidum cum multo phlegmate, & tartaro conjunctum deprehendimus: hinc minus admiramur cur calidum cum sit, diuturnorum, & gravium morborum, calculi, podagre, & colicæ causa esse possit. Haec quidem magnâ verisimilitudine dicuntur. Enimvero si quis ex te, Severine, requirat, cur opii sulfur somnum inducat, sal sudores exciteret: neque enim haec vites in sal, vel sulfur omne cadunt. Quid est cur spiritus vini inebriet, non item alia sulfura, vel olea: cur sal Rhabarbari adstringat, cum oleum

illius virtute pūrgarrice excellat? hærebis forsitan, nisi ad peculiarem crasim vniuersusque corporis eum Galenicis, vel ad formas specificas cum Peripateticis te referas.

Sed non alio magis angor, quām quōd principia ipsa Chymici inconstantissimē designant: nam ut taceam de sale, & sulfure, nondum constare nobis potuit, quid per mercurium intelligant: an purissimum spiritum, inflammabilem, & planē cælestem? Verūm hic nihil est quām sulfur tenuissimum, vel solemnis illa non magis cognita, quām nominata quinta Aristotelis essentia. An spiritus acidus, & penetrans mercurii nomine insinuat: at multi negant hanc aciditatem aliunde, quām à sale volatili proficisci; quo quidem siacerdosum liquorem spoliaveris, humor fatuus, & insulsus remanebit. Non ineptè quidam mercurium nihil ab aquā differre arbitrantur: sic enim commodiū explicari potest: nunc ad te referto quos sequar? Sed illud palmare est, omnes sapores sali, atque odores sulfuri tribuerent: quasi ex eodem sale tanta saporum varietas proficisci queat. Nucem arborem in cineres redige, salem extrahe, cedo an sal ille omnes exhibeat sapores, qui in foliis, cortice, nucleis magnā varietate discernuntur: an sulfur ipsum omni sapore destituitur? Verūm hæc ad vivum non refoco: jam alias de principiis Chymicorum disputatum à nobis est subtilius: hæc adeò placuit leviter perstringere, quod te ab Alchimistatum vanitate, si fieri posset, retraherem.

Quae sit nostra de placentis Chymicorum sententia.

S I M P. Non est quōd vereare, ne ad Paracelsi, vel Severini stultas opiniones dilabar: ipsam quidem Alchimiam amo, quōd naturas rerum quasi persecare, & aperire videatur: sed illos Chymicos odi malè, qui opinionum suarum monstra, tamquam certissima decreta venditant; fingunt omnia, probant nihil. Quocirca nobis hoc ipsum faciendum est, quod Alchimistæ profitentur, purum scilicet ab impuro, verum à falso est secernendum. Nec verò sum adeò mentis inops, ut cum Severino existimem formas rerum in feminibus aëtu esse reconditas; vel ex invisibilibus elementis, tamquam è latebris in lumen prodire: nec spiritus mechanicos scientiā, & intelligentiā præditos existere, mihi vñquam persuadebunt illi fumivenduli. Vix credam metalla vivere, vel tamquam siderum fructus è

cælo in terram demitti: hæc qui sentiunt, prorsus despere arbitror. Cæterum quæ tibi vehementissimè displicant; nimirum spiritus vniversi, quo cuncta perfunduntur; rationes seminariæ, ex quibus formæ omnes repertuntur; mineralium ex propriis seminibus procreatio; tria demum per vulgata Chymicorum, ex quibus rerum omnium vires ducuntur, principia: hæc inquam puto probabiliter posse defendi; neque tamen ea sicut caput, & famam tueri necesse est. Verùm captiosis interrogatiunculis tentas nos circumscribere: quæris an spiritus ille substantia sit, vel accidens; unus an multiplex; vita particeps, an secùs? hos quidem cavillos nobis discutere in proclivi est. Itaque respondeo spiritum illicum cælestem tenuissimam esse substantiam ex materiâ, & formâ concretam, simillimam spiritui vitali, qui à corde per arterias in omnia corporis membra diffunditur; qui cùm sit uniusmodi, varia tamen obit munera, quod animæ sit primarium organum. Adderet Aristoteles hanc spiritum esse veluti flammarum purissimam, cuius oleum, & quasi pabulum sit humidum primigenium. Generantur, inquit, in terra animalia, & plantæ, quoniam humor in terrâ, spiritus in humore, calor animalis in vniverso inest: ita vt quodammodo plena sint animarum omnia. Calor igitur cælestis, quem alia longè ab elementari diversum esse confecimus, huic spiritui insitus est: quemadmodum humidum radicale, quod spiritus ætherei est veluti pabulum, humor elementari longè præstantius existit: nam vt calor cælestis blandus est, & suavis, non vorax vt igneus: sic humidum primigenium est vita fomes, materia, & forma nexus, elementorum gluten, oleum purissimum: hoc humore cineres ipsi diluuntur, & vitro cælestem planè naturam tribuit; neque enim vitrum posset fluere, si omni humore foret destitutum. Frustra interrogas an ille spiritus vivat, an suâ donetur animâ? nego eum vivere, quamquam sit corporis, & animæ vinculum: est quippe similis, vel ejusdem prorsus naturæ cum spiritu vitali animalium, qui instrumenti nomine vitales functiones obit; nec vivit tamen. Quamquam Alexander Alensis huic spiritui vitam tribuere non reformidet; adeò vt spiritus vita sit particeps, non animæ: neque increditè vitam ab animâ discrimi-

*De spiritu
vniversi.**Respondetur
objectione
bui.**L. 3. de
gen. aa.*

nat, cùm anima corpori inesse queat, tametsi vitam illi non impertiat: quidni etiam vitam sine animâ consistere posse fateamur? Sed vtrum ista defendi possiat, ipse viderit: nobis satis fuerit spiritui vniversi vitam, tamquam divinæ providentiaz organo, & naturæ ectypaz concedere. Nec multum nos torquet alia interrogatiuncula, vtrum vnuſ sit, vel multiplex? vtrumvis elegeris, mihi perinde est. Vnus est, antequam ad rerum individuarum compositionem descendat; varius & multiplex, vbi naturam aliquam constitut: sic varias exerit actiones, quatenus diversis formis quasi famulatur. Vnde ergo, inquietas, tanta rerum varietas, si vnuſ sit spiritus omnium generationum opifex? Vnde, nisi à rationibus seminariis, quæ nihil sunt, quād quidam idearum quasi characteres, numeri efficacissimi (vt cum Platonicis loquar) qui generationes promovent. Est quippe ratio seminalis vis quædam occultæ, quæ materiam ideæ divinæ conformat, (sic illam doctissimus Furnencus definit:) neque aliunde quād ex ideis formarum origo, & varietas deducitur: istæ sunt formæ principales, & originales regulæ, ex quibus quæcunque nascendo ad oculos nostros excent, accipiunt progrediendi primordia, & incrementa debitæ magnitudinis, distinctionesque formarum. Non enim ab informi materiâ formas omnes, vel stabilem rerum seriem ex naturâ instabili proficiunt, mihi fit verisimile. Sed rationes seminariae jam alias sunt à nobis explicatae, atque ab iis, si videbitur, qui ista disputant queritote.

M E N. Nos autem à te potius. Nec clam me est, non Platonicos modò, sed etiam Augustinum, occultis illis rationibus divinæ sapientiaz organis, rerum omnium formas, & distinctiones acceptas referre. Sed quid sint istæ rationes, spiritales, an corporeæ; substantiaz, vel accidentia; formæ ipsæ, an formarum rudimenta, quod sit earum subjectum; effectrices, an formales sint causæ, quotusquisque explicat? Quare da nobis hanc veniam, vt ea quæ sentis audiamus.

S I M P. Ego verò tibi obsequi studeo: nec gravabor breviter, meo more, quid sentiam dicere. Ac primum, à seminum cognitione sensus ipsos remoyeamus: nam eorum censuræ neutiquam subjiciuntur. Nam vt pulcrè Augustinus, rerum

quæ

quæ corporaliter, visibiliterque nascuntur occulta quædam semina in ipsis corporeis hujus mundi elementis latent: alia sunt enim hæc jam conspicua oculis nostris, ex fructibus, & animalibus; alia vero illa occulta istorum seminum semina, unde jubente Deo Creatore produxit aqua prima natatilia, & volatilia; terra autem prima sui generis germina, & prima sui generis animalia: neque enim tunc hujusmodi fixus ita producti sunt, vt in eis quæ producta sunt, vis consumpta sit; sed plerumque desunt congruae temperamentorum occasiones, quibus erumpant, & species suas propagent. Fateor equidem, mihi Theophile, res omnes benedictione divinâ accepisse vim sui similis productricem: at quiddam est in rerum naturâ quod jussum divinum exequitur, & generationis principium intimum existit. Docet quidem scriptura Deum ab omni opere quod creavit, die septimo cessasse: cuncta enim in feminibus suis tum creata fuerunt, per generationem hæc semina in formas visibles explicantur. Hoc ipsum aperiissimum colligit Augustinus. In semine ergo, inquit, illa omnia fuerunt primitus, non mole corporeæ magnitudinis; sed vi, potentiaque causaliter: nam illa magnitudo copiâ terræ, & humoris congesta est; sed illa in exiguo grano mirabilior præstantiorque vis est, quæ valuit adjacens humor commixtus terræ, tamquam materies verti in illius ligni qualitatem, in ramorum diffusionem, in foliorum viriditatem, ac figuram, in fructuum formas, & opulentiam, omniumque ordinatissimam distinctionem. Quid enim ex arbore illâ surgit, aut pendet, quod non ex occulto quodam thesauro seminis illius extractum, atque deproprietum est. Eadem ferè paulò superioris præmisserat, cum exponearet locum illum Geneseos: Fons ascendebat de terrâ, & irrigabat omnem faciem terræ. Omnia, inquit, primordia seminum; sive vnde omnis caro, sive vnde omnia fructeta gignuntur, humida sunt, & ex humore concrescent: insunt autem in illis efficacissimi numeri trahentes secum sequaces potentias de illis perfectis operibus Dei, à quibus in die septimo requievit. Venimus non locis, sed rationibus pugnandum, & quid sit illa ratio seminalis breviter est aperiendum.

Nec substantiaz, nec accidentis nomen illi convenit, si
P.

*Quid sura.
no semina-
ria.*

exquisite, atque ad scholasticorum regulam loqui volumus: non enim est quiddam completum, quod alicujus praedicamenti claustris arceatur; sed radix est tum substantia, tum accidentium. Nam rerum omnium numeri, & species in rationibus illis latent, non tumore locorum distenti, sed quasi complicati, atque eo ferè modo (vt ab exemplo Augustini non recedam) quo omnes numerosi soni Lusciniæ imaginationi quasi spiritualiter imprimuntur: vel ut pulcri alicujus carminis numeri in ipsâ arte delitescant: non enim ars quâ versus fabricatur, sic tempori obnoxia est, vt pulcritudo ejus per mensuras morarum digeratur; sed simul habet omnia, quibus efficit versus non similem habentem omnia. At molestissimâ subtilitate inquiritis, vtrum illæ rationes formæ sint, an formarum exordia? cum formis eas non confundimus: cùm hæ sint fluxæ, & caducæ; rationes semifinales non item: sunt igitur formarum potius effectrices, quā formæ; rationem, & quasi vim plasticaum rerum continent, non ut causæ principes, sed ut instrumentariæ: sic artem quâ versus cuditur, ab ipso versu discernimus. Nihil verò aliud est spiritus ratione seminali prægnans, nisi natura ipsa formarum radix. Quid autem natura, nisi ars Dei in materiâ? Cùm igitur res gignuntur, numquid formæ priùs in materiâ existebant? Responderet Albertus formarum essentiam in materiâ ab ipso mundi exordio, sub existentiâ alienâ delituisse: sed cùm res generatur, tum propriâ fruitur existentiâ. Huic opinioni neque omnino accedo, neque planè dissentio: sed ut omnem effugiam cavillationem, rationes semifinales ut idearum vicarias, effectricis, non formalis causæ titulo rerum omnium formas procreare statuo. Nam ut scitè Augustinus, sicut matres gravidæ sunt foetibus, sic ipse mundus gravidus est causis nascentium. Iam ubi materiam idoneam nactæ sunt, tum quæ secreto naturæ sinu abdita continentur, erumpunt, & explicant mensuras, numeros, & pondera sua, quæ in occulto acceperunt. Idque eo ferè modo perficitur, quo ratio mente concepta inflati pulmonis captat occasionem, ut voce sensibili induta, distinctè exprimat, quidquid antea indistinctum, & quasi convolutum gerebat. Nec dubito quin rationes seminaliæ, distinctione, si minus reali,

certe formalis, ab ipsâ materiâ secernantur: nihil quippe sola materia molitur: atque alia est in semine ratio frondis, alia floris. Quid ergo sunt illæ rationes, corporeæ, an spiritalis? Diu est quod Doctor eximius Alexander Alensis huic occurrit interrogatio: quod nimis elementis mundi indita sit quædam natura simplex, & incorporea, alia à natura elementari; quæ quidem virtus, seu seminalis ratio dici potest corporalis, quia radicatur in corporibus, seu in elementis; & spiritalis, quia mole caret corporali.

Restat ut iis respondeam, qui subjectum & sedem harum rationum demonstrari sibi postulant; quod quidem nobis est in promptu: non enim alibi quam in ipso spiritu æthereo inhabitant. Custos verò hujus spiritus, ac seminaria rationis semen est visibile, quod potestate, non actu formam continet. Quare cælum ad generationem causæ universalis nomine conspirat; calore suo cuncta promovet, inferiores causas excitat, & corroborat: sed è cælo formæ non delabuntur, vt suo loco ostendimus. Vnumquodque medio semine tamquam instrumento, suum simile procreat. Hinc virtus generantis est principium, quo, (sic enim hodie rerum nomina obtinent) ratio verò seminalis principium erit ex quo res quæque gignitur. Existit autem hoc loco quædam quæstio subdifficilis de animalibus, quæ ex putredine nascuntur, vbi seminaria eorum rationes delitescunt: non alibi profectò quam in spiritu universi: aut dicant mihi qui contrarium sentiunt, quæ sit effectrix causa istorum animalium: vnde prodeant quæ è terra nascuntur injussa gramina? Numquid forte à cælo formantur? Sed cælum cum sit omni vitâ privatum, quâ poterit vitam, & sensum largiri? nulla causa effectu suo deterior est, maximè si principis causæ nomine operetur. An necesse est ad intelligentias corporum cælestium motrices recurrere? at principium generationis intrinsecum, & naturale inquirimus. Cælum quidem ab Angelis moveatur, nihil repugno. Num continuo Angeli principales erunt generationum causæ? Hanc ego subtilitatem Philosophiâ indignam judico. Influxus cælestes his inferioribus fortasse applicent: non aliud præstabunt, quam quod cæli viribus est attemperatum. Non igitur spiritalis illæ na-

De ani-
mantibus,
que ex pa-
tredine na-
scuntur.

turæ causæ sunt naturales eorum, quæ sine manifesto seminè gignuntur. An verò saltem ut artifices operantur? ne id quidem: quid enim est opus artefactum, nisi id quod ab ideâ artificis formam suam mutuatur? atqui res naturales non Angelorum, sed vnius Dei ideas, seu formas originales participant. Structura, & conformatio animalium majus quiddam est, quam ut ab illâ creaturâ, tamquam ab artifice procreari queat. Aliud est, inquit sublimis Doctor, ex intimo, ac summo causarum cardine condere, atque administrare creaturam, quod qui facit solus creator est Deus: aliud autem pro distributis ab illo viribus, & facultatibus aliquam operationem forinsecus adhibere, ut tunc, vel tunc, sic vel sic exeat quod creatur. Ista quippe originaliter, ac primordialiter in quâdam texturâ elementorum cuncta jam creata sunt, sed acceptis opportunitatibus prodeunt. Quid igitur restat nisi ut soli Deo tamquam omnipotenti artifici, & cause principi omnium animalium quæ sine semine nascuntur, ortus tribuatur. Sed fors est, ut Deus non sit immediata, & proxima generationis causa. Quamobrem reliquum est ut spiritum cuncta permeantem, rationibus seminariorum fecundatum cum universâ Academicorum familiâ agnoscamus.

Nec stirpes modò, vel animantes, sed lapides etiam, metalla, & cuncta fossilia ex iisdem causis procreantur; non ex fortuito elementorum concursu, vel ex sublatis vaporibus, frigoris vi concrescunt: non enim frigus quicquam generat: neque ex terrâ, & aquâ permixtis aliud quam lutum fieri potest. Corporum quædam affectiones, ut densitas, raritas, durities ab elementorum qualitatibus non absurdè repetuntur: at ratios, & naturæ corporum, ab intimo motu, atque ab interiore principio oriuntur; quod quidem principium seminale res cunctas maturat, perficit, ac certis circumscribit figuris. Vnde quæso te crystalli hexagonam figuram ubique sortiuntur? an forte ex fluitantis materiæ concretione? an potius ex spiritu architecto suis rationibus seminariorum instructo? sed quid crystallos solas commemoro, cum natura vel in lapidibus arenaceis quiddam regulare affectet: nam cotes duplo longiores, quam latæ esse solent: sic arenulæ quæ ex vesicâ expelluntur, rhombi

figuram imitantur: hinc fortè suis angulis tantos excitant doles: sal gemmeus ex atomis cubicis exsurgit. Numquid hæc temerè, & fortuitò eveniunt? Quid igitur est cur mineralia ex intimis principiis, vel seminiis, vñ plantæ non orientur? tametsi stirpes fœcundæ esse soleant, non item fossilia. Non enim aurum aliud aurum gignit. Stirpium quoque semina terra mandantur, vt multiplicata species suas conservent: semen verò fossilem in ipsis conclusum, & occultum manet: longâ temporum successione propriam materiam immutat, coquit, & perficit; non enim sequacem, vt in plantis materiam offendit. Vt semel finiam, fossilia maximam cum plantis habent cognitionem: nam instat arborum eriguntur, in ramos ac venas diffunduntur; pleraque exhausta ex seminiis renascuntur; crescunt quodammodo, & nutriuntur: neque tanto à plantis intervallo, quanto stirpes ab animalibus, dissident; adeò vt infimum vitæ gradum obtinere videantur. Sed ne verbi controversia nos torqueat, fateor mineralia omni vitâ destitui; spiritu tamen æthereo perfundi, & suis rationibus seminaris instrui jure contenderim; cùm iisdem vbiique viribus, figuris, & coloribus donentur.

Venio jam ad principia Chymicorum, quæ tibi non probantur, quòd ne Chymici quidem de numero, naturâ, & officiis principiorum inter se consentiant. Nimis invidiosè hæc à te dicuntur: nōnne & ipsi Peripatetici in multis, ne dicam in omnibus ferè dissentiunt. Nonnulli elementa actu in mixto, alii potestate tantum remanere contendunt. Quanta pugna est de elementorum qualitatibus; vtrum integræ, vel retuse conserventur; an potius iis decedentibus novæ succrescant? vtrum ex earum pugnâ, nova eaque simplex qualitas exsurget? quare Chymicos in invidiam vocas, quòd negent omnes corporum vires ex elementis prodire, ac nova inducent principia, quæ ad intimam corporum mixtorum essentiam pertineant? minùs fortasse de numero principiorum inter eos convenit; at illud certè apud eos constat qualitates omnes ab elementis non duci. Neque enim vis narcotica opii, aut facultas purgatrix Rhabarbari à terrâ, vel aquâ proficiuntur: nec tanta saporum, & colorum varietas ab elementis insipidis, atque omni odore,

De principiis Chymicorum quid sentiendum.

vel colore destitutis prodire potest. De sulfure quidem, & sale magna est inter eos consensio; mercurius dubiae magis & antiquitatis naturae existit. Nonnulli eum spiritum acidum definiunt: in hanc quidem sententiam multum olim propendebam, cui nunc planè non confido, cum nittum, & sales quique volatiles istam aquae aciditatem concilient. Imò spiritus salis cum lapide calaminari distillatus omnem ferè aciditatem exuit. Mercurium alii nihil esse putant, quam liquorem aqueum corporis mixti virtute imbutum, qualis est aqua rosacea. Sed quid propriè sit mercurius, quia parum refert, liberum opinaturis relinquo. Neque etiam hic discutiendum est, utrum principia actu (quod mihi probabilius videtur) an potestate tantum in mixto resideant: satis est, si revera inesse fateamur.

Objec^tio 1.

Respon^so.

Objec^tio 2.

Solutio.

At inquis, hæc sunt ignis artificialis, non naturæ opera. Mirum si tantum arti liceat, ut essentias quæ priùs non erant, efficiat. Numquid ex vino spiritum ardenter elicimus, quo extracto frustra tentaris alium prolectare? Quid causæ est cur in ipsis essentiis eadem vires deprehendantur, quæ in mixto inerant? quid ignis, nisi ignem procreat? quid demum est cur ex eodem vitriolo, spiritum, oleum, sal, terram, & aquam producat? sed cur ex omni vitriolo idem spiritus elicetur? Cùm fini calore, vel balneo roris distillantur liquores, numquid ignis violentiam, atque artificiale corruptionem obtendes? an potius eadem in artificiois instrumentis, quæ in naturæ ipsius vasibus eveniunt; nisi quodd in illis diversa corporum principia facilius discernantur: non enim in aurasabeunt, sed suis conceptaculis excipiuntur. Falsa querela est non educi principia, sed produci. An terra ipsa quæ in cineribus supereft, vel aqua quæ vñacum spiritu distillatur, ab igne artificioso procreantur? Neque is sum tamen, qui elementa nihil esse quam sordes, & excrementa corporum puteam. Terram, & aquam nihil ad mixti essentiæ pertinere, sed esse capsulas, & involucra principiorum, sentiunt quidem impuri Paracelsistæ, quibus minimè accedo: non enim ex solis nutrimur essentiis, vel principiis: ex iisdem vero alimur, ex quibus constamus: non igitur sola principia compositionem rerum ingrediuntur. Sed neque ex elementis principia, vel vicissim elementa ex principiis prodeunt:

nunquam enim terra in salem, vel sal in terram facebat. Elementa materiae vices obeunt, principia magis ad formam videtur attinere: siquidem calor, frigus, humor, & siccitas, quæ ex elementis diminant, materiam magis sapiunt, & qualitates sunt omnibus corporibus communes. Sed odor, sapor, vis purgatrix, & aliæ facultates, quæ ex principiis ducuntur, formales, propriæ, ac specificæ jure nominantur. Hinc Menes eos sapientes vocat, qui quod occultum erat manifestant, & quasi speciem à materiâ separant, quæ quidem sunt Chymicorum partes. Hanc ipse Galenus olim optabat artem, quæ diversas mixtorum corporum partes secereret. Verum cùm de principiis alio loco multa dixerimus, nunc mihi est perorandum. Sed tibi quid tandem videtur, optime Menander.

¶S ***** S.

C A P V T S E C V N D V M.

De mixtis terreis, & variis terrarum generibus.

- a. *Principia Chymicorum ex Cartesii decretis exponuntur.*
- ii. *De resolutione, & variis illius differentiis, nempe sublimatione, distillatione, calcinatione &c. agitur.*
- iii. *De diversis terrarum generibus, & usu pertractamus.*

M E N A N D E R.

DI STRA HOR, cùm hoc, tum illud probabilius mihi videretur. Principia quidem Chymicorum non planè rejicio; sed nego ea inter se aliter, quām partium subtilitate, vel crassitie, figurâ, vel situ differre. Primus enim īsq[ue] tenuissimus humor, qui inter distillandum evehitur, mercurii nomen accepit; nihil est quām aqua corporis tincturâ, vel essentiâ leviter imbuta: minus censetur utilis, quod humor sit dumtaxat alimentarius, nondum bene concoctus, vel percolatus, qui facile egreditur, quod cum aliis partibus malè cohæreat. Hunc excipit oleosus humor intimus corporis mixti succus, quem sulfur, vel spiritum vocant: is majore calore attollitur: altius quippe rei ipsi

*Principia
Chymicorum
ex Cartesii
placuis ex-
ponuntur.*

ex quā elicitur, insidet. Salis demum nomine quidquid sursum efferti nequit, insigniunt: crassioribus enim constat particulis, quam ut à calore evichi possint. Quare fæces illæ crassiores, nec caloris vi satis agitari queunt, ut liquefcant; nec attolli, ut in humorem distillentur. Hinc omnia naturæ, & artis miracula calore, & frigore perficiuntur; calor movet, agitar, dissolvit, aperit, separat; frigore verò humores concrescunt, interim secernuntur, ut in sanguine videre est. Iam vbi fossilium, & rerum sensibilium naturas, vel causas scrutamur, frustra recurrimus ad spiritus mechanicos, vel rationes seminarias, atque alia ignorantia nostræ patrocinia: hæc enim sunt densissimis circumfusa tenebris, neque ullâ ratione percipi possunt. Alia sunt principia magis obvia, & intellectu faciliora, quæ magno errore inflati contemnimus. Placet mihi illustris Cartesii (cujus memoriam excipient omnes anni consequentes) sententia, quâ nulla corporum principia agnoscit, nisi eadem cum rebus ipsis consentiant, & sint explicatu facilia. Finge aliquem non planè impolitum, qui te vltro percontetur, quæ sit causa illius aciditatis, quam in spiritu vitrioli deprehendimus; quare aquæ fortes metalla, & lapides dissolvant, cur è contrâ pleraque olea quamdam præ se ferant dulcedinem? numquid forte ad materiam, vel formam, aut spiritum vniversi rationibus seminariis prægnantem te referes? Næ tu illi furere videberis: quid enim absurdius quam rebus manifestis causas incertas, & abstrusas reddere? Quod si eum aperte docueris spiritum vitrioli, vel nitri ex particulis rigidis, oblongis, & duris compingi, quæ tamquam aciculæ linguam pungant, subeant, penetrant, ac tandem dissolvant metalla: olea verò ex particulis mollioribus, & flexilibus componi; hinc linguam non vellicant, sed leniter allambunt, ac pinguedine suâ demulcent. Profectò ille tibi vehementer assentietur, atque vltro in tuam concedet sententiam. Sed redeo ad principia, & causas fossilium.

Omnis ut naturæ, sic artis operatio mixtione, & resolutione continetur. Cæterum eo ferè modo miscibilia natura permiscer, quo cernimus Pharmacopolas in suis mixtionibus procedere; terunt corpora quam fieri potest minutissimè; coctionem adhibent: nam calor dividit, resolvit, agitat: humore tandem diluunt;

diluunt; est enim humor quasi vehiculum, & facile subitmixtū corporicula, illaque separat, ut exquisitiū miscentur. Neque aliter, quantum augor, metallū, & lapides ex tribus principiis, mercurio, sulfure, & sale optimè permisit exsurgunt. Mercurium voco hydrargyrum, cuius atomi à subtili materiā (non enim à Cartesii decretis facile dimoveor) agitantur, nam licet sint crassissimæ, male tamen cohærent. Sulfur est succus oleosus, cuius particulae flexiles, & ramosæ materiam omnibus buminibus, quæ è terrâ exæstuant, suggerunt. Sales denique, ut vitriolum, alumen, nitrum constant ex rigidis, & acutis corporiculis. Omnia, ut jam dixi, mineralia ex iis succis compinguntur: nam liquida quæ sunt, facile permiscentur.

Omnem verò mixtionem præcedit quedam resolutio, quæ varia est, & multiplex. Exhalatio inter præcipuas illius species numeratur, eaque nihil est quām resolutio in halitus; illius adeò tres species recensentur; sublimatio, distillatio, & calcinatio. Quod si halitus in corpus durum concrescat, sublimatio dicitur: sic flores ex sulfure, stibio, & aliis mineralibus attolluntur, ac superiori vasis in quo incenduntur, parti, instar pruina adhærescunt: quo quidem modo metallū generari credit Aristoteles; rectè, an fecūs postea viderimus. Plerumque autem sal volatile sublimari solet: hinc sublimata acria sunt, & caustica, s̄epe etiam & venefica, ut hydrargyrus sublimatus: corporiculis enim duris, acutis, & penetrantibus constant. Sic fuligo quæ ex incensis lignis, vel succis pinguioribus attollitur, est acetrima; & quia ex striatis particulis componitur, amarum præ se fert saporem, camino tenaciter inhæret, & præ illis particulis asperis facile insigitur: flammam tamen concipit, quod omni oleo non destituatur. Illud quidem oleum non ignis violentiā, sed quod magis mitere, summo extrahitur frigore. Fuligo multā aquā, vel vrinā, quæ huic negotio optima est, diluitur; coquitur donec rubedinem quamdam, quæ sanguinem referat, contraxerit; sub dio frigori intensissimo exponitur; confractā glacie excipitur oleum fuliginis, quod in medium locum scabie fœtidæ, atque aliis id genus morbis remedium. Omitto fuliginem vberiorem esse circa superiorem camini partem,

De sublimatione.

De fuligine.

quam versus infimam: nam vbi nimio calore, vel flammâ agitur, non facile potest consistere. Soler autem plerumque in floccos glomerari, quod omnis halitus in filamenta, & flocculos diducatur. Sic mucus in pane, & aliis corporibus putredini obnoxii, æstate præsertim, in filamenta floccescit; quod nimio æstu multus halitus diffletur. Nec solus calor, sed etiam humor aëris immodicus mucum educit copiosorem, quod halitum erumpentem crastites aëris, vel humiditas repellat, cùmque in summâ panis superficie hætere compellat. Verùm ista ad putredinem spectant, de quâ jam aliâs diximus, eâunque eum calore, tum humore perfici satis compertum est: sive quod calor aëris ambientis intimum corporis mixti calorem vñâ cum humore evocet, quo vinculo sublato, miscilia dissolvi, & separari necesse est; sic enim placet Aristoteli: seu potius calor poros corporis subeat, & aditum præbeat corpusculis actioribus, quibus fibrae jam calore dissolutæ laxantur, & subtiliores mixti corporis partes exhalantur. Humor verò eamdem fere ruinam affert corporibus: nam fibras solvit, ac subtilissimas rei cuiusque partes secum educit.

Distillatio. Nunc ad secundam exhalationis speciem accedo, in quâ sublati vapor concrescit in liquorem, distillatio nominatur. Hæc meo quidem judicio est præcipua naturæ rota, quâ omnes ferè suos perficit motus: huic tota incumbit Alchimia; modò vapores in Alembico sursum extollunt; aliquando per ignem rotæ, vel circularem carbonibus in orbem dispositis, & sensim admotis, humorem deorsum propellunt: sed vbi olea tenaciora sunt extrahenda, quoddam vasis genus, quod retortam vocant, adhibent; atque illius beneficio liquor magis rebellis ad latus, vel vt loquuntur, per inclinationem elicetur. Nonnumquam distillatos liquores suo magnati, seu fæcibus remiscent, vt intimam essentiam, quæ plerumque in fundo vasis contumacior residet, educant: nam humor affusus tritas, & excusfas corporis distillati partes solvit, laxat, & secum trahit. Humore resoluto, restant soli cineres; vnde hæc operatio quæ corpus mixtum in minutissimum pulverem, omni humore absumpto redigit, dicitur calcinatio, quæ tertia est exhalationis species.

Cinis quidem è plantis, & animantibus; calx verd ex lapi- Calcinatione
dibus, vel metallis potissimum educitur. Tum calces, cùm ci-
neres quamdam præ se ferunt albedinem, quod terrestres ato-
mi quibus maximè constant, globosæ sunt, & rotundæ, & ra-
dios in omnes reflectant partes: hinc illa cinerum mollities;
nam sphærulæ nullis angulis tactum offendunt. Corpuscula
tamen acria, & caustica continent, quæ non ignis vi, sed solâ
aquâ separantur: terrestres enim particulae ignis calore non fa-
cile excutiuntur, quod crassiores existant, quām ut eas subtri-
lis materia, quæ omnium corporum meatus subit, & in per-
petuo versatur motu, exagitet. Sed cùm laxiores habeant po-
ros, humorem facile admittunt; is enim tenuiores partes se-
cum educit, vt in ipsis vulgatis infusionibus vnuenit. Hinc
lixivio sordes linteorum absterguntur: nam acria illa corpo-
scula humoris beneficio, lintei meatus subeunt, tenaciter ad-
hærescent, nec elui possunt, nisi sordes vna secum abripiant.
Non dissimili ratione calcis corpuscula caustica, corrosiva, &
acerbita cùm sint, corporum particulas penetrant, & citè dis-
olvunt: hinc absunt cadavera, & arenam conglutinant.
Si qua verd sit ratio seminaria, seu vis organica, & plastica, in
ipsis delitescit cineribus. Hinc illa plantarum è cineribus tena-
centium à Chymicis adeò jactata phantasmatum: infinita propè
ab iis referuntur exempla. Quercetanus narrat se lixivium ex
vrticarum cineribus confecisse, quod hiberno tempore con-
gelatum vrticas apprimè delineatas exhibebat. Idem refert se
vidisse Polonum, qui cùm varia haberet vasa sigillata, & in sin-
gulis pulverem quemdam debitè præparatum, moderato calo-
re adhibito, quam quisque veller plantam ostenderer. Nec
memoro ex sumis animalium easdem sæpe herbas oriri, quæ
ipsis pecoribus pabulo fuere. Imo testatur Beguinus plantas ex
sparsis cineribus nonnumquam exsurgere. Ex canicris calcina-
tis & in aquam stagnantem projectis, alios subinde cancros re-
nasci, plerique se expertos dicunt. Multis quoque profuit plan-
tarum radices cinerum dilutis perfundere; sive quod sal spiritus
vivifici, & rationum seminalium custos existat, vt Chymici
omnes contendunt: sive ut existimat amicus noster, vir sumi-
mo ingenio, & exquisitæ scientiæ, superfusus imber subtilia

Q ii

saliūm corpuscula secum evehat, quibus occlusi per hiemera fibrarū meatus, recluduntur. Satis, vt opinor, de præcipuis naturæ, & artis Chymicæ resolutionibus dictum est.

Liquefactione. Nihil addo de liquefactione, quâ partes dumtaxat homogeneæ, & congeneres corporis mixti separantur, cùm perfecta resolutio etiam heterogeneas dividat. Hinc metalla facile liquantur, vix resolvuntur, quòd partes heterogeneæ arctiori nestantur vinculo, quām ut dividi possint. Lignum verò non ægrè resolvitur, cùm liquari non possit, quòd partes heterogeneæ facile separantur; humor caloris vi citè volat, terra superest, quæ liquari nequit. Nihil etiam necesse est de coctione dicere, quâ crudiores partes exhalantur, vel maturantur: hinc cocta fiunt molliora: vinculis enim solutis, ac multis partibus difflati, reliquæ minus distentæ ractui cedunt. Quod frixum est, elixato durius existit, quòd pinguis humor vix subeat angustos corporis meatus: sed humoraqueus corporis elixati poros facile ingreditur: vnde pisces priusquam frigi possint, perfecandi sunt, quòd altius oleum penetreret. Cùm verò olei particulae sint ramosæ, & tenaces, nihil mirum, si corpora fortius agglutinent, & contrahant; vnde spiritus ventriculi qui digestione in perficiunt, frixa corpora ægriùs resolvunt, ac digerunt. Quæ assuntur, vel friguntur, intus humidiora sunt, quām quæ elixantur: siquidem in his ambiens humor fibras laxat, poros aperit, atque intimum corporis elixati humorem evocat: sed assata crudum, & mercurialem humorem efflant, quo absumpcio, sicciorē crustâ obducuntur, ac meatus occluduntur; adeò ut succi pars melior ad interiora revocetur. Alias quæstiones infinitas non persequor; tametsi ad mineralium intelligentiam non parum lucis afferant: sed hæc ipsa quæ dixi sentio fuisse longiora.

T H. Ista certè quæ abs te breviter decursa sunt, jam copiosius alibi tractavimus; nunc igitur quod cœperas, mi Simplici, de ortu, naturâ, & causis mineralium perge dicere.

S I M P. Dicam equidem quoniam institui; simul ut vos pleniore demerear obsequio, non modò de fossilibus differam, sed etiam secretiora Chymicorum arcana vobis aperiām. Indagatio ipsa rerum occultissimarum suam habet oblationem: est

enim, ut præclarè Tullius, animorum ingeniorūmque naturale quoddam quasi pabulum, consideratio, contemplatiōque naturæ. Sed præclara res mihi videtur vtilitatem cum delectatione conjungere: neque id infra Philosophi dignitate in puto, ad ipsius Alchimia opera quandoque descendere: nam vera sapientia vtilitate, non solā contemplatione laudatur. Nemini tamen auctor fuerim, ut in iis operibus consenseret, vel curiosius quam par sit, inquirat in naturæ secreta: plerique enim dum huic studio nimis indulgent, in damna, & dedecora incurunt; saxe etiam legum judiciorūmque pœnis obligantur. Multos credendi facilas decipit: sed non morabor in hac parte diutiū: nimium est quod intelligitur. Nunc ad propositum. Fossilia quorum naturas, causas, & effectus inquirimus, in tria genera brevissimè dividi possunt; primum terras ipsas continet; sive sint communes, sive in pretio habeantur: alterum est succorum, qui vel pingues sunt, ut sulfur & bitumen; vel macri, ut sal gemmæ, alumæ, & vitriolum: tertium denique mineralia propriæ dicta complectitur, quæ iterum in tres veluti species diducuntur, lapides, metalla, & metallica, quæ nimirum inter lapides, & metalla ambigunt. Horum omnium ortus, naturas, & usus investigare non erit injucundum.

Ac primum de terris ipsis dicendum, quarum facilis est, & expedita distinctio: nam aliae sunt steriles, aliae pingues, & frugiferæ: illæ ut plurimum candidæ, leves, vel arenosæ existunt: quid enim arena, nisi minutissimorum lapillorum congeries cum permodicâ terræ portione conjuncta? hinc arenosa terra humorem non retinet, sed per laxiores poros trajicit, & quantumvis copioso imbre diluat, non lutescit. Addit Gas-sendus corpuscula, ex quibus arena compingitur esse angulosa, & vitrea: sic enim perspiciliis, quæ rerum species mirificè augent, deprehenduntur. Quare nihil mirum est, si terra arenosa sterilis existat: non enim humore exfolvi potest; neque illæ particulae quibus constat, seminali, vel altrici facultati obsequuntur. Neque obscurum est cur illæ arenulæ vim habeant absterivam, cur cotes ex iis compactæ ferrum exacuant; cur cæmentum ex calce & arenâ fiat tenacissimum. Ista enim omnia ex angulorum asperitate, & corpusculorum, quibus arena

*Fossilium
in tria ge-
nera distri-
butio.*

Q. iii

constat, duritie oriuntur: nam calceum viscidam hæc arenula suis angulis retinet. Fluvii omnes cùm exundant, sabulo obducunt terras: siquidem aqua corporum quibus affluit ramenta exedit, & secum defert. Terra pinguis ut plurimum sub nigra est; humore quippe perfusa hunc exhibit colorem: sed exficiata albescit: candor enim, ut Strato Lampsacenus olim censebat, est nativus terræ color. Pinguis terra vbi aquâ diluitur, lutum facit; tenacior, & densior est quæm arenosa; humore affuso, ac manibus subacta, vel agitata, non facile dividitur, aut dissolvitur: sterilis verò, & macra citè solvit, cùm illius partes nullo vinciantur glutine. Hoc quidem indicio Georgius Agricola pingues à sterilibus terris discernit. Est tamen quoddam solum argillosum, densum, tenax, & sterile: generatio enim, ac nutritio fieri non possunt citra resolutionem; terra illa cùm sit tenacior, resolvi nequit; nec succum plantis suppeditare, cùm nullos habeat meatus quibus alimentum percoletur; quin potius plantatum fibras suo glutine implicat. Nec tenacitas omnis cum pinguedine conjungitur: nam spiritus vini suo phlegmate pinguior existit, non tenacior. Quædam est argilla succulenta, & pinguis, quæ terris inspersa eas fecundat; Marnam Galli vocant, olim Margam, mutuatà à Germanis voce, quoddam sit velut terræ medulla: alia est durior, lapidi similis, quæ longiore temporis tractu dissolvitur, eaque humidioribus terris habetur utilior; alia verò mollior siccioribus magis convenit. Uttraque suam fecunditatem sali nitroso refert acceptam: sal quippe fertilitatem inducere (quamquam sint qui dissentiant) jam alibi demonstratum à nobis fuit. Huic creta ferè similis est, de cuius candore nihil necesse est dicere, cùm hic locus non postulet ut colorum causas indagemus. Omnes ex rationibus seminariis colores duci Severiniani existimant, quod mihi omnino non probatur; cùm res eadem colores, non naturam mutet; cùmque ex plumbo cerussa, vel minium conficiatur. *Quis* tantam colorum mutationem in rationes seminarias, vel spiritus mechanicos refundat? Vobis placet colores omnes, ex varia luminis reflexione profici; adèò ut cretæ candor ex corpusculis sphæricis, quæ lumen solare in omnes partes regerunt, oriatur. Hinc mollis quoque

*Marga.**Creta.*

*Unde colo-
rum, & sa-
porum in
terris di-
versitas.*

est, & friabilis; vbi panno vel ligno affricatur, sui relinquit vestigia; vitro afficta non item, quod illæ particulae sint facile separabiles, & panni ritulis vltro inhærescant: vitrum autem cum ejusmodi ritulas non habeat, vix creta inficitur. Hæc satiis acutè concluduntur. Enimvero rubrica, carbo, atque alia ejusdem generis corpora sphærulis non constant, facile tamen sui vestigia imprimunt corporibus. Quamobrem in meâ veteri sententiâ permaneo, atque omnes colores non à diversâ lumenis reflexione, neque ab ipso temperamento, seu elementarium qualitatum conjugio, vt vult Agricola, sed ab insito, & nativo corporum lumine prodire arbitror. Non equidem ignoro nullam ferè esse terram simplicem, sed plerasque cum succis, vel aliis mineralibus permixtas inveniri. Hinc diversi tum colores, tum sapores, diversæ adeò facultates oriuntur. Succus aluminosus adstringentem, atramentosus acrem, nitrosus amarum saporem conciliat: vbi terra succo pingui, vel bituminoso imbuitur, flammam facile concipit. Vix adduci possum ut credam ex incendio falsedinem, ex moderato calore pinguedinem oriri: neque ignis calor acrem, vel frigus acidum semper procreat saporem: cum eadem persæpe terra sit pinguis, calida, & adstringens: nec quidquid acidum est, id continuò frigidum existit, nisi fortasse spiritum salis, vel sulfuris frigidum putet.

Non mihi diu laborandum est, vt ostendam vnde terræ pretiosiores oriuntur. Numquid forte, vt placet Agricolæ, superfusus imber telluris meatus, & venas subiens, saxonum, vel lapidum ramenta vehit, quæ certis in locis colliguntur, & benigno calore digeruntur: tandem cum humor superfluus, vel frigore expressus est, vel calore absumptus, terra remanet. Hæc si minùs vera sunt, formam quamdam habent veritatis. Quod si tamen pluviae vltra decem pedum altitudinem non madefaciant terram, vt Seneca opinatur; necesse est vt terræ, quæ altius generantur, ex aquis subterraneis suam ducant originem; ac rupe illæ ad calcis naturam debent proximè accedere, quod prætercurrent aqua faciliter eas arrodat. Sed ne diutiùs disseram de re nobis penitus ignotâ; quæ ex telluris visceribus non effodiuntur, sed in ipsâ superficie passim occurunt terræ, ex aquâ

*que causa
preiostissi-
ras procreet.*

lapidum minutias secum deferente prodite nequeunt. Quemadmodum Aristoteles omnia ferè corpora ex vapore, & halitu effingit; sic Agricola, lapides, metalla, fossilia denique omnia ex terrâ & aquâ permixtis compingi arbitratur. Sed neutri septentriæ prorsus assentior; neque ex tenuissimo halitu metalla durissima concrescere, neque ex terrâ simplici, & aquâ tam varia fossilium genera procreari possunt. Quocirca vel vnâ cum saxis, & rupibus in ipsâ rerum conditione terra productæ sunt; vel ex elementis, & principiis Chymicorum in propriis matribus gignuntur; vel denique ex terrâ diversis succorum generibus infectâ emergunt. Neque hîc omnes terrarum species possum persequi: sunt enim infinitæ, ac pleræque varia sortitæ sunt nomina ab ipsis, ex quibus eruuntur locis. Sic creta, ab infula ejusdem nominis notissimâ; quamquam alibi passim inventiatur, nomen suum deduxit. Hæc, vt reliquæ omnes, variis vībus accommodatur: hinc Creta argentaria, argento expoliendo inservit; abstergit enim, & fordes eluit, vel propter arenularum asperitatem, vel quia salis abundat corpusculis. Terra Samia olim in pretio fuit, quod ex illâ oculorum collyria pararentur: eam fuisse pingue, molle, candidam, & glutinosam ex Galeno colligimus. Terra Lemnia, vel sigillata præter cæteras est illustris, figurâ capræ, Diana signo olim signabatur; quemadmodum nunc temporis quædam literæ Turcicæ ipsis imprimuntur: pinguis est, densa, mollis, adstringens, rubricæ aliquando non dissimilis, nisi quod manus contrectantium non inficit: oxyrate permista sanguinem sistit ex ore profluentem; succo plantaginis diluta, sedat ventris tormenta. Illud silentio non præteribo quod clarissimus Busbequius de terrâ Lemniâ literis consignavit. Fuit, inquit, Græcorum institutum, vt non nisi sexto die Augusti festo transfigurationis Domini specus recluderetur, vnde in Lemno terra, quam Ægos sphragida vocabant, hauritur. Idem institutum hodieque servant Turcæ, & vt olim Sacerdos Græcus liturgiam ibi celebrabat, sic & illam hodie celebrari volunt, ipsis quidem sacerdotum ex longinquò tantum spectatores. Terra Armena colore pallida, & dura ferè instar lapidis vi exsiccante donatur, sanguinem inhibet, oris sanat vlcera, etiisque contra pestis venenum non mani-

*Terra Sa-
mis.*

*Terra Lem-
nia.*

Epiſtola 3.

*Terra Ar-
menia.*

manifestâ, sed occultâ qualitate vtilem prædicant. Quædam terræ ex mineris eruuntur, ac plerumque sunt acerrimæ, quod vitriolo abundant. Ochra non solum ex vitrioli, sed etiam ex propriâ effoditur minerâ, colore luteo tingitur, auri pigmento non dissimilis; aceto extincta magis purpurefcit; acerimæ cùm sit, vulneribus perutilis censetur; carnes luxuriantes reprimit, tumores colli vel inguinum curat. Ne sim longior, terræ ad varios vsus à Medicis adhibentur: natu vel abstergunt, & mundificant; vel erumpente m fistunt sanguinem, vel medentur vulneribus: vt plurimum exsiccant, adstringunt, corrodunt: verum hæc ad Medicos; non enim artem medendi tractare suscepimus, sed cùm in ordinem incurreret, in honoratam transire noluius. Hinc jam quibus terris alii vtantur artifices tradere incipiam. Pictores macris, & raris vtuntur; sic varia cretarum genera, albam, nigræ, viridem; necnon rubricam, & ochram plerumque adhibent. Qui vestibus abstergendis operam impendunt, ii terras pinguiores, acres, & raras feligunt, quas Sardinia, & aliæ passim regiones præbent. Ne illud quidem quod admoneamus, indignum est, figulos, statuarios, plasticos denique omnes cretâ, vel argillâ pingui, viscosâ, densâ, molli, non terris aridis, & macilenteri vti; cùm enim argilla multo, ac pingui humore, & fibris tenacioribus constet, ductilis est, ac figuræ vltro excipit. Terræ verò aridae citius dissolvuntur; duræ vix subigi, & manibus tractari possunt; raræ igni admotæ liquores non continent. Sed tamen nisi ars, vel natura argillam fabulo miscuerit, vix catini, & alia vasâ quæ ignis ardore sustineant, effinguntur: sed arenulæ corpuscula quæ dura, vitrea, & aspera esse diximus, suis angulis terram pinguiorem vinciunt, ne solvatur prohibent, meatus occludunt, & cæmentivices obeunt. Ex terrâ minus densâ figuli vrceolos, discos, atque alia ejusdem generis vasâ fingunt, sed arenâ, vel fabulo per cribrum trajecto prius eam commisceri oportet, vt ignis vim ferre queat: tum Soli antè est exponenda, & exscanda, quam summo fornacis calore torreatur. Rariorem quoque terram postulant lateres, & tegulæ, ne recta graventur nimio pondere; fragiles fiunt humoris defectu; cùm vasi aquâ pleno immerguntur, tum aqua videtur effervescere, quod aer,

Ochra.

varii ter-
rarium usus.

R

vel halitus laterum poris conclusus erumpat bullarum specie.
Ne illud quidem ignorare oportet, quas terras Chymici fornacibus suis, crucibulis seu carillis, & testis accommodent,
quo luto vasa sua conglutinent, ne iis diffractis spiritus erumpant: hæc enim instituto nostro viciniora sunt, atque ad ipsius Alchimiaæ encheiriam pertinent.

*De terris ex
quibus fur-
nali com-
pinguntur,
& vasa
Chymicorum
parantur.*

Fornaces solent ex optimâ argillâ, vel lateribus bene junctis compingi: nec tamen laterculi ignis vehementioris patientes sunt: quare cùm metallâ funduntur, partem illam fornacis, quæ pyriasterium, vel focus nominatur, ac destinatur carbonibus excipiendis, ex terrâ optimâ constructam oportet: illa verò idonea haberi potest, ex quâ testæ, vel crucibula finguntur, quæ igni fortissimo cremata albescit, facile abit in lapideum, neque in pulverem satiscit. Soli priùs exponitur, tum malleo ligneo contunditur, per cibrum trajicitur; cùm alterius terræ in figulino furno crematæ, atque in pulverem comminuantur, vel triplâ portione eam perniciēt, aquâ temperant, subigunt, denique beneficio typi lignei formant crucibulum, calore solis exficcant, nec tamen sales retinebit, quoisque in furno cremetur. Argilla verò ex qua fornax erigitur, nonnuquam muriâ, & arenâ diluitur; sic enim rimas non agit. Consultit quoque Glauberus, vir meo quidem judicio industrius, ex capite mortuo, vel fæcibus vitrioli, aut aquâ fortis, cùm suppetunt, arenâ, & aquâ argillam temperare, atque ex ea fornaces compingere; idque optimum erit lutum, quo vasorum colla jungantur; retortæ, & cucurbitæ, cùm opus erit, armentur: nam linteo madido id facile separatur; quod non evenit vbi argilla, neque muriâ, neque vitrioli fæcibus, sed aquâ tantum, & animalium pilis, vel equorum fimo permiscetur: tum enim sèpè accidit, vt pilis aut paleis combustis lutum satiscat; nec facile separari potest; adeò vt necesse sit vasa, non sine dispensio confringere. Cùm verò spiritus subtilissimi distillantur, si corrosivi existant, vasorum juncturæ non solum aquâ fortis capite mortuo, seu reliquiis committendæ sunt, sed etiam calce vivâ minutissimè contritâ, atque oleo lini dilutâ sunt obducendæ. Quòd si spiritus tenuissimi quidem sint, non corrosivi, satis erit vasorum collis amyllum aquâ dilutum, vel vesicam,

bubulam albumine ovi madidam, vel denique argillam ovi itidem albumine temperatam, cum linteolis applicare. Ista quidem Philosophi, ut professione suâ minora deficiunt: his tamen neglectis, vix majoribus relinquitur locus: plerique omnes abs-trusis, & interminatis quæstionibus oblectantur, neque iis vlla disputatione placet, nisi qua magnam largiarunt contradicendi libertatem: sunt enim contentionum cupidiores, quam veritatis, cùm tamen nihil sit veritatis luce dulcior.



C A P V T T E R T I V M.

De sale, & nitro.

- I. De salis naturâ & origine juxta Aristotelis principia, de salis & nitri vulgarâ in sua principia resolutione. II. Peripateticorum opinio de salis naturâ refellitur, & verisimilior adducitur. III. De nitri causis, usu, & preparatione: necnon de duplice salisperie liquore, fixo & volatili, permulta expllicantur.

THEOPHILVS.

BENE actum tecum puto, quod Medici, Chymici, Figuli, atque alii artifices huic disputationi non intersint: nam vniuersi impetum in te facerent, vel certe litem tibi intenderent, quod in alienas possessiones irrueris. Quid amabo te, Philosophiæ cum arte figulinâ, cum quâ neminimâ quidem sociate conjungitur? Quid est, cur eorum luto manus inquines? Et sanè cum Medicis, vel Chymicis licet quodam jute postlimii agere, & veluti nostrum reposcere: nam & suas omiserunt, & Philosophorum partes occuparunt. Medicî quidem quorum scientia non ipsius contemplationis, sed valetudinis causâ probatur; nihil ferè nobis reliquere: Physicam enim totam, Physiologia nomine pertractant: Chymici verò Philosophorum nomen impudentissimè sibi arrogant, cùm tamen extra fusoriam, vel distillatricem artem non debeant excurre-re. Vtrique fines suos norint, neque in Physicorum dictionem

R ij

temerè intrumpant. Verùm haec tenus evagari satis fuerit: ad mineralia redeamus: quæ quidem Avicenna in quatuor genera brevissimè distribuit, sales, sulfura, lapides, & liquabilia: de singulis nonnulla dicemus. Ac primum id omne salis nomine complectimur, quod in aquâ, vel humore exsolvitur; quo titulo nitrum, alumen, & vitriolum inter sales censemus. De sale communi, quo cibos condimus, in-primit agendum. Illud quidem ex aquâ maris, fontium, aut putoeum, Solis ardore, aut coctione concrevit; vel ex montibus, & mineris eruitur; quod vbi instar crystalli pellucet, vt Sarmaticum, & Hungaricum; tum sal gemmæ vocatur. Neque hic necesse est omnes salium persequi differentias, cum propè innumerabiles reperiuntur: nam sal candidum passim occurrit, nigrum in Norvegiâ, croceum in Cappadociâ, purpureum in Hispaniâ & Siciliâ invenitur. Sal ammoniacum quod in arenis Libyæ efflorescit, instar lapidis specularis trahucet. Illud verò sal melius sapit, quod ex aquâ salsa excoquitur; non enim omni humore exsiccatur; minus haberam aritudinis, & subtilius cum sit, citius liqueficit. Quod verò Solis calore exsiccatur, particulis constat aliquantulum crassioribus; hinc linguam atriu vellicat; nec ita facile solvitur. Sal denum fossile durius cum sit, magis quidem adstringit, & carnem à corruptione fortius vindicat, sed condiendis cibis minus est idoneum: nam & dentes suâ asperitate offendit, nec facile exsolvitur. Ne sim longus, id omni sali commune est, quod humore solvatur, quia calore, & siccitate concrevit. Quā nobrem optimè conservatur in locis siccioribus: nam siccitatem amat, quod ex illâ suam ducat originem. Humiditatem verò vt sibi infestam aversatur: neque in humidiori loco citra aliquod sui dispendium, asservari potest. Multâ abundat terrâ; siquidem ex humore aquoso cum terrâ combustâ permixto coaluit: hinc adstringentem, & exsiccantem obtinet facultatem. Neque hoc loco expendam, vtrum sal quod ex mixtis corporibus in cinerem redactis, per aquæ calidæ affusionem elicitur, naturæ, an Chymicæ artis sit opus: id enim jam alibi excussum; neque in iis controversiis Latii opes positæ sunt. Per me licet Chymicis insanire, & suum Alcali, (sic enim vocant salem, qui ē corporibus extrahitur) inter ele-

ordo dictorum.

*De sale
communi ex
Peripateti-
corum prin-
cipiis.*

menta, vel principia recensere, atque ex illo omnium saporum differentias, foecunditatis, & coagulationis causas repetere: cum tamen salem ipsum in sua itidem dissolvant principia: nam & sublimatione salem volatilem, & minutissimum conse- quuntur; distillatione spiritum eliciunt, quem mirificè com- mendant.

Ante omnia salem ab omnibus expurgant sordibus, quod so- lutionibus, & coagulationibus repetitis perficitur: siquidem salem aquâ exsolvunt, tum per filtrum traiiciunt, vel saltem percolant, vt terrenas sordes deponat; aqua sale prægnans moderato calore exhalatur, quæ salem in fundo, & candidorem, & puriorem præbet. Deinde vasi fictili, & operto, igne circu- lari, vel rotæ (cum scilicet catillus inter carbones sic colloca- tur, vt aliquo intervallo ab iis dissideat, & carbonibus accen- sis calor per gradus paulatim intendatur) torrent vt humidita- tem elementarem, & pinguedinem quamdam terrestrem, nec- non spiritus persæpe noxios exuat. Tandem terrâ lutosâ, vel argillâ figurorum salem permiscent, & permodicâ aquâ tempe- rant. Ex quâ misturâ efformant globulos nucum juglandum magnitudine, quibus blando calore priùs exsiccatis, dimidiam fere retortam luto vndique obducent complent; collocant in arenâ, igne per gradus adhibito spiritus distillatur; quoisque sub finem retorta candeat. Sed ne vasâ disruptantur, excipu- lo (vas est quod recipiendo spiritui destinatur) aqua frigida, quam præmissoriam vocant, imponitur, vt spirituum turgen- tium frangat impetus: tum iteratâ distillatione, quam rectifi- cationem nominant, in balneo phlegma separatur; balneum hic voco, cum alembicus, seu vas distillatorium aquæ: fervide imponitur; deinde vase in cineribus collocato, spiritum acidum eliciunt; oleum in fundo remanet. Alii in vesicâ bu- bulâ salem exsolvunt, fragmenta ignitorum laterum, vel te- stas ollatum carentes injiciunt, vt salis diluto imbuantur; hæc, vt priùs, igne sensim aucto per gradus distillant; vltimo tandem ignis gradu terram ex sale dulcem, & candidam subli- mant, quam fixam & saccharinam dicunt. Neque aliâ ratione salis ammoniaci, tartari, & nitri spiritus eliciuntur, nisi quid hæc non duplam modò terræ, cum quâ permisceantur, (vt sal

*De salis in
sua princi-
pia resolu-
tione.*

R ij

commune) sed triplam, vel quadruplam exiguae portionem, quod magis effervescent. Iam vero spiritus salis optimè rectificatus metalla, si argentum excepitis, omnia, & lapides solvit; quinetiam si Chymicis creditus, omnes ferè morbos profligat; ventriculum liberat noxio phlegmate, comminuit calculum, hydropem sanat: sed multâ aquâ eum temperatum oportet, ne suâ aciditate quid obsit. Nec nihil, nec omnia credo: quotus enim quisque Chymicus imposturæ nomine suspectus non est; quis circulatoriæ jactationis infamia non laboret? Ac de sale quidem haec tenus: nunc de nitro per pauca dicimus; non quod latus locus non sit, sed explicata salis origine, atque vi, sunul ea quæ ad nitri naturam spectant, appearimus: vix enim nitrum à sale differt.

De nitro.

Qui è solidioribus lignis queru, buxo, guaiaco, sal elicetur, is nitrosus est: vrina & recrementa animalium, fæces vini calcinatae, calx ipsa viva nitrum præbent; adeò ut plerique Chymici nitrum esse rerum omnium principium essentiale arbitrentur; recte an secùs, ipsi viderint. Id porrò vti & sal vel à naturâ, vel ab arte gignitur; illud vel est fossile, ac maiorem præ se fert duritatem, atque ex propriâ venâ, vti & alia mineralia, eruitur; vel mollius est, & rarioris naturæ, atque in ipsâ terræ superficie efflorescit: hoc Halmiraga, quasi terræ florem nominant. Ex nitro fossili fit Borax, seu Chrysocolla Veneta, quâ aurifabri tamquam glutine vtuntur, quo argentum cum auro compingant, vel ut citius fundant metalla. Nitrum factitum olim ex aquâ Nili in scrobibus, vel nitrariis exceptâ, non aliter atque sal ex aquâ marinâ formatum fuisse novimus: illius pars subtilior Aphronitrum dicebatur. Nitrum fossile, vti & Borax aliquantulum pellucet; flos vel spuma nitri magis candidat, facile in aquâ exfolvit, mundificat, apert, exsiccat. Vtique infectores vtuntur, ut lanam imbuant coloribus: vbi nitrum deest, fæces vini adhibent. Quædam rupes halinitrum, ut apud nos veteres muri, exsudant. Iam de nitri naturâ, mirum quantum, non Philosophi modò, sed etiam Chymici digradientur. Sunt qui illud calidum & siccum instar ignis fingant: nam &flammam concipit, incidit, abstergit, corrodit: ita quidem Alberto Magno videtur.

Aliis placet nitrum esse frigidissimum, nam sali & nivi, vel glaciei contritis admistum, ac lagenæ vitreæ aquâ plenæ circumpositum, ipsam aquam vel mediâ æstate congelat. Hinc Quercetanus in Chymiâ, & Medicinâ nobilis nitrum ex tripli sale componit, nempe ex fixo, nitroso, & aminoniaco; hic cùm sit summè volatilis, in distillatione primus avolat; sequitur nitrosus: sed sal fixus, & marino similis in fundo remanet contumacior, atque ignis vires spernit. Vulgare halinitrum, ut venale prostat, ex sale constat, alumine, & nitro. Cùm igni admotum dissilit, & crepitat, tum multo abundat sale; alumen verò facile discernitur; nam ignis ardore effervescit, neque ægrè calcinatur. Nitrum autem purum citissimè inflammatur, atque in prunas conjectum non exsilit. Sic vbi nitrum calci vivæ admistum est, prunis admotum, ingratum odorem fœter; cùm purum, & non adulteratum existit, nullum ferè odorem spirat. Copioso quidem turget spiritu; hinc vasa disrumpit, atque in multos halitus sese effundit. Lazarus Erk erus ignem quemdam frigidum in salepetræ, portentosâ opinione agnoscit, quod spiritus nitri frigidos lingua ipsa ac dentes experiantur: solem etiam plerique æstate injecto halinitro aquæ frigus intendere. Nec tamen nitrum expers caloris credimus: nam pinguedine quâdam sulphureâ donatur, quæflammam concipit, quæque non modò in pulvere pyro, sed etiam in salis prunellæ confectione manifestè se exerit.

Nitrum quippe purissimum, atque ab omni sale liberatum imponunt vasi fistili, ut ignis calore liquefaciat; tum flores sulfuris paulatim immittunt, & prunâ, vel ferro candente sulfur incenditur, quod vna secum nitri pinguedinem rapit, ac multum fumi non sine strepitu exhalat; singulis porro vnciis nitri, singulae sulfuris drachmæ apponuntur. Cùm nitrum perspicuitatem debitam obtinet, tum ab igne removent; refrigeratum in marmore contundunt in pulverem: aquâ simplici, vel quod longè erit optimum, aquâ rosacea hunc diluunt pulverem; trajiciunt per manicam laneam Hippocratis; dimidia ferè aqua evaporatur, vel si sit rosacea, distillanda est, ne pereat; reliqua in cellâ, vel caveâ frigori exponitur, donec crystalli, quas minerales vocant, aquæ innatent. Hac quidem

*Cristalli
mineralis
preparatio.*

arte omne salium genusaquâ dilutorum crystallos præbet: nec tamen tota aqua statim in crystallos abit; unde rursus excoquenda erit usque ad dimidiaz partis consumptionem, vel quo usque appareat cuticula; frigori iterum exposita crystallos exhibebit, quæ ablutz in siccioru loco conserventur. Nitrum sic præparatum, salem prunellæ vocant, quod lingua atro colore infectæ, & instar prunarum accensæ, scabritiem abs terget, sitim immodicam in febribus restinguat; permagni quoque usus est ad anginam, & dysurias. Sed cautio est ne summo frigore nativum opprimat calorēm, ventriculo, & hepati noceat; neve humor tanto frigore impulsus obstrunctiones gignat, atque in colicam, vel hydrope precipitet. Cum bilis abundat, nescio an crystallo minerali vti oporteat: nam vi acerimâ, & mordaci instar salis donatur: quæ autem sunt ejusmodi cum bile male convenient: siquidem acria simul permista intemperantiū effervescent.

Nitri præparatio.

Iam nihil necesse est dicere quâ industriâ nitrum parati soleat: id enim ab Agricolâ, Erikuero, atque aliis tractatum est: uberrimè: atque ex ipsis officinis peti potest. Neminem fugit salempetræ ex terris nitrosis, simo columbino, ex veterum murorum ruderibus, cellarum, & stabulorum pavimentis nullo stratis lapide confici. Terræ porro nitrosæ plerumque sunt argillose: sic lutum ex quo veteres muri compinguntur, dummodo nimio imbre non diluantur; terræ animalium lotio identidem perfusæ, vel in quas infectores tincturarum reliquias conjiciunt; cumuli cinerum quos saponarii, fullones, atque alii ejusdem generis artifices se posuere, nitrum suggerunt; terra ipsa, vel alia materia nitro exhausta, quinto quoque anno novum salispertræ proventum suppeditat. Taceo de calce vivâ, quercus, vel fagi cineribus; de situ parietum, quisquiliis suburbanis, terrâ in quam distillatores aquarium fortium fæces, vel aurifabri aquas mortificatas projiciunt. Nitrosam verò materiam multâ aquâ solent diluere, coquere, percolare: ubi necdum aqua satis halinitro imprægnata fuerit, illam novæ materiæ cupis, vel dolis conclusæ infundunt, vel in vas mundum per lacinias trajiciunt, seu filtrant; aquam deinde nitro divitem ad justam consistentiam, vel crassitatem,

inde-

indesinenter despumantes, excoquunt; tum exponunt cellæ frigori, quo usque præbeat crystallos, quibus extractis, reliquum aquæ iterum igni admovent, donec gustu acrior percipiatur; frigori itidem exponitur, & novæ subinde expectantur crystalli. Omnes demum crystalli aquâ dulci rursus diluuntur, & simili prorsus modo puriores procreantur: sed vero in fundo subsidit. Cum nittum sine stepitu in igne funditur, & candelæ calori admotum non exsilit, sed primò liqueficit, deinde flammarum concipie, tum purum censetur. Verum hæc Alchimistis relinquamus. Nolim ego Philosophum his minutis illigati.

S I M P. Quasi vero id Philosophi majestate indignum sit rerum quæ ob oculos posite sunt, quæque vitæ humanæ commodis inserviunt, principia, & causas contemplari. Qui rectam philosophandi viam, & rationem insistit, non nudâ speculazione contentus est; nec etiam totus in distillationem incumbit: ut plerique Chymici, quos Artistas vocant, qui formulas ab aliis præscriptas tamquam jussi sequuntur, atque omne vitæ spatum forracibus adornandis, vel tractandis carbonibus miserè consumunt. Hi satis se instructos putant, si quem ex iis qui circumferuntur artis spagyricæ libellum edidiscerint, & velut decretis Technicorum le tutos credunt: nec ultra intendunt animum, ut rerum differentias, consensus, causas, effectus denique speculentur. Fateor equidem Philosophiam in cognitione, & estimatione rerum maximè esse positam: neque tamen ab actu, & operâ omnino recedit. Quod si Astronomia quæ prorsus ~~Geometria~~ videtur, quæque in rerum caelestium inspectione versatur, ipso tamen actu, & observatione perfectiōnem consequitur suam: nam siderum intervalla, & mensuras terræ, ac Solis colligit; eclipses prædicet; tempora definit, atque alia id genus præstat innumera, quæ sine observationibus fieri non possunt. Quantò magis hæc scientiæ naturalis pars melior, quæ circa fossilia occupatur, quæque ut ex omnibus scientiis est novissimè iqventa, ita est longè utilissima; multo labore, assiduo studio, pluribus constat experimentis. Quapropter ut Philosophiæ studio auctor non fuerim, ut statim furiosos erigat, & in laboratorio (quæ vox licet dura videatur,

S.

tamen sola est) consenescat : sic illi ut Chymicos , Docimastas , Aurifices , & Gemmarios adeat suadere non dubitabo. Mili enim videtur hæc scientia ex omnibus ferè artibus multum assumere. Quod si id curæ foret Philosophis , circa otiosas , & inutiles quæstiones non hærerent , & tibus obscuris maiorem fortasse lucem inferrent. Sed nescio quo pacto plerique cum veteribus errare malint , & eam sententiam quam semel adamaverunt , pugnacissimè defendere , quæ sine pertinaciâ quid constantissimè dicatur , quid sensui & experientiæ conveniat , exquirere. Quod certè in hac ipsâ de qua nunc disputamus materiâ vñu venit. Multa enim à nobis te coram , mi Theophile , olim quæsita , & disputata sunt de salis naturâ , & origine : an inter elementa numeratum illud oporteret ; an actu , vel potestate in mixtis corporibus delitesceret ; an denique ex terrâ combustâ prodiret? ac rora ferè quæstio tractata videbatur. Non potuisti tamen sententiâ desistere ; & in veteri tuâ persuasione manet , salem nihil esse quæam terram adustam , tenui humore perfusam. Potestne quisquam dicere integros salis montes ex incendiis prodiisse ? Neminem latet è cineribus per aquæ calidæ affusionem salem extrahi : sed cùm simus columbinus , atque alia animantium excrements solius aquæ affusione nitrosum suum salem exhibeant ; cùm terra quæ sale exuta est , quantumvis ignis calore fatigetur , in salem non abeat , nec vicissim sal in terram convertatur ; cùm quædam herbæ suum salem ipso sapore prodant , ut præter cæteras herba Kali (sic enim eam vocant Arabes) ex quâ Alkali , vel Sodam conficiunt : quis salem in mixtis actu contineri non vltro fateatur ? Insinuant scilicet Alchimistæ qui salem inter elementa numeratum volunt , quique ex illo plerosque sapores ducunt. Non ignoror quosdam esse Chymicos timidiiores paulò contra vestra convitia , qui salem in aliquibus mixtis actu contineri ; in aliis potentiam dumtaxat , ut loquuntur , proximâ & expeditâ inesse putant. Verum isti nullâ satis idoneâ ratione ducuntur. Quid enim in rerum naturâ sale destituitur & neque extrahi potest , quod antè non fuit ; neque ignis vñquam salem generabit ; sed illum aliis elementis occultatum , & quasi oppressum liberabit. Quis nescit ex terra pingui , & argillosâ ; ex muris veteribus

*De salis na-
trâ. & ori-
gine.*

*Refellitur
opinio Peri-
particorum.*

cellarum, citra vllam combustionem nitrum elici? vnde vtriarum, & sudorum falsedo, nisi ex sale qui cibis inerat, quique blando animalis calore, non ignis violentia resolvitur? illa quidem minimè ferenda est opinio Paracelsistarum, quâ sapores omnes ex sale proficisci statuunt: cùm ex eodem principio tanta prodire non possit saporum varietas. Certa igitur cum illis, qui à te toti diversi sunt, noli mecum, qui sapores omnes nego ex vno sale, sed ex variâ principiorum, atque elementorum mixtione arbitror dimanare. Quamquam ipsi Paracelsitiæ facile seſe, vt mihi videtur, expediant: magnam enim salium diversitatem agnoscunt: aliud quippe est fixum, aliud volatile, & fugax; est quoddam acidum, est nitrosum, & sulfureum: hoc facile sublimatur, & magnum in Medicinâ vsum obtinet: quædam herbae acrimoniam suam penetrantem, & mordacem ex eo mutuantur: sic persicaria, allium, sinapi, isto sale abundant, quod cum ammoniaco nonnullam habet cognitionem. Sal acidum tartaro viri non dissimile ex vvis ipsis, pomis sylvestribus, cerasis, atque omnibus plantis acetosis copiosum elicitor. Hinc vina immatura, & austera multum tartari, & phlegmatis, perparum spiritus ardantis distillata exhibent. Contrà, calidiora quæ sunt, vt Hispanicum, & Græcum spiritus ardantis magnam copiam profundunt, & paruum præbent tartari. Quapropter non absurdè quidam existimant acetum nihil esse præter aquam, vel phlegma vini, cui multum salis acidi, aut tartari admiscetur. Digna adeò res est, quam acriori studio expendaraus.

Mustum ex vvis expressum plurimo quidem abundat sale, quod tamen ante fermentationem, vel ebullitionem riondum manifestè se exerit: quæ sit illius ebullitionis causa suo loco dicendum. Fermentatione peractâ vinum pattern salis tenuiorem exsolvit, quæ gratum ipsi acorem conciliat: pars crassior salis, partim lateribus dolii adhærescit, & tartarum vulgo appellatur, partim vñâ cum fæcibus ad imum descendit. Sal quippe in humore calido non agrè dissolvitur; sed vbi humor detepescit, salem ipsum quali manumittit, qui vel valis latera incrustat, vel instar crystallorum enarat; vel denique vbi crassiore existit, ad fundum deprimitur. Quocirca in vino, vt in alijs

S. iij

liquoribus, duplex salis genus licet animadvertere: vnum subtilius, quod per vini substantiam diffunditur; alterum crassius, quod in fecibus fixum remanet. Quemadmodum spiritus oleosus, vel ardens, in duplice quoque invenitur differentia: alter quippe est fugax & maximè volatilis, qui ex vino distillato statim proslit, huic phlegma succedit sale dilutum, quod aceti donatur nomine: alter spiritus magis est oleosus, & pinguis, atque ex vini fecibus multâ aquâ perfusis, vesicæ teneæ beneficio, suo alembico instructæ solet elici. Fæces vero tamquam inutiles projiciunt, quibus porci saginantur: ex iis magnam tartari copiam extrahi posse clarus in arte Chymicâ docet Glauberus.

*Qua arte
midum
tartari, ace-
ti, & aque
ardens ex
vini fecibus
producatur.*

Fæces saccis concludit, ex quibus vinum prælo exprimit, quod in acetum vulgari methodo facile convertitur. Reliquum multâ aquâ perfundit, & spiritum ardente per vesicam notâ arte extillat: quæ in vesicâ residua est aqua, per oblongum tubum in saccum prælo subiectum dederit: aquam prælo virget, quæ vasis idoneis excepta, tartarum sponte suâ dimittit: idque vel in fundo vasis sublidit, vel lateribus adhærescit. Fæces in saccos superstites, exsiccatæ, & combustæ præbent cineres clavellatos, quibus infectores vtuntur. Aqua quidem vase contenta non omne depositum tartarum, sed plurimum adhuc continet, quod aciditate suâ se prodit. Hinc aliis vini fæcibus diluendis, ut spiritus ardens è vesicâ distilletur, optimâ futura est. Aliis quoque vasibus inseruit: nam cuprum dissolvit: ac viliores cupri Marcassitæ; vel inutiles scorizæ in istâ aquâ excoctæ, per ferri ramenta instar luti precipitantur; quod quidem lutum aquâ dulci abluitur, funditur, & in cuprum non contemnendum facessit. Tartarum porrò contritum aquæ incoquitur, & inter coquendum despumatur: aqua in vas mundum trajicitur: ubi refrigerescit, crystallos tartari ad vasis latera deponit. Libra tartari cum 10. vel 12. aquæ libris permisceatur, quod si nimium aquæ apposueris, tardissimè effingentur crystalli: si parcis, tartari pars non exsoluta perit. Crystalli iterum solvuntur, ut puriores fiant. Quod si cremonem tartari queras, priusquam aqua refrigerescat, eam baculo agita, tum erina ad fundum cremor tartari descendet. Ex iis profecto li-

quæ aciditatem vini à sale tartareo proficiunt. Multi qui acetato conficiendo navant operam, in loco calidore aliquot erigunt dolia, quorum singula mediis fundis, tamquam septis foraminibus perviis in duas partes disterminant: superiorum partem vinaceis implent, quibus jam incalcentibus, vinum affundunt; dolia quā possunt accuratè tegunt, vinum in partem inferiorem delapsum extrahunt; cūmque vinacea aliis dolis conclusa jam incalueret, eductum prius vinum ipsis infundunt; quā operatione identidem repetitā, vinum in acetum convertitur: nam vinacea calore fermentata suum salēm tartareum vino facile impertinetur. Non igitur vinum, cerevisia, pomacium, atque alii ejusdem generis liquores in acetum per solam corruptionem faciliunt: sed istam aciditatem ex sale, fermentatione, atque ipsius aëris calore deponunt. Libram sacchari, vel mellis decem aquæ libris dilue, calido aëri per aliquot hebdomadas expone: tota aqua brevi in optimum acetum convertetur: vel quod calor aëris particulas salis, qui in melle, & saccharo inest, cum aquā permisceat; vel, quod mihi magis probatur, aër ipse abundet spiritu acido, & nitroso, qui rerum ortus promovet. Est quippe in nitro spiritus universi, præcipuum naturæ instrumentum, cuncta fœcundans, & vitæ implens.

Non mihi excidit spiritum acidum à nitroso distinxisse: neque hæc quam nunc tueor sententia priori diversa est. Sal quippe acidum in nitrosum facilè commutatur. Nitrum enim dubiam, & quasi ancipiendi sortitum est naturam; ignem & aquam; sulfuream, & mercurialem, sive acidam substantiam complectitur: hinc aqua ignea, & ignis aqueus meritò vocatur. Intus calidum, foris existit frigidum: aciditate suâ cuncta permeat; pinguedine, ac sulfureâ visciditate rebus omnibus confert fœcunditatem: ex fixo demum, & acido, seu volatili sale coalescit. Iam quid, & quale sit nitrum non tam definitionibus, & argumentis intelligi potest, quām vsu, & experientiā. Quantum ego quidem conjecturā aſtèqui possum, seminariæ rationes in spiritu universi, hic vero in nitro tamquam in propriâ sede residet. Nitrum quippe è rebus detrahe, vim ipsam prolificam, generationem, & vitam simul auferas

necessa est. Quare mihi est miraculo, quod veteres Philosophi rem tam late fusam, vel silentio præterierint, vel tam brevi-
ter perstrinxerint: hinc enim pender totius ferè naturæ con-
templatio. Vnde terræ, & mari tanta fœcunditas, nisi ex ni-
troso sale? Hinc solum mari finitimum vberius esse solet: nec
tantam Ægypto Nilus exundans feracitatem largiretur, nisi
nitro abundaret. In iis quoque regionibus pestis grassantis
contagium Nilo exæstuante sistitur, quod nitri corpuscula ab
omni putredine corpora vindicent. Arenosum solum omnino
inutile foret, nisi aliquantulum salisperæ contineret, quod
instar glutinis aquam cum terra consociat. Iam alio loco osten-
dimus terram ex cineribus palearum, & fruticum reddi vbe-
riorem. Quis ignorat ossa vel cornua abrasa, aut coriorum ra-
menta, in quibus halinitrum copiosum est, terras in multos
annos pingues, & feraces reddere. Verùm hæc mitto: nam me-
mini me alias hoc argumentum vobis coram pertractasse, & ve-
reor ne ista vobis, vt frigidi, & repositi cibi fastidium mo-
veant. Nunc quæ sit nitri natura, quæ origo, qui effectus pau-
cis exequar.

Quod antea jeci non muto, halinitrum, ex duplice sale pingu-
i, & acido coaluisse: ex sulfure enim, & mercurio compo-
nitur, hinc illi amarus sapor: atque, vt suprà monuimus, aci-
dum salem ex acetosis herbis elici; sic nitrum ex amaris, vt ex
Absynthio, & Fumariâ copiosum educitur. Quod si enim ex
iis succum expresseris; & ex eo purgato phlegma sustuleris,
quod reliquum est liquoris in frigidoloco constitutum, nitrum
purum, & inflammabile præbabit. Eadem ratione sal quod ex
vrinis, & excrementis animalium educitur, facile in nitrum
abit, eo quidem citius, quo magis vrinosum, sulfureum & fu-
gax existit. Imò quidquid salis inest in animantibus, id totum
ferè est nitrum: adeò vt non ossa modò, pili, vel cornua; sed
etiam caro ipsa, & sanguis salepetræ abundant. Nam vt gene-
rationis, sic nutritionis est principium. Ac ne vobis videar ver-
ba tantum fundere, vnum item & alterum exemplum, ex eo
quem suprà laudavi Auctore subjiciam. Vas aliquod sanguine
bubulo impletum calidiori loco, quo usque putrefeat, & quasi
in terram lutosam degeneret, colloca: aquâ fervente hanc.

*Quæ plantæ
nitrum
saltem ha-
bent.*

terram perfunde , lixivium extrahe , coque donec cuticula appareat ; frigido demum in loco repone ; crystallos nitrosas dabit : adeò ut ex centum libris sanguinis , sex salispetræ libras non ægrè obtineas . Sic quodcumque animal calido loco ut putrefact expositum vermes procreat ; quos si vitro oblongioris colli , & angusti (quod postea chartâ occcludatur) imposueris , & in tepidiore loco constitueris , in aquam abibunt : hæc vasi cupreo , stanno quidem obducto , affusa , ovorum albumine , more aliorum succorum , ut loquuntur , clarificata , & usque ad cuticulam , ut prius , excocta , frigidiori denique loco reposita lapillos nitrosos exhibit . Omitto terram nitrosam quæ ex antiquis cœmeteriis eruitur , magnum salispetræ proventum præbere . Quamobrem qui citra magnos sumptus ingentem salispetræ copiam parare volet , nihil necesse est ut proximo incommodeat , ac cellarum muris , vel pavimentis abradendis operam impendat : sed profundiores foveas , quæ Solem , & aërem admittant , pluvias arceant , compleat materiâ nitrosâ : quo loco censeri possunt plantæ acriores , & amaræ , quas bruta repuunt ; arborum folia , animalium cornua , avium plumæ , fuligo caminorum , cineres , & terra ipsa è cineribus post lixivium tamquam inutilis abjecta . Hæc atque alia id genus aquâ communi , vel potius virinâ , muriâ , boum , vel ovium sanguine per biennium identidem irtrigentur , quo usque putrefcant : ex illâ enim materiâ exsiccatâ , salispetræ per lixivium eruitur , unde spes lucri non contempnendi metitur .

Halinitrum ex sulfureo , & acido sale exurgere jam ostendimus : fertilitas quam rebus propè omnibus confert , pinguem illius naturam demonstrat ; subtilitas vero quâ metallâ dissolvit , sapor ipse pungens , ac penetrans summam illius aciditatem prodit : nam accutum in nitrum facile concrescit , & vicissim nitrum , in spiritum acidissimum distillatur . Vulgarem tu quidem & usitatum distillandi modum nobis exposuisti , optimè Theophile : sed longè compendiosior mihi videtur via quam Glauberus ingreditur : non enim artificem per ambages fatigat , nec vasa discriminî fractionis objicit . Unicum dumtaxat vas requiritur , quod fornaci communis aptatur , & ut loqui solent , incameratur , ut tubis è vase , dodrante pedis , vel

*De spiri
nitri dis
tillatione.*

novem digitis extra furnum promineat. Hoc instrumento non nitri solum, sed etiam aliorum mineralium spiritus, atque olea distillantur: ac duo saltē ejusmodi vasa parari debent, unum ferreum; terreum alterum: nam quædam mineralia ferrum aggrediuntur, & corrodunt, quæ terræ facile coercentur. Tubus qui extra furnum eminet, & ex lato sensim fit angustior, cum magno excipulo committitur, ne spiritus fugaces per rimus diffentur. Cum igitur salispertræ spiritus acidus eliciendus erit: partem unam nitri cum duabus aluminis, vel pulveris regularum commiscebis, ne fusio nitri quid obsit: vasi jam candenti misturam ferreo-cochleari impones: tum statim operculo vas claudetur. Interim è nitro accenso spiritus volatilis ruber, instar nebulae erumpet, quæ quidem nebula ubi evanuerit, tantumdem nitri immittit: sic paulatim totum hafinitrum in spiritum acidissimum facesset. Nec necesse est ut moneam vasis operculum suâ ansulâ instructum esse oportere, ut forcipe commode auferri possit: atque ut quam accuratissimè vas occludat, cavendum est. Quo id modo fieri possit norunt artifices. Vasis orificium in orbem excavant, sic ut hanc fossulam, vel cavitatem operculum parte sui prominulâ exactissimè impleteat. Vasi recipienti tantum aquæ præmittitur, quantum nitri est distillandum, ut spiritus facilius concrescant. Tum leni calore balnei spiritus rectificatur, seu iterata distillatione phlegma à spiritu secernit: nam cucurbitam cum suo alembico in aquâ fervente, vel cineribus collocant; tumque spiritus volatilis rubeus primum egreditur; phlegma succedit, quod sublatō recipiente exhalatur; tum iterum aptatur recepraculum, quo spiritus nitri acidus, & corrosivus excipitur. Hac quidem arte salis communis, vitrioli, & aluminis spiritus elicuntur. Spiritum nitri volatilem ad gangrenam commendant: spiritus acidus magnum in te metallica momentum obtinet: nam metalla dissolvit, & aquæ fortis vices obicit. Solet quippe aqua fortis ex vitriolo, & nitro per retortam luto obductam, seu armatam distillari: sed vitriolum eâ tantum ratione appositum plerique putant, ut nitri fusionem inhibeat: vix enim spiritus vitrioli una cum spiritu nitri, moderato calore sursum potest effervescere. Huc accedit quod vitrioli spiritus aurum ipsum:

*De aquis
physicis.*

ipsum invadat: quod si enim cum nitri spiritu eum conjunxeris, aurum ab argento neutquam secernes, quod tamen aqua fortis praestare debet. Hoc enim discriminé aqua fortis à regali discernitur, quod illa argentum, non item aurum: hæc contrâ aurum, argento illæso dissolvat. Ex nitri spiritu acido, regalem aquam conficies, si in illo salēm communem calcinatum exsolveris, & per retortam igne violento distillaveris: tum enim aquam regalem consequeris solvendo auro idoneam. Hæc diutius forent dicenda, si veluti nova præcipere: sed omnes ferè Chymici de nitri naturâ, & vsu copiose pertractant, ac præter ceteros Glauberus plures de nitro conscripsit libros, quos nihil necesse est nunc contexere. Illud tamquam mundi miraculum, Philosophorum mercurium, & menstruum universale prædicat. Aliquando illud in fixum & igneum convertit liquorē, quo sulfurea quæque solvuntur: interim distillat in spiritum acidum, qui cuncta mineralia, quæ mercurio abundant, penetrat: utroque res venenatas sic expurgat, vt in optimâ medicamenta convettantur. Quod liquor sulfureus, & fixus exsolvit, illud spiritus acidus præcipitat, & vicissim: nitrum enim ex rebus contrariis, (quod sibiùs dicendum est) nempe ex sulfureo, & acido sale, qui sese mutuo retundunt, componit: salis quippe acidi vim corrosivam, & volatilem sal sulfureum elidit, sulfurei lentam, & fixam naturam acidum sal exacuit: & quod magis mirere, vbi liquor fixus cum acido conjugitur, utique velut initio fcedere in nitrum vulgare, tamquam in commune principium revertitur, & nitri vulgaris naturam induit. Hæc video dum breviter volui dicere, dicta esse à me paulò obscurius: sed experiar, & dicam, si potero, planiùs. Maximam nitri vim esse in dissolvendis corporibus fugit neminem: quinetiam eluit, & abstergit; crudum quidem nitrum cuncta expurgat mineralia. Sic antimonium vnâ cum salepetræ calcinatum noxiōs exhalat spiritus: nam stibii sulfur combustibile per salepetræ incensum diffidatur. Eodem prorsùs modo arsenicum, & auripigmentum, atque alia ejus generis toxica nitri beneficio deponunt spiritus venenosos. Quamquam nemini nisi in hac arte peritissimo suaferim, vt ista tractet deleteria. Alios nitri in metallis fundendis, & separandis usus non illi-

T

benter prætereo, atque in alium locum differo : neque enim omnia simul tradi possunt. Plantæ verd & animantes crudo, & simplici nitro expurgari, & parari nequeunt: illud quippe accensum eas penitus consumit, & redigit in cineres: nec vis purgatrix herbarum, vel animalium in cineribus, aut fixo sale; sed magis in sale, vel spiritu volatili consistit. Hinc Chymici non immeritò vulgares coctiones irrident, quod tenuissimæ partes, quæque vim totam herbæ continent, ignis calore perant, solo phlegmate superstite. Quod si enim alembicum adhibeas, spiritus volatilis primus egreditur, cui cruda & insipida aqua succedit. Quare ii mihi videntur melius procedere, qui spiritus volatiles leni distillatione prolixiunt, quos recenti herbæ affundunt, ut vires efficaciores obtineant. Sed redeo ad nitri spiritum, quo res vegetabiles, vel ipsa animalia digeruntur, purgantur, atque in tuta convertuntur medicamina. Pleaque enim medicamenta venenis sunt finitima, ea maximè quæ vires suas fortius exerunt: quare nisi optimè corrigantur, non sine aliquo vitæ discriminè adhiberi solent. Quod ut brevissimo pateat exemplo; quanta est in opio vis narcotica, vel somnifera? nam spiritus vitales ligat; nec raro nativum extinguit calorem, atque in summum vitæ adducit periculum. Quâ igitur arte medicamentum utile doloribus leniendis, somno conciliando, viribus denique restaurandis evadet? Spiritu nitri digerendum est: hōcque vasculum vitreum angustioris orisicij ferè complebitur, cui papavera concisum sensim appones, quousque dissolvatur: deinde per tenue linteum percolabis; fæces quæ solvi non potuerunt, abjicientur. Iam illud caput artis est herbam exsolutam instar pulveris præcipitare; id munus præstabit liquor nitri sulfureus: nam quæ spiritus acidus, & volatilis solvit, ea fixus liquor præcipitat, & vicissimi. Quamvis enim ambo isti liquores sibi infensi videantur; cum tamen ex vnâ radice, & veluti ex eodem prodierint fonte, originis suæ non immemores, vltro consociantur. Itaque spiritus acidus exsolutum opium ditattit, ac præcipitat, ut is cum fixo nitri humore conjungatur. Effusis humoribus colligitur pulvis papaveris, qui multâ ablutus aquâ, vt omnes salisperæ reliquæ abstergantur, chartâ bibulâ aliquoties complicatâ per-

colatur, exsiccatum pulverem in tutum atque optimum medicamentum commeare affirman. Illud mirari subit, quod ex utriusque liquoris acidi, & fixi conjugio nitrum iterum renascatur aliis usibus profuturum. Non deerant pluia quae dicere, nisi haec à Glaubero jam tradita, verbosius fortasse quam necesse erat exposuisset. Illud tamen non possum omittere, quâ industriâ liquor nitri fixus, vel sulfureus præparetur. Res est minime ardua, atque inter maxima Alchimiaæ arcana meritò recensetur. Nitrum purissimum, hoc est, ab omni sale communi expurgatum, forti, & operto crucibulo, medios inter carbones imponitur: cum totum fluit, tum pulvis carbonum sensim in catillum conjicitur; hic pulvis flammain statim concipit; idque toties iteratur, donec injecti carbones inflammari amplius non possint, ac nitrum viridi, vel cæruleo colore tinctum appareat: illud extrahitur; mortario jam candenti infunditur: nam si vasi frigiduscule committeres, id in faciem involaret: contusum frigido collocatur in loco, vt in liquorem igneum, fixum, & sulfureum abeat: quod quidem & sulfur commune, & mineralia, quæ sulfure combustibiliabundant, exsolvet. Sic antimonium, auripigmentum, arsenicum rubrum, cuprum, ferrum, & stannum dissolvit, non item argentum in quo mercurius est copiosior; nedum aurum solveret, cui nullum inest sulfur combustibile. Argentum verò spiritus nitri acidus, qui per distillationem elicetur, exfolvit: idem spiritus, ne auro quidem parcit, si sale ammoniaco, vel sale communi imprægnetur. Quod si cum spiritu nitri acido lapis calaminaris contusus permisceatur, hic quidem lapis spiritum acidissimum secum retinet, dum phlegma, seu aqua insipida ignis calore exhalatur: adeò vt spiritus nitri tantam aciditatem lapidis calaminaris, vel alterius cuiusdam mineralis, quod Zinchum vocant, acquirat, vt aurum ipsum facilè dissolvat. Quamobrem licet irrideat, si quis velit, mihi persuasum est nitrum esse quasi naturæ clavem, qua corporum omnium penetralia nobis referat. An difficile erit fossiliū vires, & naturas dignoscere, quæque mercurio abundant, vel sulfure discernere? cum liquor nitri fixus oleosa quæque, vt plantarum semina, pretiosos, & vulgares lapides, atque omnia

T. ij.

bituminosa resolvat, quæ certè spiritus acidus non aggreditur. Contrà spiritus nitri aurum, argentum, & hydrargyrum, herbas acidiores corrodit; quæ liquor sulfureus relinquit illæsa. Stirpes igitur omnes oleosæ, semina ferè omnia, vel animalia venenata, quæque pinguem, & resinæ similem naturam fortita sunt, liquore nitri sulfureo dissolvuntur: sive in pulverem comminuantur, si sint aridiora; sive in frustula concidantur, si recentiora, atque humidiora fuerint; in illo liquore macerata, vel potius in balneo per 24. horas digesta, omne virus, atque inimicas exiunt qualitates. Quod si spiritus vini ab omni phlegmate liberatus affundatur, hic nitri liquori innatans essentiam stirpis, vel animalis extrahet. Effuso igitur vini spiritu, novum affunde, idque sepiùs repete, donec omnem tinturam, vel essentiam eduxeris: tum leni balnei calore spiritum vini ardenter elice, oleosus remanebit liquor, quem herbæ, seminis, vel animalis extractum vocant: neque is humor nitrosus peribit: nam vitreato tigillo impositus, ad siccitatem usque decoctus, & calcinatus, frigido demum loco constitutus liquefcet, pristinæ naturæ restituetur, atque aliis itidem operationibus inserviet. Mixta corpora, quæ nec mercurio, nec sulfure adeò excellunt, utroque nitri humore, tum sulfureo, tum acido æquè dissolvuntur. De his in universum dixisse sufficiat; neque enim opus est ad minutas rerum particulas descendere: ac verecundiùs de iis jandudum loquor, quæ ad Medicæ, vel Chymicæ artis Professores videntur pertinere: quod si ipsi adescent, mecum fortasse ex lege agerent, vel interdicto contenderent. Quare moderabor ipse me, ac rerum fossilium principia dumtaxat, & naturas inquitam.

Nitrum esse igneum. De nitro ambigunt calidum sit, an frigidum: ego aquam esse igneum meritò contenderim. Nec desunt argumenta quibus calor igneus nitri asseratur: nam metalla penetrat, & fundit: spiritus quoque vini aquæ forti, vel nitri spiritui affusus flammarum concipit: sic ferri, vel lapidis calaminaris frustulum eidem spiritui acido impositum, tantum procreat calorem, vt vas ipsum manibus vix contrectari queat. Quod si ferrum, vel lapidem calaminarem in eodem spiritu dissolveris, ac phlegma frigidum ignis calore sensim exhalaveris, restabit spiritus planè

igneus, cui si aliquot aquæ frigidæ guttulas instilles, igneum suum calorem quasi lacesitus prodet: istâ quidem arte calor in vase citravllum ignem diutius conservari poterit, dum novæ aquæ guttulae identidem vasi affundantur. Idem planè efficiet liquor nitri per antimonium, eo quo forte alias dicturi sumus modo, fixati. Nescio an thermarum ebullientium fervor ori- ri possit ex spiritu nitri acido, qui ferri, vel calaminaris lapidis mineras præterfluit, easque arrodit; atque ubi cum aqua dulci permiscetur, eum calorem procreat, quem in calce vivâ aquæ affusione cernimus. Mecum facit ipsa experientia: saepè enim thermæ ferri, vel lapidis calaminaris fodinis finitimæ occur- runt. Quapropter nullatenus dubito nitrum calidum esse, & inflammabile: atque ipse me paululum in aliâ, quam priùs ha- buerim opinione, nunc esse confiteor. Huc enim adducebar ut crederem nitrum esse frigidissimum, nec flammarum in pul- vere pyro concipere, sed instar venti vehementioris sulfur dumtaxat accendere arbitrabar. Videbam enim in antimonii diaphoretici præparatione, ubi nitrum cum stibio permisce- tur, injectâ prunâ misturam statim accendi; cùmque cessasset detonatio, ac rursus tantumdem nitri conjiceretur, ægrè ta- men flammarum concipiebat. Quòd si tertio nitrum apponere- tur, nullum sequebatur incendium, nulla erumpens flamma. Hinc sancj conjiciebam non ipsum nitrum, sed sulfur antimo- nii combustibile accendi. Nec attendebam nitrum per anti- monium adeò fixum evadere, vt ignem amplius non reformi- det. Cùm tamen in omnes partes cogitationem meam verso, vix quicquam cause comminisci possum cur salpetra cùm sit calidissimum, linguae ipsius judicio frigidissimum percipiatur: cur ipsâ aestate aquam congelet. An forte non igneus modò, sed etiam frigidus continet spiritus: hi quidem extrâ protum- pundi, illi ad interiora sese recipiunt? An nitri, vt aceti phleg- ma frigiduscum est, quo ignita, & sulfurea substantia tem- peratur? sed ubi hæc soluta, & libera existit, tum occultum, & quasi priùs oppressum calorem exerit, maximè cùm permo- dicâ aquâ irritatur. Res enim fere omnes calcinate, & nitroso- folius aquæ affusione incalescunt, cùm oleopotiùs extinguan- tur. Hinc finis equinus aquâ perfusus adeò calet, vt plerisque

T ij

distillationibus ac digestionibus Chymicis inserviat. Quod si quis contenderit istum calorem persæpe ex motu, & velut conflictu spirituum oriri, non admodum repugnabo: nam calorem affictu corporum excitari satis compertum est. An fortè ex illâ spirituum agitatione tantus musti calor, vel fermentatio exurgit? frigus certè vini fervorem & fermentationem impedit. Testatur Io. Bapt. de Portâ, quod pumex, vel argentum vivum vitro inclusum, atque intra dolium demissum, musti fermentationem inhibeat. Contrà Georgius Valla memoriae prodidit, quod si paululum casei in dolium multo plenum injiciatur, tantum excitabit fervorem, ut ipsi dolio periculum fractionis immineat. Eadem forsitan est ratio, cur injectis lapillis quidam lacus tumultuentur. In Comitatu Fuxensi inter Pyrenæa juga lacus est in montis cacumine constitutus, cui nomen Fanum sancti Bartholomaei dedit; hic lapide conjecto nitrosos, ac sulfureos exhalat vapores, qui in mediâ aëris regione densati, cælum statim obducunt nubibus, & multum imbreem non sine tonitru fragore effundunt. Idem prorsus contingere in quodam Helvetia lacu, in montis, qui ruptus vocatur, vertice collocato testatur Ioannes Faber in arte Chymicâ eruditissimus. Effudi vobis omnia quæ de nitri origine, & naturâ sentiebam: quâ methodo in fixum liquorem, & spiritum acidum cuncta permeantem convertatur, exposui. Restabat ut vos itidem docerem quâ industriâ spiritus acidus ex plantis & lignis distillatus, non sine emolumento concrescat in nitrum: sed si quantum de nitro dici potest, prosequamur, finis orationis non reperietur. Potestis Glauberi libros consulere, vbi hanc artem quâ spiritus acetosus ex omnibus lignorum generibus eliciatur, isque in nitrum abeat, tractat apertissimè; homo meâ quidem sententiâ est non multum oratione limatus, sed ingenio & solertiâ acutissimus.



C A P V T Q V A R T V M.

De aliis salium generibus.

- I. De nitri, & salis spiritu nonnulla premituntur. II. De alumine. III. De vitriolo, & variis illius generibus. IV. De vitrioli analysi, atque usu, ubi de medicamentis Chymicis perpaucia.

M E N A N D E R.

TOC ipsum ex te audire cupimus: nec vacat nobis Chymicorum libros evolvere; plerique enim obscuritatem affectant, & nihil quam sinuosas, vel parabolicas descriptiones amant; mallem ut res nudas, atque inornatas proponerent. Nam Ciceroni facilè accedo: A Philosopho, inquit, si eloquentiam afferat, non asperner; si non habeat, non admodum flagitem: nec me illius oratio offendit, qui complectitur verbis quod vult, & dicit planè quod intelligam. Iam verò Chymici non orationis modò ornamenta negligunt, (quod vtique ferendum esset) sed latebras querunt, nolunt intelligi; res dissolutas, & malè cohærentes tradunt; abrupta quædam, ut fortè ad manum venere, jaculantur. Quapropter magnam tibi habebimus gratiam, si optima quaque ab iis tractata feligas, & illustres. Injurias sim, si illud à te postulem, ut interpretis tantum fungaris munere, vel aliorum dumtaxat dicta regeras: sed potes tueri ea quæ dicta sunt ab iis, quos probas, eisque tuum iudicium adjungere. Quod si tibi materia tam latè fusa videatur, ut uno die absolvì non possit, quod tractandum supererit, in crastinum diem differemus.

S I M P. Pergam igitur, quoniam institui, de nitro, sale, alumine, & vitriolo dicere: sed peto à vobis ne has meas incipias effteratis; neque enim Chymicus esse, vel haberi volo: non quòd ars illa me offendat; estenim liberalis, & jucunda: sed nobis difficile est huic studio seriò incumbere, quin labor noster in varias reprehensiones incurrat. Verùm ista faceant,

*Quomodo
C. spiritus,
G. carbonum &
ignis in-
enfus. e. iu-
antur.*

& redeamus unde egressi sumus. Primum igitur, quâ arte spiritus acidus ex incensis lignis eliciatur, ostendam; tum quâ viâ ex illo spiritu niterum colligatur, apertam. Qui ex lignis incensis exhalatur fumus, multum habet aciditatis: nam oculos pungit, & lacrymas saxe exprimit: itaque si frigore condensetur, non dubito quin in spiritum acidum facile concrescat. Neque ad hoc opus vna pervenitur viâ; illa tamen mili compendiosissima videtur, quam vir industrius, & artifex eximius ingreditur. Furnum erigit ex lacerculis, amplum quidem, & rotundum; adeò ut ex lato in angustum sensum desinat: tribus foraminibus instruitur. Primum in ipsius fornacis existit fastigio, per quod ligna conjiciuntur, & cum opus est suo operculo clauditur: est item aliud in insimâ fornacis parte, quo extrahuntur carbones. Tertio denique in latere furni constituto fistula terrea quatuor saltum hexapedas longa aptatur. Incensis lignis singula foramina, vel ostia quam fieri potest accuratissime occluduntur: ita ut fumus per oblongam fistulam cogatur erumpere, qui in acetosum liquorem densatur, atque invas subiectum vna cum oleo sensim defluit. Fistulâ ablata foramen ipsum, cui adhærebat, madefactis cineribus obducitur: sic enim carbones integros conservabis. Quod si minutos ramulos, vel frutices incenderis, nihil aliud quam pulverem carbonum, eumque inutilem obtinebis. Licebit quoque carbones apertâ fornace in cineres redigere. Priusquam lignum immittas, & acetum extrahas, opera pretium fuerit lapides ex quibus calx conficitur in fornacem conjicere, vel cum ligno alternis ordinibus disponere: nam vna cum carbonibus calcinati, atque aëri expositi; ita ut tamen à pluvia tuti sint, in minutissimum pulverem citò fatiscent. Denique poteris citra villum furnum, vel in mediâ syllâ hoc acetum elicere, si lignorum strues eo prorsus modo, quo solent carbones arte vulgari confici, cespitos viridibus operiatur. Vna igitur, atque eadem operâ spiritum acidum, oleum quod spiritui innatet, & salem lignorum consequeris. Acetum illud rectificatum, seu leni distillatione à superfluophlegmate secretum, eadem prorsus quæ acetum vini distillatum praestat: vniiones, seu margaritas, neque non animalium lapillos, vel calculos dissolvit: aquâ calente

lente temperatum, balneum scabiei, & foetidis ulceribus curandis idoneum, atque ipsis fortasse thermis utilius exhibet; præsertim si ex quercu, & aliis nitrosis, vel solidioribus lignis proliciatur. Hoc enim balnei genus expurgat sanguinem, atque eum à putredine vindicat. Alios spiritus acidi usus prætereo. Quod si intus sumatur, noxios humores per sudorem expellit, viscerum referat obstrunctiones. Exterius verò balnei loco usurpatuſ inflammationes restinguunt: proprio oleo adiunctus podagræ lenit dolores. Verū ista Medicorum judicio relinquon. Addamne, ligna hoc oleo illita, etiamſi aqua immersantur, vix corrumphi. Imò ſi palorum, quos vites, vel lupuli complectuntur, extrema adurantur, & dum adhuc calent, iſto oleo imbuantur, diuifissimè durabunt, vix purrificant, & vites reddent feracieſ. Spiritus quidem acidus multo diluitur phlegmata, quo facile liberabitur, ſi intenso frigori hiemis tempore expositus conglaicitur; tum enim spiritus acidissimus vna cum oleo ad interiora refugit: hinc longè actior factus metalla ipſa corrodit, & diſſolvit. Omitto ipsum oleum à ſpiritu cui innatat ſecretum, acti lixivio ex calce, & cineribus conſlato ſolutum, & coctum, tantam terris arenofis vberatem conferre, quanta ne vix concipi quidem potest. Sed ne longius exspatiemur, ſalempetræ facile obtinebis, ſi carbonum cineres, nec non lapidis vna calcinati pulverem in ſpiritu acetofo (à quo tamen oleum proprium ne detrahas) exſolveris: huncque liquorem idoneis conclusum vafis, ſub teſto quatuor columnis fulto, ſic aëri exposueris, vt radios quidem ſolares admittat, pluvias verò arceat, atque vrinā identideim perfuderis. Cùm enim materia exſiccata fuerit, ante biennium optimum præbebit ſalempetræ, quem more ſolito extrahes: aqua nimirum fervida affunditur, excoquitur, in frigidiori loco reponitur, ac nitroſæ ſupernatant crystalli. Quæ relinquuntur materia, tamē ſi omni nitro videatur exhausta, nihilo tamen ſeciūs in eodem reponita loco, atque vrinā, vel aquā ſubinde perfuſa, vertente biennio novam ſalempetræ copiam ſuppeditat. Quibus ex rebus optimè colligimus ſalempetræ ex dupliſ ſale fixo nimirum, & volatili coalescere: nam ſal qui in cineribus carbonum, & calce fixus invenitur, ſpiritum ligni acidum multo ſale volatili prægnan-

tem reddit fixiorem, & quasi compedes ne avolet, ipsi injicit: ac vicissim spiritus acidus obtusum salem carbonum exacuit; ex utriusque confictu, & agitatione, longo temporis intervallo nitrum emergit. Non magna quidem præcipimus, sed ea tamen quæ ad Medicinæ, atque ipsius œconomiaœ usum non prorsus inutilia videantur. Suspecti mihi sunt, qui nihil quam Panaceas, aurum potabile, & Elixir vitae crepant: id enim circulatoriam jaestationem omnino redolet. Perratò accidit ut promissis eventus respondeat: quo enim quisque ingenio, vel arte minus valer, hoc se magis attollere, & dilatare conatur. Magna sanè & stupenda esse Chymicorum arcana consentio: sed optarem ut Philosophus non ineruditus quæ usu probata, & expedita sunt, feligeret: nec solis contentus formulis, intimas rationes inquireret. Nisi enim ratio præluceat, atque ipsa dirigat opera, necessaria est ut sapiens offendamus, & in multos errores dilabamur. Hæc ferè sunt mili de nitro comperta.

Quod si lignorum, ac vegetabilium spiritus, vel olea eotantum desideres, quo quibusdam succurras morbis, nihil opus erit tam amplam struere fornacem; sed satis fuerit aliam minusculam, & ferè vulgarem adhibere, quæ duobus ostiis, vel foraminibus pateat: unum in fastigio ipsius fornacis, ut moris est, apponetur, quod ubi necesse erit suo operculo accuratissime occludetur: alterum vero ostium, per quod non carbones modd, vel prunæ ardentes, sed etiam herbarum radices, semina, & ligna concisa imponuntur, in mediâ velut fornacis fronte collocatur. Injetis rebus quarum spiritum acidum cupis extrahere, mox utrumque foramen occludes, & spiritus una cum oleo per fistulam fornacis lateri aptatam, quam alter tubus longior, instar gnomonis, vel recti anguli formatus excipit, in vas quoddam terreum deducitur. Quod quidem vas oblongum in labro aquâ frigidâ pleno constituetur, quod spiritus frigore citius crescant. Hujus fornacis operâ brevissimo tempore magna spiritus salis copia educî potest. Sal in communi aquâ exsolvitur, prunæ ardentes in illâ extinti aquâ, sale imprægnantur: alii carbones prius incensi conjiciuntur in furnum, quibus prunas sale imbutas adjicies: utroque foramine occluso, spiritus salis fumi instar, per fistulam exhalatur, qui statim in lignorem

Vide, si libeat, figura num hejus fornacis apud Glauberum, parte i. fornacum,

refinitu jasus exfiliando.

densatur, & sensim in excipulum defluit. Quod si istum liquorem in lcnii distillatione rectifica veris, spiritum nitri utilitate vincent: non enim modò metalla, (argentum excipio) & lapides solvit: sed etiam magnis, & gravibus medetur morbis. Nam si Chymicos audiamus, illius spiritus aliquot guttulae vino, vel aqua instillatae, ventriculum noxiis liberant humoribus, obstrunctiones aperiunt; iterum, & hydropem spiritus ille sanat, ventris sedat tormenta, vrinas promoveret, arenulas disturbat, viscerum recludit meatus, vermes enecat, podagræ dolores mitigat, maximè si oleo cerat, vel terebinthinæ permixtus adhibeat. Hic quippe spiritus acidus, & penetrans tartareos humores discutit, putredinem inhibet, exsiccat, solvit, & superflua quæque consumit. Verum tot, & tam præclaræ dotes non cadunt in spiritum salis, nisi idem quantâ potest diligentia maximâ præparetur.

Nec dissimulare possum aliam hujus spiritus distillandi methodum, laboriosam quidem, sed vsu optimam: & in eâ quidem sententiâ præstat longiorēm ingredi viam, quam compendio periclitari. Salem itaque (vt rem ipsam aggrediar) bene purgatum, eo quo tu, mi Theophile, superius docuisti modo, in aquâ exsolve; percolatam aquam vt omnes deponat sordes, quoisque cuticula appareat, excoque: globulos terræ lutosæ ab omni arenulâ vacuæ exsicca, tum vasi fistili impositi ad ignem admoveantur, vt omnis pinguedo consumatur: hos globulos candentes in diluto salis extingue, quibus dimidiam ferè retortam implebis, subiecto igne, cōque paulatim, & velet per gradus aucto totum spiritum extractus, donec nullus fumus appareat. Neque opus est vt moneam aquam in excipulo præmitti oportere: illud enim in omni spirituum distillatione observatur. Spiritum in breviori cucurbita repositum leniori igne iterum distillabis; tum aqua insipida primùm egreditur, hanc verò excipiet spiritus salis sapore non injucundus, cuius aliquot guttulae communi aquæ affusa, gratam illam & salubrem reddunt, ac putredinem inhibitent. Taceo quod hic spiritus salis vini dolio affusus tartarum superfluum præcipitat; ventriculi quoque crudos humores digerit, aquam intercurrentem expelit, viscidam pituitam dissolvit. Plura ne dicam de-

terreor, ne fortè Chymicis nimium videar indulgere.

T H. Istuc est sapere: Alchimistarum nomen fugis, vt invisa atque infamia subiectum, in eorum tamen opiniones ultra delaberis: hos si contemnis, & abjectos putas, quid est cur Aristotele neglecto, in eorum partes concedis? Profectò seriò ringor paulatim elabi è manibus adolescentium ranti Philosophi monumenta, atque illis anteponi abortivos partus quorundam Philosophorum, quorum præcipua virtus est furnos adornare, carbones tractare, & magnifica verba fundere. Peripatetica quidem Philosophia minùs vanitatis, atque ostentationis fronte ipsâ prætexit, sed magna habet in recessu; vbi que, & secum & cum ipsâ naturâ consentit. Verùm nec otium datur, nec fert animus, vt Philosophiam tot retrò sacerulis bene constitutam à calumniis recentiorum quorundam nebulonum vindicem: id fortasse pleniùs alio loco exequemur: nunc ad id quod cœpimus revertamur, & reliqua salium genera transcurramus. Nec diu nos morabuntur alumén & vitriolum, quæ magnâ inter se societate junguntur. Vtrumque donatur vi adstringente, & stipticâ: vtriusque eadem sunt in Medicinâ vires, atque ex eadem venâ interim eruuntur. Alumen quidem fossile est, vel factitium, liquidum item, vel congelatum existit: vtriusque diversa sunt genera; aliud est scissile, quod in fibras, & veluti in capillos dividitur, idque sulfureum odorem fœret; aliud in laminulas, & quasi in foliola dividitur; aliquando instar spongæ innumeris foraminulis pervium est; infinitis nonnumquam sphærulis est asperum. Utuntur alumine aurifices, & quotquot rei metallicæ navant operam; infectores quoque in suum usum illud adhibent: nam lanx soluto aluminis imbuuntur, quod facilius, & tenaciùs colores excipient. Sic charta nisi aquæ aluminosa immergatur, non retinet atramentum, sed transmittit. Iam verò præstantissimi Philosophi Agricola, Scaliger, Libavius, & alii bene multi quâ industriâ alumén è lapidibus, vel terris aluminosis extrahatur, apertissimè tradidere. Summa est, lapis crematur donec aëri expositus, & pluvia identidem irrigatus ultro fatiscat; fit lixivium ex calce vivâ, & cineribus betulae, vel fagi, cui quarta pars lapidis in palverem resoluti admiscetur; usque ad tortiæ partis consumi-

*Dicitur alumen
ne.*

ptionem excoquitur; liquor effusus percolatur; frigido loco collocatus alumen præbet, quod specie crystalli humoris innat.

Vitriolum alumini est finitimum, illud Græci chalcanthum *De vitriolo.* vocant, quasi æris florem, Latini attamentum dixerunt; nostri mutuatâ ab Italî voce cuperosam appellant. In varias secatur species, vitriolum Hungaricum dicunt, quod ex ære, vel ærugine conficitur; chalcitis æris colore imitatur; misy flavo, & aureo; sory rubro; melanteria cineritio colore tingitur. Sory durissimum est, quâdam donatur pinguedine, & grave in odorem fecet; saepe multis foraminibus hiat. Misy subtile est, & quasi flos tenuissimus. Chalcitis ut sory subtilior, sic misy crassior existit; quo æri similius eo pluris ducitur; maximè si longas, & splendidas gerat fibras, nec ægrè fatiscat in pulvrem. Laudatur misy cum instar auri micat; melanteria aquam atro colore inficit. Neque hæc naturâ, sed accidentibus dumtaxat differunt: nam vnum facile in aliud conmeat; colores quoque habent instabiles: hinc vitriolum cœruleum in viride, hoc verò in album sensim degenerat. Nunc minimè necesse est ut ostendam quâ arte vitriolum ex aquis chalcanthosis, terrâ, lapidibus, pyrite in primis, & lapide fissili eruatur: non enim aliter atque in alumine, & halinitro procedunt. Postquam è pyrite sulfur per descensum (ut loqui solent) extractum fuit, quod reliquum est crematur, fit lixivium, quod percolatum in cortinis, seu vasis plumbeis excoquitur. Si quidem plumbum à vitriolo non corroditur: est enim dulce, & porosum, atque omnem pinguedinem ad se trahit: quæ autem pinguis sunt, vel dulcia, corrosivis, & acerbis resistunt: sic lacte, & butyro venenorum vires obtunduntur. Aqua excocta per lacus, seu cupas, vel alveolos ligneos distributa lapillos præbet. Consumptâ demum aquâ atramentum luteum in imo consistit. Ex terrâ cinereâ, quæque odorem præ se fert virulentum, & acerbum saporem, in agro Romano, eâ quam Cæsalpinus literis consignavit industriâ, vitriolum educitur. Terra non cuniculis, ne venenati halitus fossores enecent, sed aperto solo eruitur, in cumulos congesta toto vertente semestri aëri exponitur; ut spiritus volatiles humoris coerciti consistant: hinc alio se-

mestri sub testo asservatur, vt suam consequatur maturitatem, & fugaces halitus figantur: aquam affundunt, castellis, velcupis eam excipiunt, tum in cortinis plumbeis excoquitur: sed addenda sunt æris, vel ferri frustula, secus non vitriolum, sed alumine concrescit; sic vbi ex lapide pyrite educitur, nisi quiddam æris, vel ferri adjiciant, quod illa quæ in vitriolo fuit æris exordia, vel ramenta ad se trahat, vitriolum non prodibit. Idem ferè vsuvenit, cum argentum aquâ forti exsolvit, & aquæ dulcis affusione præcipitatur; laminas enim cupreas supponunt, quæ argenti calcem colligant. Iam quæ sit vitrioli natura, ad quos adhibeatur usus intuendum puto.

De natura vitrioli. Placet nonnullis vitriolum ex alumine & sulfure potissimum conflari. Multum certè cum vitroque habet cognitionis: nam cum alumine in eadem venâ conjungitur: nec facile est spiritum vitrioli à spiritu sulfuris discernere; eadem sunt vitriusque vires. Alii vitriolum ex tribus principiis, & quatuor elementis constituunt. Hic sanè Chymicorum de tribus principiis decreatum vacillat: nam si vitriolum aquâ dilutum in loco calidiore, ut in fimo equino ad digestionem collocetur, post aliquot dies

De vitrioli in sua principia resolutione. liquor per lacinias trajectus, seu filtratus leni calore distillatur; primum spiritus volatilis, tamquam purissima vitrioli essentia prodibit, succedet spiritus vitrioli acidus, quem ut sumum morbis omnibus melancholicis, & pituitosis remedium jactitant, eumque feliciter ad calculum, jecinoris & ventris atoniam, puerorum vermes, & quartanam se adhibuisse testatur Libavius. Alii tamen non infimæ noræ Medici hujus spiritus acidi vim causticam, & corrosivam reformidant: maximè cum res acidæ nervis infestæ esse soleant; hanc item Medici ipsi diudicent. Cæterum diversis ignis gradibus varia itidem spirituum genera eliciuntur, quorum alii alias aciditate vincunt. Mitiores qui sunt, & multo phlegmate diluti primi erumpunt, hos excipiunt acriores, tum aucto igne oleum rubrum extrahitur; succedit oleum acerrimum, quo vel aurum ipsum dissolvitur. Restat veluti calx vitrioli, Colcotar à Chymicis vocatur, ex quo salem, oleum dulce, terram denique quam virginem vocant, colligunt. Ecce tibi tria sulfuris genera; vnum

est superfluum, & volatile, quod in primâ digestione efflorescit; aliud est item volatile, sed essentiale, tertium denique fixum, & vitriolo intimum existit. Nec pauciores sunt spirituum differentiae; vt taceam de spiritu dulci, quem tamen Crollius negat se vñquam vidisse; vel de spiritu qui violam redolet, eumque ex quintâ vitrioli essentiâ, seu ex spiritu volatili, subdulci, & penetrante, vñ cum spiritu acido conjuncto, per longas in pellicano digestiones conficiunt. Pelicanum vocant quoddam alembici genus, cuius rostrum in ipsum ventrem refleclitur. Quod si ea sint rerum exordia, atque elementa, in quæ ignis ardoribus resolvuntur; non tria tantum, sed duodecim saltem vitrioli principia censenda sunt. An potest quisquam dicere inter sulfur volatile, & fixum; oleum dulce, & acerrimum nihil interesset? quare frustrâ Chymici principia rerum ex artificiosâ distillatione colligunt: sed de his jam alias sape. Omnes vero summæ apud antiquos auctoritatis scriptores Aristotelem sequuti hanc mineralia inter lapides & metalla ambigere consentient; ita vt ex vapore, atque exhalatione coalescant: nam metalla ex vapore humido, lapides ex halitu sicco prodiere: ambo conspirant ad vitrioli, & aluminis generationem. Splendorem metallorum, inquit Albertus, & lapidum compunctionem obtinent: siquidem instar lapidum facile cominuantur. Quapropter non aliunde quam ex terrâ, & aquâ commixtis, atque caloris accessu concectis, vt cætera fossilia, oriuntur.

Nonnumquam præterfluens aqua materiam metallicam arrodit, quam in vapores exhaustâ, sal, alum, vitriolum, chrysocolla, cyaneum, seu cæruleum condensata restant. Vnde ex pyrite artifices alum, & vitriolum eadem ferè arte, quam ipsa adhibet natura, eliciunt. Sic chrysocolla, ærugo, & cæruleum ex aquis acetosis fodinas æris arrodentibus emergunt: sive substantiaz adhærent metallicæ, sive initia minuti pulveris, vel arena colligantur: graviora quippe illa corpuscula ab ipsis metallis abrasa in fundo aquæ subfidunt. Hæc quidem omnia vi quadam acri, mordicante, & abstersivâ donantur: hinc chirurgis, pictoribus, atque ipsis infectoribus magno usui esse solent. Quis enim ignorat vitriolum sanguinem si ste-

*Dicitur vñi vi.
trigili.* re, vel quod venarum meatus obstruat, vel quia extremum sanguinem coagulat. Neminem quoque fugit illud putrida vlerca abstergere, carnes luxuriantes exedere; atque ex eo collyria oculis parari.

Cæterum illud vehementer demitor, quod cum nec vitriolo, nec gallis ater color insideat, ex iis tamen aquâ dilutis atramentum conficiatur. An forte corpuscula ex quibus constat vitriolum eam temporis successione figuram adipiscuntur, quæ per paucos luminis radios regerat, & nigrum adeo præferat colorem. Profecto vitrioli acuminatas esse particulas sapor ipse testatur: hinc atramentum tenaciter chartæ adhærescit. Sutoris ipsi vntuntur vitriolo, quod nigro colore coria imbuant; hinc atramenti sutorii nomen obtinuit. Ferrum vetus sero lactis solutum eidem quoque vñi esse potest. Quare in veteri meâ persuasione permaneo, colores omnes ex solâ luminis reflexione, atque ex corpusculorum quibus res quæque constant variis figuris emergere: nam terrea corpuscula candidum, fuliginosa verò, striata, & acuminata nigrum colorem exhibent: neque tanta colorum varietas ex ipso ducitur temperamento; cum ex ære flavo ærugo adeo viridis exsurgat; quod si spiritum ammoniacum addideris, cæruleum emerget. Dicta sunt à me quæ in promptu erant, à te autem, mi Simplici, reconditora desidero.

S I M P. De principiis Chymicorum nihil necesse est contendere, non quod rationibus tuis ex vitrioli analysi defumptis respondere me posse diffidam. Nihil quippe in vitriolo præter terram, salēm, oleum, spiritum, & aquam deprehendes: sed de iis nec certare pugnaciter velim, nec committam ut dubia faciam defensionis sollicitudine. Verum, inquis, quanta salium, spirituum, & sulfurum varietas ex vitriolo educitur. Hoc ipsum in sententiae nostræ argumentum traho, cum fieri nequaquam possit ut ex eodem corpore res adeo diversæ ejusdem ignis virtute prodeant. Sed neque vitriolum in extrema principia vulgari arte resolvitur. Meministi, ut puto, nos duplē salēm, vnum volatilem, alterum fixum; duplex item sulfur, vnum fugax, & spiritale, quod distillatione primūm elicetur, alterum tenax, & viscosum distinxisse. Hæc infinitis propè

*Ex quibus
partibus
constat vi-
triolum.*

propè modis permisceri possunt: nam sal vitrioli fixum oleum acerriūm efficit, sal volatile phlegmati aciditatem conciliat: oleum corrosivum spiritu acido temperatum dulce evadit: acria enim quæ sunt ab acidis, & vicissim acida ab acribus, vt sales volatiles à fixis retunduntur. Imò res ipsæ acres sese mutuò jugulant: sic oleum tartari spiritui vitrioli affusum fervorem, & veluti ebullitionem quandam excitat: sed ex vitroque quiddam tertium subdulce, & minimè corrosivum exsurgit. *D. fermentations.*
 Hinc musti fermentationem plerique deducunt: nimirum ex salium fixorum, & acrium cum fugacibus mutuo conflictu: in illa verò ebullitione subtiliores spiritus exhalantur: sal fixum attenuatur; superfluum quod est, ad imum descendit. Itaque omnis præcipitatio à spiritu aceroso, hic verò à sale volatili proficiuntur. Rem ita se habere, cùm multa quæ jami suprà attigimus de musti fermentatione demonstrant, tum illud quod oleum ex vitriolo calcinato, seu ex colcotare extractum certis temporibus intumescat, aliis autem decrescat. Vix credam Lunam tumentem novum chalcantho humorem affundere, sufficientem resorbere. Probabilius est oleum, vel spiritum vitrioli statis temporibus fermentari, cùm sal fixum à volatile superatur: subsidit verò quando sal volatile à fixo quasi subactum figitur. Fieri etiam potest vt gravi, & humido cælo aër ipse subeat spiritum, vel oleum vitrioli, quidquid est salis exsolvat, & suo ingressu augeat humorē: nam quæ extreemos ignes sustinueré, occultâ quādam naturæ vi humidum aërem vtrō ad se invitant, quo summam siccitatem temperet, atque exhaustum humorē resarciat. Hinc illud chalcanthi oleum æstate plerumque minuitur, vere, vel autumno intumescit. Interim ramen evenit vt eodem tempore oleum vitrioli vase conclusum augeatur, cùm alterum decrescit. Fors est vt alterum plurimo sale fixo abundet, aliud verò majore spiritum copiâ turget. Ut vt sit, mihi certum est nitrum, & vitriolum aëri exposita, non modò intumescere, sed novos etiam spiritus, ac veluti vim novam prolificam haurire. Denitro quidem nullus est dubitationi locus: vitam enim suam, & quasi animam ipsi aëri debet; adeò vt certis temporum intervallis renasci videatur, cùm exhaustæ terræ novum salempetræ suppeditent. Verum de vitriolo

nunc agimus, quod ex quibusdam lapidibus nullo ferè labore elicitor. Nam contriti lapides aëri frigidiusculo per mensem expositi, humoris accessu aliquantò graviores deprehenduntur, atque in nigrum pulverem vltro fatiscunt, qui post dimidium ferè mensem fit candidior, & quiddam vitriolo simile sapit. Illos portò lapides passim occurrere asserit Glauberus, qui hoc arcanum prius aperuit. Nigri & politi sunt lapilli, raro ovi magnitudinem æquant, in lutoſa, & candidiore terrâ plerumque inveniuntur; fracti aureum colorem instar marcasitæ aureæ exhibent. Itaque hi lapides primùm in atrum, tum in album facessunt pulverem; vitreis vasis conduntur, multâ perfunduntur aquâ; ita ut duorum digitorum altitudinem emineat: hæc intra aliquot dies viorem contrahit, in vas alterum effunditur; nova subinde aqua pulvri adjicitur, idque toties iteratum oportet, quo usque nullum amplius viorem contrahat. Quidquid aquæ viridis collegisti, per chartam bibulam trajice, tum usque ad cuticulam calore moderato exhaletur, in frigidiore loco deposita cœruleos præbebit lapides, qui nihil sunt quam vitriolum purissimum. Reliquum aquæ iterum usque ad apparentem cuticulam excoque, in cellâ colloca, ut novos exhibeat lapillos, idque toties repeate: quo usque aqua nullum amplius chalcanthum suggerat, sed liquor tantum viridis remaneat, qui nec calore coaguletur, nec frigore congeletur. Illud esse oleum vitrioli dulce adeò quæsitum, & à veteribus Chymicis commendatum, Auctor jam sæpe laudatus asseverat: ita ut aliquot guttulæ vñâ cum vino, vel alio vehiculo haustæ virtuosos & superfluos expellant humores, sanguinem expurgent, viscerum obſtructions aperiant, epilepsiam, febres, pestem ipsam feliciter curent. Quæ si vera sunt, magna certè illi Chymico habenda est gratia, qui nos tanti arcani fecit participes. Hæc quidem mihi usu comperta non sunt: plurium in vnum dumtaxat confero inventa, non ingenii, sed curæ testimonium meruisse contentus. Id genus secreta minimè repudianda puto: sed iis bono modo vtendum est, tantum scilicet, quantum sanitati expediet; nihil sine prudentis Medici consilio audendum. Cùm de vitæ summa agitur, periculum facere grave est.

M E N. Medicos narras. Numquid forsitan te later quanta sit inter eos dissensio: nec de terminis, sed de tota possessione contendunt, cum alii medicamenta Chymica omnino ut venenata, & naturae nostrae inimica proscriptant; alii hac remedia vulgaribus longè anteponant, quod morborum extirpent radices, citò & jucundè vires suas exerant. Ad te nunc refero quos sequar.

S I M P. Ista quidem alias excutiemus, neque hic locus negligenter à nobis transibitur. Vetera remedia majestas, & ut sic dixerim, religio quædam commendat: sed vel abolita, atque abrogata retinete, vel recens inventa damnare, insolentiae cuiusdam est, & pervicaciæ non ferendæ. Neque me cujusquam festæ, velut quædam superstitione imbutus addixi: neque has lites quæ Medicos exercent componere præsumo. Evidem optarem ut Medici spagyricas medicamentorum præparations, vel remedia è mineralibus deprompta non aspernarentur: hæc ad Chirurgiam, & Pharmaceuticem plurimum momenti obtinere, ne inimici quidem artis Chymicæ negaverint. At timent ne intus sumpta calorem nativum opprimant, si frigidiora sint; vel ipsa incendant viscera, si calidiora existant; vel certè arrodant, si multo abundant sale. Hinc quondam Riolanus spiritus vitrioli vsu omnino interdicebat: nam si ipsa corrodit metalla, quid non visceribus facturus est? Quæ si accipimus, nec aceto, nec limoniorum succis, quibus lapides solvuntur, vtendum est. In his certè eventus ipse optimus est controversiæ judex. Fateor evidem spiritum vitrioli, nisi quam optimè præparetur, vti & alia remedia Chymicorum periculosè adhiberi. Quod si erretur, non ars ipsa, sed artifex in vitio erit. Quorū morbi adversus Galenistarum medicamina contumaces existunt, qui spagyricis remediis statim profligantur. Sed, inquiunt, mineralia plerumque vehementius operantur. Sit illud incommodum, (nam quid ferè vndique placet) nos illud comparabimus commodis: noxios quippe humores fortius invadunt; minore dosi exhibentur; quæ languidiora Medicorum remedia non aggrediuntur, spagyrica expugnabunt; tenaces, & viscosos humores, ex quibus morbi ferè omnes scaturiunt, facilius discutient, & incident: cruda quæ sunt suo calore dige-

De Chymicis medicamentis.

rent. Hæc penè omnia vñus vitrioli spiritus (ne longius diver-
tam) p̄st̄at. Nec difficultis erit illius p̄paratio: nam eodem
planè modo, quo nitrūm distillatur, sensim in vas candens for-
nace jam superiū à nobis descriptā inclusum, congitur: statim
operculo suo vas occcluditur; spiritus vñà cum oleo in amplum
delabitur excipulum. Vbi fumus in liquorem resolutus fuerit,
tantumdem vitrioli, nimirum semuncia, vel circiter, operculo
forcipe sublatō, vasi immittitur. Istā quidem arte magnam li-
quoris copiam facile eliciunt: sed eum novā distillatione recti-
ficatum oportet, secūs nulli ferē vñsi futurus est. Quare quid-
quid humoris extraxisti in retortam effunde, quæ cum suo re-
ceptaculo quām accuratissimè luetur, & committatur: (nam
vtendūm est vocabulis, quæ in vnaquaque arte versantur) eā-
que in arenā collocatā, lentissimo igne spiritum volatilēm pri-
mūm elicies; cùm phlegma majoribus guttis se prodit, tum re-
ceptaculum subducitur; aliud sine luto apponitur: exhalato
phlegmate oleum corrosivū superest. Sed cùm spiritus vola-
tilis multā aquā diluatur, poterit oleo corrosivo reddi, ac mode-
rato calore iterum distillari. Quod si spiritum illum volatilēm
ab omni phlegmate solutum, & liberum eduxeris, nē tibi &
temporis, & impensæ ratio optimè constabit. Spiritui vini ad-
missus magnus erit chirurgiæ thesaurus: nam extrinsecè adhi-
bitus ulcera tum nova, cùm vetera, cancrum, scabiem, & ma-
lē affectos nervos sanat, podagracē lenit dolores: pauculæ guttae
morbos omanes ab impuritate sanguinis, vel obstructionibus
prognatos, epilepsiam, apoplexiā, & maniam expugnare per-
hibentur. Vnde verò tanta spiritui volatili vis? nam totum cor-
pus facilē permeat? an forte sulfurē tenuissimo, & subtili sale
abundat? Sanè quidem vbi acti, & corrosivo oleo non reddi-
tur, vt iteratā distillatione purior fiat, tractu temporis sulfur
quoddam subrubrum in vasis fundo deponit; id enim debilior
spiritus, & uberiore aquā dilutus retinere non valet. Nec sulfur
tamen illud narcoticum pretio suo caret: nam egregium reme-
dium est anodinum, & tribus, vel quatuor granis adhibitum
acerrimos dolores levat, blandum quoque somnum conciliat.
Enim verò neque artem Chymicam tractare suscepimus, ne-
que his artificum formulis nimium confidimus. Nescio quo pa-

Quo ab ipsius Philosophia meditamentis ad spagyricos labores nostra identidem deflectit oratio: nec culpari tamen deprecor: nam vos hujus sermonis ordendi principes fuistis: si quid peccatum est, maximam culpæ partem sustinetis.

C A P V T Q V I N T V M.

De sulfure, & bituminibus.

- I. De sale, & aquis stygiis perpanca ex Cartesii principiis præmittuntur. II. De sulfuris naturâ, origine, & variis effectibus, necon de auripigmento, & arsenico differitur. III. De variis bituminum generibus, & potissimum de succini naturâ, analysi, & usu agitur.

THEOPHILVS.

BACILEM huic errato veniam dabisimus, eâ tamen lege ut ejuratâ Alchimistarum pseudo-philosophiâ, in Lyceum totus concedas. Quid enim insulsius quam extorquere ex animis nostris cognitiones tum tecum, tum verborum quibus imbuti sumus, ac novas voces penitus barbaras, & iniuitatas, obscuritate plenas, nova adeò & inaudita principia inducere. An qui sapiat, Aristotelem Paracelso, & Severino non anteponat? vel error honestus est magnos duces sequentibus. Iampridem desitum est contra Democritum, Epicurum, & alios magi nominis Philosophos disputare; nunc recentes, & minutissimi Philosophi cum ipso Aristotele de principatu contendunt. Mitto Chymicos qui nec cum aliis, nec secum ipsi consentiunt, quique in infinitas propè hæreses scinduntur; & magno tamen supercilio non Galenistas modò, sed etiam suæ artis professores despiciunt. Quis ferat nunc Cartesii Philosophiam jejunan prorsus, atque aridam, ac densissimis tenebris involutam, omnino commentitiam, non doceri modò publicè, atque omnibus qui sibi de ingenii subtilitate blandiuntur, probari; sed, quod me magis animi angit, eam longè anteferri

X ij

Philosophie Peripateticæ, quam totius orbis consensus tot retro sacerulis approbavit. Ille quidem, ut jam subinde diximus, Democriti, & Epicuri umbram secutus est, & quæ immuravit, ipse corrupit.

MEN. Deline quæso his communibus locis; nobis ista domini nascuntur. Quod si Democritum, & Epicurum sequitur Cartesius; an flagitium est ea sentire, quæ tu ipse nobilissimus Philosophus placuisse concedis. Sed pauca adjecte, & quæ immutavit, ipse corrupit. Ista sanè nisi hic in tuo regno essemus, non ferrem. An ignoras Epicurum atomos, & inane, ut rerum omnium principia inducere; ita ut ex fortuitâ atomorum concusione efficiantur ea quæ cernuntur omnia. Inane quoque infinitum, in quo nec ultimum, nec extrellum sit, commentus est. Motum deuine atomorum nulli principio refert, sed ab æterno tempore deducit. Iam vel teipso judice videamus vtra Philosophia, Epicuri, an Cartesii cum rebus ipsis, & ratione magis conveniat. Cartesius nullum vacuum in rerum naturâ admittit: neque atomos insectiles, seu individua corpora inducit, tamquam rerum omnium primordia. Terram, aquam, aërem ipsum ex particulis ramosis, & crassiusculis componit: in terra sunt compactissimæ, & crassissimæ; in aquâ maximè flexiles, & lubricæ; in aëre tenues, & disjunctæ. Istarum partium, ut identidem monuimus, interstitia subtiliori quâdam complentur substantiâ, cujus particulæ sunt globosæ; neque umquam cessant, sed inde sinenter moventur, cùmque motum à supremo opifice in ipsâ rerum conditione accepere. Cùmque ipsi globuli non possint seipso contingere, quin vacua relinquant spatiola: hæc ad eò subtiliori materiâ, & veluti minutissimo pulvere repleri necesse est; hanc substantiam primum elementum liceat appellare; secundum globuli ætherei, tertium ramosæ, & crassiusculæ partes component. Tenuissima substantia in Sole, stellis, atque igne est uberrima, lucem, calorem, & flammarum irrequieto suo motu efficit; cœlestes globuli æthereum mundum conflant, atque in aëre, & aquâ dominantur: non enim aquæ fluxilitas aliunde, quam ex motu secundi elementi deducitur; & corpus fluidum hoc solo à duro discrepat, quod hujus particulæ sibi implicatae & consertæ, nec mo-

*philosophie
cartesiana
fundamen-
ta.*

veri, neque à seipsis disjungi facilè possint; illius verò partes fluiles in perpetuo versantur motu, quem ætherea efficit substantia. Quid igitur aér, nisi terrestres particulae disjunctæ, & malè ^{aér.} cohærentes in cælesti substantiâ, vel secundo elemento fluquantes? Quid ignis, nisi terrestres quoque particulae in subtillisimâ materia, vel primo elemento innatantes, atque ab eo celerrimè actæ? Sed cùm hæc alio loco plura, nunc ad ea quæ à te, mi Simplici, de salibus dicta sunt.

Vobis quidem maximus est circa naturam salis, qualitates, & differentias sudor: cur sal omne in aquâ exsolvitur; vnde tanta saporum varietas; nitrum calidum sit, an frigidum; cur sales metallis fundendis, & dissolvendis adhibeantur. Hæc atque alia id genus infinita vestrum acumen exercent, quæ nobis videntur facillima, & expedita. Sal ex multis corpusculis rigidis componi non semel diximus. Hinc friabile existit, quod particulae inflexiles, & duræ, ex quibus constat, non ægrè separantur; statim in aquâ liqueficit, quod aquæ corpuscula lubrica & flexilia circa salis spicula convolvantur, cäque secum abducant. Malim ego cum Cartesio salis atomos oblongas, & acuminatas, quam cubicas, vel angulosas cum Epicureis supponere. Hinc enim salis compungens sapor, atque illius in aquâ, vel aëre humido exsolutionis facilitus explicantur. Nec mihi sit vero finnile poros in aquâ esse inanæ, eosque figuræ cubicæ, qui salis quadratas atomos; item alios esse diversæ figuræ, qui vitrioli, vel aluminis corpuscula alterius figure excipient. Nullum quippe inane patitur natura, cùm omne spatium triñ dimensione constans, corporis notionem, & naturam obtineat. Ne illud quidem Epicureis concedam alias atomos esse calorificas, alias frigorificas; (sic enim loquuntur) illas esse rotundas, has pyramidis similes, vnde illæ discutiunt, & agitant, hæc vero constringunt, & condensant. Fæcor equidem calorem, & frigus inter qualitates malè numerari; sed nego à solâ figurâ atomorum prodire. Calorem tum percipiimus, cùm nervi tactiles fortius moveantur; hæc verò agitatio non aliunde ducitur, quam à motu vehementiore partium corporis quod contractamus, vel tangimus: istarum verò partium motus ab agitatione subtilis materia corporis meatus replentis proficiuntur. Itaq; ca- <sup>De sale
juxta Chr.
teiplacita.</sup> ^{Quid eti'.}

lor nihil erit, quām insensibilium corpusculorum major, & in omnes partes agitatio. Cælestis autem materiæ, ex quā omnis motus oritur, corpuscula alia sunt aliis majora; quæque cum aliis comparata sunt majuscula, eadem vehementiorem procreant calorem, quodd fortioris agitationis sint capacia. Hinc frigidiora censemur corpora, quorum angustiores sunt meatus, quām ut majusculis pateant subtilis materiæ corpusculis; ut marmor politum, & glacies ipsa, quæ nihil est quām aqua, cuius partes fluiditatem vñ cum motu amiserunt. Cessat porro motus, quod subtilis materiæ majuscultæ partes a volant: minores vero quæ restant, non fatis habent virium, vt partes aquæ commoveant: hinc illæ partes ex flexilibus sunt rigidæ; ex fluidis duræ; ex agitatis immotæ. Inde sal ipsum ex crassioribus aquæ particulis constat, quæ cælestis substantiæ motu, nec flecti possunt, nec cieri. Quod si ignis vehementiâ, vel mutuo conflictu fiant planæ, & flexiles, tum metalla acie suâ dissolvent, & linguam sapore acerrimo compungent.

De nitro.

Frustrè querunt vtrum sal, nitrum, & vitriolum frigida sint an calida; virtualem, an formalem occultent calorem: cùm his corporibus calor insitus non sit, sed à subtilis materiæ motu dependeat: ita vt idem corpus in aliis calorem, in aliis frigus procreet; nitrum enim carbones accedit, & linguam summo frigore percellit: sic vini spiritus extinguendis sàpè inflammationibus utiliter adhibetur. Ne illud quidem à me impetrabunt, nitrum, vitriolum, caustica omnia, venena demum ipsa virtualem calorem continere: nam si ita sit, cur linguam, & viscera inflammant, cæteris vero parcunt corporibus? an potius idcirco censemur calida, quod spiritus acerrimos concludant; qui humore dilati, & soluti nervorum fibras dividunt, atque eadem prorsus, quæ calor solet efficere, exerunt. Plura ne addam & res occultissimas apertam deterreor, ne forte Theophilus non ferat, si formis, & qualitatibus explosis, ad motum, & figuram, rerum penè omnium virtutes, atque actiones referam.

T H. Tamerne in istâ pravitate persistabis: & miror te hæc tam aperte, perspicueque, & perversa, & falsa sequi.

M E N. Hæc certè mihi magis probantur, quām fallaces quædam

quædam conclusiunculæ, quas Peripatetici ex obscuris, & in-
cognitis principiis colligunt. Sed ista omittamus, & varia sa-
lum differentias prosequamur. Sal fixum (ut pauca delibein)
à volatili secernitur, quod illius corpuscula crassiora, hujus sunt
tenuiora. Sal ammoniacum præ cæteris maximè fugax, & pe-
netrans existit, quod desinat in cuspides, quarum apicibus aliæ
minutissimæ succrescent: hinc linguam pungit, & cuncta per-
meat. Sal tartari oleo vitrioli admistum effervescit, quod isti
liquores simul commixti sic aptatos habeant meatus, ut primi
elementi subtilissimam materiam admittant, globulos verò
cælestes excludant. Ignis autem, vel calor tum gignitur, cum
subtilissima materia in corporibus regnat, & cælestes globuli
exulant: id verò evenit cum tenuissima primi elementi substan-
tia satis valida est ut discutiat corporum partes, atque æthereos
globulos propellat. Hinc spiritus vini, cuius partes sunt tenuis-
simæ, meatus angustissimi, & primo dumtaxat elemento ac-
commmodati, statim ignem concipit. Quod si aquæ stygiæ, vel
spiritui nitri instilletur, brevi incendetur; utriusque enim mix-
turâ globulis cælestibus occluduntur meatus, & soli subtilissi-
mæ, vel ignite materiæ patent: hinc primum calor, tum ignis
accenditur, quod tenuissimæ spirituum partes facile disjungan-
tur, & cum impetu quaqua-versum propellantur. Cum partes
terrestres adeò sunt crassæ ut dividi non possint, solus calor,
non flamma gignitur, ut in calce contingit. Sic metalla igne
vehementissimo liquefcunt, sed inflammari nequeunt. Sales
verò fundendis metallis adjunguntur: nam spiculis suis partes
metallorum duriores aperiunt: lapides autem nullo ferè calore
funduntur, quia crassioribus constant particulis, quam ut pos-
sint separari. Quamobrem primum elementum tenuies, & oleo-
fas partes movet, dividit, & magno impetu disjicit: hinc flam-
ma: metallorum corpuscula separat, & efficit fluida, sed foras
non expellit: unde nec ignis accenditur: marmoris verò partes
mover quidem, sed non disjungit; nimium quippe sunt ramo-
sæ, & sibi mutuo implicitæ. Itaque partes tenuissimæ corpo-
rum in flamnam; crassiusculæ in fumum, aut fuliginem; cras-
sissimæ in cineres abeunt. Nam ubi corpus exuritur, si tenuissi-
mæ particulæ tantâ erumpunt copiâ, ut globulos cælestes è vi-

*Sal ammoniacum.**De igne & calore.*

Y.

cino aëre depellant, tum illud spatiū flamma implet. Ex his porro liquet, cur sales fixi aquā diluti calorem dumtaxat, non ignem generent; spiritus verò volatiles, & tenues flammam concipient. De spirituum collisione, & fermentatione nihil attinet dicere: nam palam est omnem liquorū mistionem, fermentationem, pugnam, præcipitationem denique à subtilis materiæ motu dimanare: neque enim liquores seipsis permiscuntur; sed cælestes globuli corpuscula tertii elementi sibi obvia exagitant, in omnes movent partes, & tandem confundunt. Si quae sint partes crassiores, & magis rebelles, tamdiu de loco suo dimoventur, donec cælestis materiæ agitationi, non magis quam cæteræ partes resistant: vel si id obtineri non possit, à reliquis separantur. Non dissimili ratione caseus coagulatur; crassiores enim partes ex quibus caseus componitur, fluidis antè innatabant, atque vñā cum iis movebantur: sed vbi calor fluidas partes congregat, vel separat, tum crassiores particulae moveri desinunt, & tandem sublidunt. Quid attinet de his plura, cùm ex iisdem principiis omnia artis Chymicæ mysteria explicari facillimè possint: calore enim & motu cuncta perficiuntur: motus à cælesti prodit materiā, cuius majusculæ partes intensiorem calorem, vel motum vehementiorem procreant: sed hæc pleniū suo loco exposuimus: nunc igitur seriem disputationis nostræ retexamus.

T H. Rechè tu quidem admones: nam si volumus omnia quæ pro his, aut contra dici possunt, complecti, numquam ad extum deducetur oratio. Nec verò satis assequi possum quod sit vestrum consilium, aut quid velitis, cùm materiam, formas, qualitates è medio tollitis, vt ætheream substantiam omnium motionum effectricem, cuncta permiscentem inducatis; quasi hæc materia invisibilis, atque omnis motus architecta facilius mente concipiatur, quam vulgatae qualitates. Illa rerum omnium principia decernitis, quæ omnibus sint obvia, expedita, & summè perspicua: sed cùm cuncta moveri, & misceri ab ætherea substantia supponitis, cùmque corpora in minutissimas particulas conciditis, ex quarum varietate, motu, & figuris, rerum ortus, naturæ, & differentiæ ducantur, in eamdem incidentis obscuritatem, contra quam Philosophia vestra inventa est.

Misio.

Fermenta-
tio.

Congulum.

Quidquid sit de veritate horum decretorum (neque enim hic meam interpono sententiam) mihi certum est ab Aristotele, qui omnium ferè doctorum consensum meruit, non discedere, ut minutos & obscuros Philosophos sequar, qui laudem sibi ex temeritate, & arrogantiâ quæsierunt. Recta quidem, & aperta philosophandi ratio plerisque nihil habere ex ingenio videtur: corruptam verò, obscuram, & vitiosam judiciorum pravitate mirantur; & quod peius est, propter hoc ipsum, quòd prava sit, & à recto itinere deflexa, laudent. Verùm hæc omittamus, vt ad id vnde divertimus, post longos errores tandem revertamur. De iis quidem succis qui calore concrescent, atque humore solvuntur, fusiùs quām necesse erat differuius; nunc de aliis succorum generibus, quæ majorem pinguedinem præ se ferunt, quæque calore liquefcunt, quòd frigore coalucint, presiore stylo dicendum. Ante omnia occurrit sulfur, quod tamquam omnium fossilium commune principium Alchimistæ statuerunt; vix enim vlla marcasita, vel vena metallica invenitur, ex quâ sulfur non eliciatur. Quibus verò modis ex pyrite, aut marcasitâ sulfur, & atramentum per descensum soleant distillari, apertissimè ostendit Georgius Agricola. Pyritis, vel metallicæ venæ sulfure & atramento prægnantis per tabulam ferream multis perviam foraminibus, ignis incumbentis ardore, halitus in vasa supposita efflatur, qui in aquam frigidiorē vasis contentam incurrens, statim concrescit. Marcasita quoque in minutiores partes concisa retortæ ferreæ, cuius rostrum in aquam descendit, vel olla cuius tubulus prominens aquæ itidem immergitur, imponi solet; igne accensa sulfur subruberum præbet. Nonnumquam sulfur integrum, & purum è mineris effoditur, præsertim prope montes ignivomos: aliquando lapidibus adhaerescit; sàpē ex aquâ sulfureâ; interim è glebis coctione educitur. Magnos habet in Alchimiâ usus: sulfur sublimatione expurgant; hinc flores è sulfure sub campanâ accenso colligunt: spiritum item acidum, quem mirificè commendant, arte non dissimili eliciunt. Neque eamdem viam inserviunt omnes: ea mihi & tuior, & compendiosior videntur quam Libavius describit. Sulfur in pulverem comminutum paropſidi, vel conchæ latiori, aut vasculo terreo imponit; retortam vi-

tream fundo resesto ita suspendit, vt vapor incensi sulfuris per apertum retortæ fundum sursum emitens, in amplum ingrediatur excipulum, cui aqua frigida immittitur, & medio septo in duas secatur partes, relicto in medio diaphragmate foraminulo, per quod sulfuris vapor subeat, & in frigidam aquam impingens citissimè densetur. Rectificatione opus erit, vt spiritum acidum consequaris. Illud demiror spiritus acidosex sale, vitriolo, & sulfure vix elici posse, nisi aquâ frigidiusculâ in receptaculo præmissâ temperentur; quod fortasse spiritus alii sint humidiiores, & insipidi; alii actiores, & siccii, atque ex utrorumque societate aciditas emergit. Cæterum hic spiritus noxios humores ad partes extimas propellit, atque illius ope multi è ferro vitriolum viride, ex ære cæruleum, è cretâ alumen se facile extracturos pollicentur.

De sulfuris naturâ omnes ferè consentiunt; calidum est, & siccum, ignis pabulum, terra pinguedo, & quasi resina vocatur. Cum purum est, citò incenditur: vbi alumine, & atramento inficitur, flammarum ægrè concipit. Colores omnes instar chalcanthi induit; ex iisdem plerumque venis eruitur. Iam verò difficile est omnes sulfuris vires, atque usus enumерare: cum enim vi expulsive donetur, scabiem detergit, phthisim sanat; pulmonum exsiccatur, & consolidat ulcera, aliisque incedetur morbis, qui ex putredine scaturiunt: sed sulfur flavidum, splendidum, & molle ad hos usus eligitur, idque variis modis antè defæcatum sportet. Nonnumquam vna cum cera liquefactum in aquam effunditur, cera innata, sulfur subsedit, quod si identidem id repetitur, sulfur & purius existit, & rubro colore tingitur. Mitto alias usus quibus ab Alchimistis destinatur, nam rei metallicæ mirum quantum inservit. Ex illo quoque olea, balsama, spiritus, imd & lacteum succum eliciunt, sulfur enim cum lini oleo coctum, rum distillatum, liquorem lacteum præbet, cui oleum subruberum innata. Siquidem oleosa, & pinguia quæ sunt, cum aquâ permista, lacteum persepe candorem inducunt. Hinc aquæ sulfureæ aliquando albæ visuntur: licet enim sulfur non facilè aquam subeat, nihilo tamen seciùs cum eâ tandem miscetur, & lacteum colorem illi conciliat.

Hæc de sulfure: nunc de arsenico, sandarachâ, & auripigmento per pauca: nam sulfuris sunt finitima; ex iisdem venis, & marcasitis effodiuntur; nec tam naturâ, quâm accidentibus inter se dissident. Auripigmentum luteum est, auro non dissimile: in tenues squamas, aut folia diductum, vel in minutissimum pulverem comminutum splendidiore colore invenitur. Glebosum quoque, & subruberum, ac sandarachæ similius occurrit; est volatile, & venenatum, nisi probè emendetur. Vbi halinitro, vel sale virinæ fixum, & correctum fuerit, non cancris modò, & externis ulceribus curandis accommodant, sed etiam interioribus adhibent; & ita impunè de corio nostro ludunt. Veteres solâ vstione purgabant sandaracham, & resina temperatam præbebant astmaticis. Colore tantùm tubeo ab auripigmento, vel arsenico differt: neque enim arsenicum ab auripigmento se Jungimus: album quippe arsenicum factitium est, & solius additione salis per crebras sublimationes abscondit. Sic testâ operâ conclusum, ignis calore in sandaracham faciescit; adeò ut hæc omnia ejusdem speciei, & naturæ censemantur: cùmque in omni ferè metallicâ venâ, maximè si auro, vel argento ditescat, soleat occurrere, creditit Geberus Alchimistarum princeps metalla ex sulfure, mercurio, & arsenico conflare: nam multùm arsenici, vel cadmiæ, aut realgaris exhalant venæ metallicæ, cùm excoquuntur, idque è spiraculis fornacum colligunt, ad multos v̄sus profuturum. Alii aliter opinantur; sed hæc posteriùs.

Nunc de bitumine quod in varias species diducitur, paulò uberioris agendum est: nam de sulfuris, & arsenici vsu multis in locis spargemus, præsertim cùm ad metallorum tractationem pervenerimus: sed de bituminum naturâ differendi fortasse alias non recurret occasio. Magna est bituminum varietas: nam alia liquida, & oleo simillima aquis innatant; alia verò duriora, & compactiora è terræ fauibus eruntur: illa diversis signantur nominibus. Bitumen candidum, & subtile, naphta vocatur; nigrum, fetens, & amarum bituminis nomen retinet: in Iudæâ purpureum invenitur, illud asphaltum dicunt, quo mare mortuum, seu lacus Asphaltides abundat. Sic pißlphaltum dicitur, quòd ex pice, & asphalto compositum appareat; non

Auripigmentum.

Arsenicum.

Bituminum
varia gene-
ra.

quod sit mixtura ex pice, & bitumine; sed quia communem
vtrique odorem facit. Nonnumquam instar olei liquidum est,
idque petroleum nominant; aliquando instar limi densum, &
crassum existit, maltham vocant. Bitumen fossile, & durum
variis itidem donatur nominibus: nam gagates, lapis Thracius,
obsidianus, carbo fossilis, lithantrax, terra ampelitis appellatur:
quamquam fortasse tot diversis vocibus res eadem subjiciatur.
Gagates. Bitumen durum, & politum gagates dicitur, quod no-
men à quodam Lyciae, vel ut placet aliis Ciliciae fluvio mu-
tuatum est. Nec ferè differt à gagate lapis Thracius, qui è
Thraciae flumine colligitur: vel obsidianus, qui in Æthiopiam à
quodam Obsidio repertus fertur, cum tamen in Hispaniam citer-
iore, Germaniam, & alibi paucum occurrat. Terra ampelitis, cu-
jus pulvis vermiculos, qui verno tempore vites arrodunt, ene-
cat: pharmacitis ex quâ multa parantur medicamina, carbones
fossiles, & alia id genus vix inter se, nisi forte diversâ co-
etione, & variâ partium tenuitate, aut crassitie dissident: sed
diversæ nationes diversa itidem nomina illis indiderunt. Ita-
que hæc nihil sunt, quam bitumen nigrum, & fossile: nam ac-
censa bituminosum odorem exhalant; contrita in pulverem, vt
pinguia quæque in oleo exsolvuntur: ignem facile concipiunt;
neque aquâ, sed oleo extinguntur. Eosdem quoque usus in
Medicinam habent; exsiccant enim, & aperiunt: adde commu-
nem omnibus levitatem, nigredinem, splendorem, magnam
cum piceæ arboris carbonibus, quam veteres omnes obseruant,
affinitatem. Imò crediderim bitumen liquidum ex fossili sca-
torire; utriusque enim eadem sunt vires, eadem ferè natura.
Galenus quidem testatur se in monte qui mare mortuum cingit,
quodam lapides planos, & leves collegisse, qui subtilem
flammam, atque odorem bituminosum incensi reddebant:
adeò ut verisimile sit illos lapides nihil esse prater bitumen du-
rum, & fossile, quod ab aquis fervidis, & præterlabentibus dis-
solutum in mare mortuum devoluitur.

Succinum. De succini naturâ, & origine multum ambigitur: quidam
succum arboris definit: nam succini nomen à succo deduc-
ctum putant. Alii quorum nos sententiae acceditus, succum
quidem esse, sed bituminosum, & fossilem contendunt. Qui

succinum ex arboribus instar resinæ, gummi, vel lacrymæ exoriri sibi persuadent, in diversas distracthuntur sententias. Quibusdam placet succinum è populis arboribus defluere, in quas Heliadas mutatas fuisse, dum Phæthonis interitum deflerent, easque succinum pro lacrymis fundere Poëtae fabulantur. Sed faciunt imperite qui ab Euripide, & Ovidio ut à testibus veritatem exigant. Sunt qui à cedro, alii ab abietibus instar resinæ exstillari putant; atque ingentes sylvas ad litora maris Germanici, in quo succinum explicantur, consitas fingunt. Mirum has arbores, vel sylvas nec dum à quoquam conspectas fuisse. Nec cedri, nec abies in aliis regionibus hunc succum fundunt. Mitto ingentes electri massas ex lacrymis arborum conflari non posse. Non facile explicabunt quâ ratione hoc resinæ genus in mare defluat; citius frigore congelabitur, quam in mare dilabatur. Quamobrem mihi persuasum est succinum in mineralium censu esse reponendum. Efundo maris Boruscici propter peninsula Sudinorum ebullit, idque frigore aqua concretum, in recessu, seu refluxu maris incolæ retibus extrahunt. Iam vtrum sit species quædam bituminis, vel quasi flos, & subtilior pars sulfuris, quæque sint electri differentiae, ex quibus principiis coalescat, aliis excutiendum relinquo.

M E N. Da nobis hoc, mi Simplio, & perfice ut quæ Theophilus coarctavit, & peranguste referat, de variis bituminum generibus dilates tu nobis, atque explices.

S I M P. Quò me vocas, aut quid hortaris, vt in iis diutius immorer, quæ conscripta sunt à multis diligenter, quæque sunt abjectiora, quam illa quæ à vobis expectari puto. Nec mihi auctor fueris vt curiosius inquiram in ea quæ parvum, vel nullum momentum afférunt. Quis enim non irrideat magnorum alioqui, & nobilium Philosophorum ludicra certamina de bituminum origine. Vtrum gagati, Lyciæ, vel Cilicie fluviolus nomen dederit: vtrum inter lapides, gemmas, aut bitumina referri debeat: an eadem sit gagatis, nigri succini, lapidis Thracii, geminæ, vel lapidis obsidiani, & lithantracis natura: an res eadem tot diversis vocibus signetur: an denique, quod Gessnero, & nonnullis videtur, variis dampnataxat concretionis gradibus, & aliis quibusdam accidentibus discernantur: Naphta

quippe liquidior est, quam excipit bitumen limosum mollii hinc simile; pissaphaltum sequitur, quod aliquantulum crassius existit: sed tamen instar cerea digitis cedit: asphaltum majorem præ se fert duritiem: succinum nigrum, terra ampelitis, carbo fossilis, lithantrax, gagates, lapideam ferè duritiem natæ sunt. Hæc quidem omnia ex bitumine concrescunt, sed varia terræ, & salium admistio, diversa itidem coctio, tor inducunt differentias. Gagates plus olei reddit, quam ambra nigra; hæc siccior cùm sit, non tantum fumi exhalat. Qui istarum rerum intimas differentias inquirit, distillatione utatur; ea vero nec exiguo potest tempore absolvit, nec institui, nisi preparatio: nec mihi vacat in his rerum minutis tempus impendere. Quod si Libavium, quem Theophilus cæteris Chymicis anteponit, audiamus, gagates distillatus primùm aquam nitrosam, acrem, & albam exhibet. 1. Oleum nigrum. 11. Bitumen quod initio liquidum, tum crassius est, & asphalto simile elicitur. Caput mortuum nigerrimum, & naturæ rariorū in fundo supereſt.

*De succini
analyſi.*

Succinum itidem distillatione resolutum aquam lacteam, & acrem præber, tum oleum primò album, deinde citrinum, quod ultimè egreditur crassum est, & bitumini simillimum. Sal quoque candidum quod pruinam refert, è succino attollitur: illius sapor nitrosus est, & acutus, in carentem laminam conjectum, multum exhalat fumum. Succinum vitrioli acrem saporem, cum pinguedine quādam ingratâ videtur præ se ferre, quod argumenti satis est, ut inter mineralia censeatur. Bitumen quippe abundat, nec chalcantii, & nitri deest commixtio. Arborum vero lacrymæ, vel gummi ubi distillantur, nec cineres relinquunt, nec tot res adeò diversas præbent: non demum tanta durities in succum arboris cadit. Addit Gœbelius se vidisse succino adnatam melanteriam, vel chalcitum; Islebiæ inventam esse massam succini, quæ capitis humani mollem æquaret. Odor, sapor, vires, colorum varietas electro, & bitumini sunt communes. Nec mirum si bitumen ex imo mari exæstuans concrescat in succinum, cùm oleum stillatitum electri, vel succini bitumen in fundo relinquat. Gagates, bitumen, & alia id genus leviter incensa succinum olent; quod si actiore:

aciore flammā torreantur, graviorem odorem fūtent, qualis est nidor sulfuris cum electro permisti. Purissimum quoque oleum succini vix à petroleo discernes.

Sed perturbat nos Plinii, Cornelii Taōti, atque aliorum veterum auctoritas. Hos quidem placare cupit Libavius, refellere non audet. Succinum aliud esse minerale, & quasi bituminis florem; aliud vegetabile, & resinosum; tertium denique ex vitroque temperatum esse decernit. Nam Orientale quod instar vini Faletini tralucet, & Falernum vocatur, non succinum, sed quoddam aromaticum redolet. Hinc solvit argumentum eorum, qui electrum statuunt arboris succum, quod nimis muscas sæpe, formicas, & alia animalcula visciditate suâ implicata exhibeat: quam rationem vrget summo vir ingenio C. Tacitus. Succum, inquit, arborum esse intelligas, quia terrena quædam, atque etiam voluctia animalia plerumque interlacent, quæ implicata, humore mox durescente, materiâ cluduntur. Accedit etiam permagna succini cum resinis, & pice affinitas. Si naturam, inquit Tacitus, succini admoto igne tentes, in modum tædæ accenditur, alitque flamمام pingue, mox vt in picem resinâme lentescit. Plinius quoque refert ex Indiis adiectum electrum fuisse cum cortice. Sed quid obstat quominus muscas, vel alia animalia, imò & arborum cortices succino adhuc liquido, & oleaginoso involuta, ac veluti sepulta fuisse fateamur? Præsertim cùm pisces, & piscium ova inserta, atque implicata succino nonnumquam reperiantur. Neque necesse est varia electri genera comminisci; cùm nullum nisi idem minerale occurrat, cuius vt bituminis diversæ species numerantur. Primas quidem candido deferrunt: est enim purissima bituminis portio, & odoris gratissimi. Illud excipit fulvum, seu Falernum, quod veteribus magno in pretio fuit; sequitur succinum variis distinctum coloribus; est quoddam opacum, squalidum, nec colore, vel odore suave, quod nullo ferè habetur loco. Succinum, gagatem, ceram obsignatoriam, & alia id genus pingua, ac resinosa paleas attrahere fugit neminem: quæ sit hujus tractionis causa idoneo loco diximus. Spiritus acres, & oleosi affictu, vel calore excitati res obvias facile penetrant, & viscidii cùm sint, tenacius

*objectione:
admixta.*

adhærescant; frigore coagulati ad locum suæ originis revertuntur, & secum levia corpuscula, quibus erant implicati abducunt: vel halitus pingues erumpunt apertis meatibus, & tamquam tenuissimi nervuli ducuntur, donec longo itinere tandem fatigati disrumpantur: vnde altera extremitas, quæ succino adharet, in originis suæ locum reddit, vt evenit in funiculo vehementius tenso. Quamobrem nihil necesse est ad sympathiaz, vel antipathiaz miracula recurrere, vt electricas attractiones explicemus: nam tenuis, & viscosus halitus qui ex succino prorumpit, leviora quæque corpora corripit, ilisque visco suo tenaciter adhæret; frigore vero densatus in locum suæ originis vñacum prædâ revertitur. Hic nullus est qualitatibus locus; effluviis, & halitibus res tota perficitur. Nec doctissimo Cabæo assentior, qui ex electricis, & bituminosis corporibus effluvia tantâ vi putat erumpere, vt ventura excitant, quo aër verberatus interjecta corpuscula in electrum defert. Mirum si ventus illa corpora potius in ipsum succinum, quam alio propellat. Quid est cur paleæ & arida folia in electrum impacta, ipsi adhærescant? nec verisimile est halitus pingues tanto impetu efflati, vt circumfusum aëra dimoveant. Quantò probabilior est illustris Digbæi, quam mox exposui sententia, halitus pingues è succis bituminosis calore extenuari, frigore contrahi, cumque sua spicula folio, vel paleæ infixeretur illud corpusculum, non familiaritate quâdam naturæ, non occultâ & magi- câ qualitate, sed glutine, & oleosâ pinguedine irriterum in succinum ruit. Sed cur bituminina potius, quam alii non minus oleosi succi hac vi attractrice donantur? an quod dura hæc corpora halitus vegetiores emitunt, qui frigore contracti, non ab aëre dissipantur, sed in fontem suum reflectuntur. Quare affectu lacesita fortius trahunt? an quod spiritus copiosi motu excitantur? an potius sordes frictione deterguntur, & meatus aperiuntur? Hinc politum succinum vim suam fortius exerit. Concretis etiam, & densatis halitibus occlusi meatus mori, & affrictione reservantur. Tenuissima illa stamina nimio calore disrumpi, moderato excitari satis compertum est. Vis quoque illa electrica humido cælo languidior est, sereno ve- getior: nam humor aquosus ista effluvia reprimit, & poros obstruit.

Bituminosa quæque semel incensa vix frigidâ possunt restinguï : non enim aqua facilè oleosa corpora penetrat, neque cum his periniscetur: sed affuso oleo citius extinguitur, quod oleum suâ densitate, ac naturæ familiaritate istorum corporum subeat meatus, & flammatum opprimat.

MEN. De naturâ, & origine succini, neque non de variis bituminum generibus satis ut opinor multa. Cum verò ad hominum commoditates tantam rerum libertatem natura largita sit, si præcipuos tum succini, tum bituminum usus expondere non graveris, non mediocrem à nobis initurus es gratiam.

SIMP. Exprimam ut potero. Non equidem is sum qui ^{De usu suc-}
scientias omnes utilitate, & emolumentis metiar: neque igno-
rō illas esse longè diviniores, quæ in solâ inspectione, & con-
templatione sui objecti positæ sunt. Sed quorsum ad rerum mi-
nutissimarum cognitionem descendimus, si nolimus ex iis quos-
dam veluti fructus decerpere? Frustra mineralium, & planta-
rum anatomiam tam accuratè, & quasi superstitione persequi-
mur, nisi hæc ad utilitatem nostram referamus. Succinum qui-
dem si retorta conclusum, cui excipulus cum aquâ præmisso-
riâ aptetur, leni & inoderato calore distille: primū, oleum
tenue, & album proliciam, cui flavum succedit, quod mutato
receptaculo excipiam: tandem rubrum seorsim quoque extra-
hain. Numquid tantum his operibus laborem impendam, ut
natura succini mihi explorata habeatur. Quod si res omnes re-
solvere, & usque ad ultimas fibras reficare velim, quando fi-
nis? Quare longè consultius fuerit ista olea ad corporis sanita-
tem, & morbos expugnandos convertere, quam de eorum na-
turâ, & variis coloribus dispergare. Quod si Chymicis aliqua sit
habenda fides, nihil est cordi, & cerebro tam amicum, atque
oleum succini repetitâ distillatione rectificatum. Balsami loco
esse potest, atque illi potissimum conveniunt omnia, quæ pe-
troleo (quod nihil est quam purissimum bituminis oleum)
tribuuntur. Morbis ferè omnibus, qui cerebrum, & cor invadunt
medetur; apoplexiā, vertiginem, paralysim curat; ad-
versus venena, & pestem summum habet remedium; pestis
tempore naribus admovetur, ut venenatum aëra procul ar-
ceat. Oleum crassiusculum succini cum vnguento idoneo per-

iniscetur, eoque membra paralytica illinuntur; contractos sa-
pe nervos solvit; nec mediocriter ad strangulatum vteri, calcu-
lum, & hydropem confert. Dentium doloribus utilissimum
quoque habetur: nam sive spiritus acres hunc dolorem effi-
cient; sive humores è cerebro distillati; seu denique vermes
quidam dentes arrodat: succini oleum tenui, & penetrans
spiritus dissipat, humoribus viam aperit, vermes enecat. Multi-
tis profuit camphora spiritu vini soluta: magna quippe est in-
ter succinum, & camphoram cognatio: hinc Averroes ambram
sive succinum camphoræ speciem definit. Et certè oleum suc-
cini camphoram redolet; ita ut multum in Agricolæ senten-
tiam propendeam, qui camphoram inter mineralia, non inter
gummi, vel lacrymas numerat: nec ferè à Babyloniorum na-
phrâ differt, nisi solâ partium subtilitate. Imò quæ ex Indiâ in
has regiones advehitur, factitia est, atque ex nativâ, seu ex bi-
tumine Indico per sublimationem extrahitur. Nullus verd' ar-
boris succus sublimatione purior evadit: nam per arboris fi-
bras, tamquam per tubulos elatus satis defacatur. Sic thus,
myrrha, bdellium nullâ arte elaborata ad nos perveniunt. Sed
quæ è terræ visceribus eruantur, operam, & laborem homi-
num exigunt, ut fiant puriora: ex multis enim succis promiscue
confusis coalescant, quorum alii nobis sunt vtiles, alii verd' infes-
ti: atque in hoc artis Chymicæ summa consistit, ut fossilia
in suas partes dissecans, venenatas à salutaribus secernat. Sul-
furea in primis, & pinguis vix pura, atque à noxiis minerali-
bus libera occurunt: raro sulfur omnis arsenici, vel vitrioli
expers invenitur: quantumvis in flores sublimetur, virus suum
non deponet. Neque aliter quam salis, vel nitri spiritu acido
expurgari omnino poterit. Florum sulfuris libra in cucurbitâ,
seu vase vitro vna cum duabus libris spiritus salis collocatur;
aperto alembico, ne spiritus pereat; primum igne moderato,
cum sensim aucto excoquitur, quoique sulfur instar olei spi-
ritui salis innatet: post aliquot horas instar vitri pellucidum ex-
trahitur magno usui futurum: nam spiritus salis quicquid in
sulfure alienum, & impurum latebat, exsolvit.

Eadem arte succini, bituminum, & omnium vegetabilium
olea purgantur: nam rectificata cum spiritu salis, non modò

*De campho-
riâ.*

priora, sed etiam tertia redduntur: suavem odorem afflant; empyreuma, seu ignis impressionem exiunt; crassiores fæces in fundo vasis deponunt. Sic oleum succini & gagatis purissimum & gratissimum elicetur, crassum in imo subsidit, quod à spiritu salis secretum, instar balsami vulneribus externis utile futurum est. Cum autem pleraque Chymicorum remedia vehementioris caloris vitio laborent, huic incommodo facile possumus occurrere, si olea exstillata diversis vasis excipientur: quod enim primum egreditur purissimum quidem, sed idem impensè est calidum, interiores sanat affectus, qui ex nimio plerumque frigore, vel obstructionibus oriuntur: est quippe penetrans & subtile. Sequitur aliud, quod ut tenuitate, sic calore aliquantulum infelix est: ultimò tandem crassum oleum prolicitur, quod interioribus morbis minus quidem commodum, sed vulneribus est optimum. Taceo spiritus salis beneficio ex rebus ferè omnibus oleum, non substantia modò prioris, sed etiam odore, & sapore longè gratissimum, ac multo uberiorius quam vulgari methodo nos posse consequi. Quod enim ex retorta elicetur, veplurimum redolet empyreuma: ignis quippe gravem rebus omnibus odorem imprimit, ut videre est in rosis per retortam distillatis. Neque illud ignis vestigium aliter deponunt, quam spiritu acido, qui partes fuliginosas retinet. Major quoque ex rebus ferè omnibus solei copia hac arte educitur: neque enim seminum, & plantarum olea per vesicam vulgari me-thodo facile attolluntur, cum aqua non satis habeat virium, ut delitescens in sciminibus oleum solvat; nec sat caloris ut id sursum efficerat: hinc vesicae cupreae beneficio perpanicum elicetur, quod etiam cupri vitriolo inficitur. Copiosius quidem per retortam prodit, sed adustum, nigrum, odore ingratum, & sapore injucundo. Quapropter optimam his operationibus munierunt viam, qui spiritum salis, vel nitri acidum adhibuere: quam quidem arte ex succino, gagate, & carbonibus fossilibus oleum album, tum flavum prolixiunt, nigro in vasis fundo superstite, quod instar balsami vulneribus curandis esse potest. Album verò, & flavum spiritu salis rectificata odorem spirant suavissimum, & plerosque sanant morbos, qui ex venenato aere, obstructionibus, atque aliis ex causis scatent. Non equidem mi-

hi excidit, quod superius attigi, sulfur, & oleosa quæque fixo-
nitri liquore defæcat; atque hæc industriæ res venenatas in vti-
lia commineare medicamina: sed aliâ insititur viâ, quam qui-
dem vobis satis aperte commonstravi. Sulfur in pulverem com-
minuant, cui alterum tantum nitri fixi adjiciunt: sulfuris li-
bram cum duabus nitri fixi permiscerent, quibus sex aquæ libræ
affunduntur; in arena horæ spatio vnâ digeruntur, tum sulfur
exsolvitur, per chartam bibulam trajectum, spiritu nitri acido in
tenuissimum præcipitatur pulverein, quem elutum pulmonum
morbis utilem prædicant. Nihil hîc opus est de spiritu sulfu-
ris dicere: sed ne quid dissimulern, vix purum, & sincerum sul-
furis oleum venale offendimus; illius loco prostat vitrioli spiri-
tus, non multum absimilis, sed viribus longè impar: nam spi-
ritus sulfuris jucundam præ se fert aciditatem, pulmones juvat,
gangrænam curat, magnos denique & multiplices habet usus,
tum in Alchimiâ, tum etiam in Medicinâ. Campanæ vitreæ
beneficio per paucum elicunt; citius enim incalescit campana,
nec possunt sublati vapores concrescere. Mihi cuncta ri-
manti nulla compendiosior succurrit ratio, quâm in vas distil-
latorium superius à nobis descriptum jam candens frustulum
sulfuris ovi magnitudine conjicere; occluso statim vase, spiri-
tus vnâ cum floribus in receptaculum protruditur: idque sa-
pius iterabis; spiritum à floribus per aquæ affusionem secer-
nes: aquam distillatione extrahes; ac reliquum erit optimum
sulfuris oleum, vel spiritus: sed ista usu magis, quâm præceptis
docebuntur.



CAPVT SEXTVM.

* De lapidibus in vniversum.

- I. *De communi lapidum materia, effectrice, & formalī causā ex communi Peripateticorum sententiā differit. II. Quid nobis videatur de lapidum causis proponimus. III. De principio coagulationis. IV. De calculo disputatur.*

M E N A N D E R.

Ob i s quidem ista sunt pergrata, pérque jucunda; & vt mihi videtur, de rebus obscuris à te ditūn est, non modò dilucidè, sed etiam verbis ornatiūs, quām plerique solent Philosophi. Non equidem in eā sum sententiā, vt Philosophus negligētā retum copiā, Latinitatis minutias capter; id enim puerile est, & frivola in parvis jaestantia. Præclarè dixerit, si res bonas plane & perspicue expediat; neque abhorreat ab omni politiore elegantiā, nec verborum argutias affectet: obscuritatem tamquam scopolum fugiat; nec verba aliquando parere, ac nova novis rebus nomina imponere reformidet. Nam vt pulcrè Tullius, ne opifices quidem tueri sua articia possent, nisi vocabulis vterentur nobis incognitis, vñitatis sibi. Verūm hic quoque certus est adhibendus modus: Chymici enim nimis intemperanter hoc jure abutuntur; nec satis habent loqui more quodam suo, nisi etiam nova quotidie singant vocabula; adeò vt non tam sint rerum inventores, quām verborum. Illis tamen vulgares Philosophi ignoscant velim, quorum scientia magis terminorum, quām rerum explicatione continetur: magna quidem professi, in parvis versantur. Fremant omnes licet, dicam quod sentio, vnius Cartesii liber omnium Philosophorum bibliothecas, & rationum pondere, & vtilitatis vbertate superat. Verbis vñitūt non privatis, non barbaris, sed vñitatis, & communib; rerum omnium principia, mundi structuram, siderum motus, atque omnia naturæ opera tam apertè tra-

dit, vt post illum tacere modestissimum foret.

T H. Quām sit facilis, & cuique obvia Cartesii philosophandi ratio, illi viderint, qui ejus disciplinæ arrogantiā, quasi difficillima sit, ita subnixi ambulant. Præclarè de rebus cælestibus, & meteoris tractaverit, nihil enim pugno: certè res subterraneas & fossiles parcè, ac leviter attigit. Quare licebit nobis per Cartesium de naturâ, & generatione tum lapidum, tum metallorum diligentius inquirere. Id enim sequitur, vt postquam de terris, salibus, sulfure, & bituminibus, fusiūs fortasse, quām necesse erat, tractatum à nobis est, de lapidibus primū in vniversum, tum de singulis separatim agamus. Atque vt viā, & ordine progrediamur; quæ sit communis lapidum materia, quæ causa effectrix, quæ demum forma, intuendum puto; tum de lapidum perspicuitate, coloribus, figuris, duri-
Lapidis definitio.
 tie, atque aliis accidentibus agendum. Placet igitur, quoniam omnis disputatio de lapidibus futura est, antè definire quid sit lapis. Nonnulli definitiunt mixtum perfectum, durum, terrestrē, frangibile, non ductile, nec per se liquabile: alii paulo aliter finiunt, corpus mixtum, maximè durum, nec ductile, quod in aquâ non exsolvit. Non enim adeò constat lapides liquari non posse, vt id extra omnem sit controversiam. Nunc quæ sit materia lapidum videamus. An forte, vt ex vapore aquoso metalla, ita ex halitu sicco lapides concrescunt? Sic videtur Aristoreli: an potius ex humido vnguis, vel ex terra, & aquâ subtilissimè permistis; vel denique ex succo lapidifico, per varios terræ meatus percolato lapides efformantur? Profectò eos ipsos, qui in hoc se aliquid certi habere arbitrantur, addubitate cogit doctissimorum hominum de re obscurissimâ tanta dissensio. Quod si quid in his sequi oporteat, potior erit apud me Avicennæ sententia, qui lapidum materiam, non tenuem exhalationem cum Aristotele: non enim potest halitus siccus citra humorem in corpus durum commeare; nec solam terram, cujus partes, si omni humore destituantur, in pulvrem fatiscunt; nec solam aquam, quæ frigore concrescit, calore solvitur; cum lapides vix, aut numquam calore liqueantur; non demum terram aquâ leviter dilutam, ex quâ nihil nisi lutum emergit; sed humorem viscosum & terrestrem esse putat;

adèò

*Quæ sit la-
pidum ma-
teria.*

adèò vt continuitatem humor, terra largiatur soliditatem. Sic citas terræ humiditatem aquæ sifist, ne diffuat; humor minutissimas terræ partes commiscet, & necit: hinc lutum induratum, atque à superfluo humore liberatum, ad lapidis soliditatem accedit. Quòd si humor viscosus non foret, calore citò avolaret. Hinc quæ lapides per vagantur venæ, nihil sunt quām terra quædam exsiccata, quæ facile in pulverem comminuitur, quòd ab his partibus omnis humor sit exhaustus. Aristotelis sententia vix potest defendi, nisi fortè materiam lapidum, non quidem proximam, sed remotiorem adferat. Quamvis non sola exhalatio sicca, ex quā nihil nisi minutissimus pulvis potest emergere; sed halitus vapore permistus ad generationem lapidum conspiret: exhalatio tamen terrestris primas sibi partes sumit: nam terram magis, quām aquam in lapidibus abundare, hinc satis liquet, quòd non vti metalla, calore solvantur. Quòd si sola in lapidibus regnaret aqua, nihil esset causæ, cur omnes fundum aquæ pterent: non enim glacies ad imum deprimuntur, sed magis enat. Quocirca lapides non aliunde, quām ex tenaci luto, vel succo lapidifico prodeunt: lutum est, vbi terra copiosior; succus, vbi aqua dominatur: nec succus lapidificus aliud est, quām aqua saxeis ramentis prægnans: hæc enim vbi calcis mineras præterfluit, calceum pulverem secum vehit, qui sæpe in gypsum, vel in lapidem specularem abit, cùm exuberans aqua, vel percolata, vel calore diffusa fuerit. Quamdiu succus ille agitat speciem aquæ præ se fert, sed vbi consistit, lapidis duritiem statim contrahit. De materiâ lapidum hactenus; nunc quæ sit eorum effæctrix causa dicere experiar.

Non solus calor lapides singit; vt placet Aristoteli: sed qui aquâ dissolvuntur, calore induruerunt; qui verò ignis violentiâ liquefunt, vt silices, frigore obriguere: calor quidem humorem superfuum exhalat, & tantum relinquit, quantum partibus vniendis satis est; frigus verò cùm aërem expellit, tum humorem fortius congelat, & conglutinat: hinc lateres, & pumices quos calor effinxit, multis porishiunt: silices, & gemmae occlusos habent meatus. Frustra igitur Avicenna, & Albertus Magnus ad vim quamdam mineralē & plasticam con-

A a

fugiunt; quasi lapides instar plantarum, vel animantium vi
seminariâ, & formatrice donarentur. Lapis lapidem non gi-
gnit, & vis illa seminaria oinnino commentitia est, & inuti-
lis, cum solo calore, vel frigore lapidum materies transmuta-
ri poslit. Sed de Alberti inconstantia longum est dicere: nam
vim lapidum formaticem, in ipsâ materiâ aliquando collocat;
modò illam stellis firmamenti affingit; interdum loco ipsi, qui
materiam lapidis comprehendit, istam virtutem tribuit: quæ
quidem vis lapidifica primò materiam alterat, tum illam ap-
prehendit, seu terram vnicuosam complectitur, & tandem su-
perior facta terræ dominatur, & eam convertit in lapidem.
Virtus verò formatrix à catli motore, tamquam ab vniversali
opifice dictinat, hanc stellæ determinant, atque ad certam
speciem trahunt: nam ut ex platiis metalla, sic è stellis fixis
varias lapidum species oriri putat. Elementa demum materian
suggerunt, & præparant; vis illa formatrix, quæ à primo mo-
tore desluit, est tamquam ars ipsius artificis, vel forma diri-
gens: virtus stellarum similis est operationi manus; sed ele-
menta quasi instrumenta quæ manus movet, & ars dirigit, fa-
mulantur. Hoc igitur fundamentum suæ opinionis præclarè
jactum Albertus existimat. Non equidem inficior Deum ut
supremum opificem, rerum omnium ortus moderari; cælum
quoque causæ vniversalis nomine generationes promovere,
non invitus concedam: sed ex variis stellarum affectibus, di-
versas lapidum species exoriti, numquam in animum indu-
eam meum; & vehementer admiror, tantum Philosophum
Chaldaeorum vanitate seductum puerilibus fabulis suos libros
referuisse: quasi eadem sidera non ubique radiarent, aut stella
quæ tori lucet orbi, in unum locum potius, quam in aliū,
influxus suos effunderet. An forte cùm calculi in lumbis con-
crescant, stellas fixas, non lentum, & viscosum humorem, vel
exuberantem calorem accusabis? Quorū ad causas primas,
vniversales, & occultas configere, cùm proximæ, & conti-
nentes in promptu sint.

Omnis quippe lapides vel calor, vel frigus, vel succus de-
nique lapidificus indurat; sive hic corporum subeat meatus,
sive plantas, vel animalia obducat, & incrustet; seu demum

intrinseco calore sensim concoctus, & densatus, vbi movei i-
cessat, statim cogatur in lapidem. Neque illa vis lapidum ef-
fectrix ipius loco inest: tametsi figuram forte largiatur: nam suc-
cus lapidificus sui loci figuram induit; adeo ut necesse non sit ad
spiritum lapidificum, vel rationes seminarias recurrere. Non
quod existinem omnes omnium lapidum figuras à loco duci
oportere: sed partim loci, tamquam vasis figuræ materia la-
pidum sese accommodat; partim à caloris, vel materiæ diver-
sitate oriuntur. Vbi calor aequo nisu humorem expellit, & ma-
teriam vbiique sui similem subigit, tum lapides rotundat. Inter-
rim ex parvis initiis incrementa sumunt; sive æquabiliter suc-
cus affundatur; sive ex minutissimis compingantur arenulis:
Cùm verò humiditas exprimitur, non ipsius calor is vi, sed quia
humor ipse sensim exhalatur, ac veluti languescit, tum lapides
in diversos scinduntur angulos: idque eo ferè modo perficitur,
quo videmus nitrum, atque alia salium genera in varias effor-
mari cuspides: tum enim humore paulatim ad interiora con-
fluente, partes leviores ad exteriora, vel angulorum apices
protruduntur. Multum quoque hic fortunæ, & casui licet:
nam materies lapidum exsiccata, sponte suâ funditur in varias
partes; fermè vti paludosa terra, vbi solis appulsi exarist, vltro
fatiscit, & variis linearum ductibus, diversas quoque delineat
figuras, quarum rationes si curiosius investiges, nihil agas.

Non figuram modò, sed etiam magnitudinem, & distinctio-
nem, tum à materiæ diversitate, tum à loci dispositione lapi-
des mutuantur: majores enim exsurgunt, cùm locus est soli-
dus, & succi copiâ vberior: cùm autem locus multis meatibus
hiat, tum calor per haec spiracula diffusus ipsam dividit mate-
riæ, nec tantæ molis efformantur lapides. Sic arena, & mi-
nutissimi lapilli effigi solent: quamquam arena non rarò ex
aquâ, quæ laxa præterfluit, colligatur.

Hic quas tum perspicuitatis gemmarum, tum colorum cau-
cas esse putem, nunc dicere aggrederer, nisi hic locus jam alibi
fusè tractatus à nobis fuisset. Interim illud monuisse fatis fue-
rit perspicuitatem non à terrâ, sed ab aquâ, vel succo purissi-
mo dimanare. Nam terram sequitur opacitas, aqua verò pel-
lucet, quam in pretiosis lapidibus dominari, hinc patet, quod

*Vnde lapides
diam p. 41. t.*

*De lapidibus
perspicuitate
et coloribus.*

gemmæ ignis ardoribus solvantur , cùm saxa quæ plurimum terræ obtinent , nullo liquentur igne. Crystallus itaque , beryllus , adamas , vitra sunt sincera , quæ naturæ elaboravit industria , & quam ars date non potest duritier , vel firmam partium adhæsionem , gemmis natura concessit. Ars quippe imitatur naturam , non assequitur. Mitto alias causas ex quibus gemmarum perspicuitas duci possit ; præcipuæ tamen sunt substantiæ puritas , continuitas , partium homogenearum in eadem rectâ lineâ collocatio. Nec diu nos morabitur alia huic proxima disperatio , vnde oriatur tanta in lapidibus colorum varietas : nam de natura & distinctione colorum subtilius suo loco differimus : quamquam rem nondum consecutam esse , neque ad exitum venisse quæstionem puteam. Vix enim tibi assentior Simplici , colores omnes ex interno lumine emergere ; neque , vt ego arbitror , vna omnium colorum causa , & origo existit : nonnulli ex elementorum qualitatibus exsurgunt ; quæ adiutantur , si paucio humore diluantur , nigrum contrahunt colorem : plumbum calcinatum , primò candidum fit , tum flavum , tum denique purpureum. Lapidès Soli expositi plerumque vitides , vel subnigri evadunt : sed qui in locis vmbrosis , & opacioribus jacent , æruginosum quemdam colorē præ se ferunt. Interim colores ex variâ corpusculorum figurâ , & diversâ radiorum interceptione prodeunt : nam mihi persuasum est , scepissime candorem ex multiplici reflexione , hanc verò ex multis corpusculis sphæriois , oriri ; idque in spuma , & nive licet intueri , quæ innumeris constant globulis : sic albi marmoris corpuscula sunt sphærica , & longè minora , quam nigri ; vnde illud crebriores radios regerit , hoc pauciores. Postremò lapides eum persæpe colorem servant , quem succi , ex quibus coaluere , antè obtinuerunt. Nonnumquam mineralium tinguntur halitibus. Quantum igitur complector animo , quatuor sunt potissimæ colorum in lapidibus causæ ; temperamentum , varia luminis externi reflexio , quæ ex figuris corpusculorum , ex quibus compinguntur lapides , penderit ; tinctura foris adveniens , quibus denique (ne tecum litigare videar) lumen quoddam intimum , & secretum , ac perspicuitatem ipsis omnibus congenitam adjungemus. De materia , &

causâ effectrice, neque non de figuris, coloribus, & perspicuitate lapidum diximus; sequitur vt vnde duritatem suam, & soliditatem repeatant, inquiramus. In quo mihi magnum cum Spagyricis certamen incedundum est; ita vt verear, ne Simplicio Chymicorum patrono majorem largiar contradicendi libertatem, & licentiam.

S I M P. Ego quidem nec Chymicis, neque vlli sectæ, ita addictus sum, vt mihi, velim nolim, sit certa quædam tuenda sententia. Quare neverere quidquid istuc est, quod adversus Chymicos animo premis, nobis proponere.

T H. Accingor. Communis omnium Philosophorum sententia est, non lapides modò, sed etiam mixta quæcumque sint omnia, suam firmitatem, soliditatem, atque, vt loquuntur, coagulationem à terrâ repetere: seu calor ea constringat, seu frigus congelet. Metalla quidem, quæque calore solvuntur, multâ aquâ abundare fugit neminem: verùm illam concretionem non aqua sola efficit, sed aquæ cum terrâ exquisita commixtio. Quare, vt id verbo complectar quod volo, in rebus solidis terra dominatur; calor, & frigus illam concretionem, vt causæ effectrices promovent; humor pinguis, & tenax, fibra rum plexus, accurata denique terræ, & aquæ permisso nihil esse, quâm causæ adjutrices mihi videntur. Qui ex succo producent lapides, & gemmæ, plerumque sunt duriores: nam ex terrâ, & aquâ, subtilissimè permisisti coaluere, occlusos adeò, & angustissimos sortiti sunt meatus; ita vt humor exitum non habeat. Postremò lapides, qui neque ex tenaci luto, neque ex succo lapidifico induruere, vbi longum, & vehementiorem sustinent calorem, tum humor malè commixtus apertis meatibus facilè exhalatur, & sola remanet terra, plerumque instar crete alba, mollis, rara, friabilis, vnde & in pulverem sponte suâ dissolvitur. Hoc lapidum genus fabricis est penitus inutile: nam Soli expositi statim humore privantur suo, vel cæmento distracti solvuntur: contrà duriores, & densi ad Solem magis indurescant; nam superfluu dumtaxat humor radiis solaribus extrahitur. Silices vero, quòd poros habeant angustissimos, nec calcis corpuscula possint admittere, neque ad regulam secati queant, ab Architectis rejiciuntur. Marmor quidein cùm

*De lapidum
concretione,
ex Peripa-
tericis.*

A a iij

patentiores habeat meatus , & recta dispositos , ferrâ incidi-
tur , nec calcem recusat . Ex his igitur manifestæ sunt , con-
cretionis , seu coagulationis , lapidum causæ : neque opus est
ad salem cum impurâ Paracelistarum factione recurrere : sa-
lem quippe in lapidibus , & metallis delitescere , magis à Chy-
micis disputatum est , quam probatum . Sed ut minuam con-
troversiam , rem ita esse , ut volunt , concedam : quibus tan-
dem rationibus evincent rerum firmatatem , & duritatem ex sale-
potiùs , quam ex terrâ duci oportere ? Sal omne in aquâ exsol-
vitur , corpora quoque arrodit , ut in aquis stygiis videre est .
Quomodo igitur figit , consolidat , ac rebus omnibus tribuit fir-
mitatem , cum ipsum nec stabile , nec firmum existat ? Quis
vmquam Chirurgus fractis ossibus sal adhibuit ? Mallem ego
ut oleolum , & bituminosum humorem coagulationis causam
inducerent : nam & bitumina concrescunt in lapides , & visco-
sus humor conglutinandis corporibus magis erit idoneus , quam
sal omni tenacitate , & soliditate destitutum . Profectò si à sale
quidquid terræ , & olei inest detraxeris , nihil supererit quam
minutissimus pulvis , qui dissolvet quidem , non adstringet cor-
pora . Mirum etiam Chymicos coagulationem principiis po-
tiùs , quam elementis tribuere ; cum illa sint subtiliora , hec
crassiora ; illa spiritibus , hæc corporibus viciniora . Tota res va-
cillat , & claudicat , nec quicquam efferunt constantissimè .
Modò spiritus quosdam inducunt mechanicos , qui figant , &
coagulent corpora ; interim sal esse omnis concretionis cau-
sam defendunt acerrimè : neque hic , neque vsquam alibi sibi
constant . An fortè ossa , qua initio mollia sunt , & cartilagi-
nea , suam à sale postea mutuantur soliditatem ? An potius ca-
lore sensim exsiccata , hanc contrahunt duritatem ? Quid est
cur ossa , & cornua lixiviis quibusdam emolliantur ? Cur vitra
candefacta aquis stygiis , vel cinerum clavellatorum dilutis im-
mersa dissiliunt ? An ex eodem fonte rerum stabilitas , & disso-
lutio manabunt ? Multi corallium quamdiu in fundo maris ja-
cer , molle esse , & tenerum , extra aquam putant statim lapi-
descere . Illud sane mihi est miraculo , salem , qui mari pluri-
mus inest , quam cæteris confert compactionem , ipsi corallio
adimere . Sic ovorum testas statim indurescere , vbi excludun-

tur, aurumant: numquid hanc duritiem à sale potius, quàm ab aëre fortiuntur? Imò sal exsolvitur, cùm humidiori loco expositur; non ergo ovorum putamina suam à sale duritiem desumunt. Sic laterculi, vel tegulae ex terrâ pingui, & argillosa, non salis vi, sed ignis calore induruerunt: nec salis copia, at terra pinguis, & tenax lapidibus materia in suppeditat. Sed enim, inquis, quo res quæque sunt duriores, eo plus salis redunt. Quem tibi hoc daturum putas? Mirum si tantum valeat ars Chymica, ut ex metallis, & lapidibus purum salern eliciat: nusquam eum mihi videre contigit. Sed pugnare nolo, ad id enim quod agitur nihil interest, utrum calx illa, quæ ex metallis educitur, ejusdem sit cum sale generis, an potius, hoc vnum habeat comtunne, quod summis ardoribus exsiccata dissolvatur in humido: id quidem mihi certum est, perparum salis ab omni terrâ expurgati ex iis educi corporibus: nec fortè ossa plus salis præbent, quàm mollis caro. Postremò, ut eundem locum sæpius virginem, in ovi albumine tantum salis non inest, ut ex eo pulli ossa, membranæ, nervi, atque omnes partes compingantur.

Iam quid est quod minùs probari possit, quàm calculum in *renibus*, vel vesicâ ex sale, aut tartaro concrescere? An non monstri simile est saltem in aquâ non exsolvi, sed potius ibi lapidescere? Desipiant scilicet Medici qui aquas nitrosas, & salinas præscribunt iis qui laborant calculo. An quisquam conqueritur, se ex salis dulibus, vel aluminosis aquis calculum contraxisse; nec certè usus salis vel immodicus, hunc morbum procreat. Accedit etiam quod calculus arte spagyricâ resolutus, plus terræ, & pinguis sulfuris præbeat, quàm salis. Frustra recurrent ad spiritum quemdam salis, qui figat, & coagulet; cùm cumdem soleant spiritum confringendo calculo præcipere: ita malè instituta ratio exitum reperire non potest. Quocirca ut quid mili videatur, paucis aperiā. Non una est calculi causa, sed varia, & multiplex: materia quidem est humor lensus, & pinguis, qui calore indurescit: ex angustiâ meatuum; renum dispositione, & temperie; fibrarum ductu sensim coagmentatur. Sæpe ex arenulis viscofo humore conglutinatis prodit: arena verò vñâ cum sero deferuntur, & prodeunt

ex ciborum reliquiis, sanguinis vitio, vel hepatis ardore indu-
ratis. Neque vna est omnium forma, vel natura; alii gypsum
referunt, alii sunt marmorei, & duriores. Plerique adusti
flamnam alunt, ac tetrum spirant odorem; quod indicio est
non ex terrâ tantum vel sale, sed eos ex succo pingui, & bitu-
minoso coaluisse: hinc persæpe bituminosum quid redolent.
Libavius refert quòd calculi confracti nucleus à se combus-
tus, quiddam oleret faci cerevisiæ non dissimile, cuius etiam
colorem referebat: fors est vt ex illius alimenti reliquiis coa-
luerit. Iam vero non disputo utrum pituita crassa, & viscosa,
longo, & lento renum calore exsiccata, & concocta in calcu-
lum lapidescat, vt veteres crediderunt? An fortè terrena, & li-
mosa substantia omni humore exhausto abeat in lapidem;
adèò vt serum, seu fassus & acrior succus cum terrestri mate-
ria permixtus sit vera lapidum materies, vt Platero visum est:
Utrum arenulæ ex nimio hepatis calore, cum sero sanguinis ad
renes deductæ materiam calculi suggerant: id enim fabulum
plerumque cum putri pituitâ commiscetur, & nimium cun-
ctando durescit. Hæc Medici ipsi dijudicent: res sanè est ma-
gna; & diligent contemplatione dignissima: sed mihi sit in-
epriendi modus, neque enim tam dicendi mili habenda ratio-
fuit, quam audiendi.

S I M P. Sanè quidem, vt ego judico, de lapidum natura &
causis dictum est à te, non modò eruditè, sed etiam ornatè,
& sententiis copiosè: adèò vt nihil ferè quod de hac re dici
possit, mihi reliqueris. Et quidem de materiâ lapidum, non
potest inter nos esse magna contentio: nam ex tenaci luto, vel
humore viscoso, vel succo lapidifico omnes lapides concre-
scere, non ægrè concessero. Tametsi putem, nec saltem, cuius
acrimoniâ terræ, & aquæ particulae minutius conciduntur,
& exquisitius permiscerunt; nec oleosum & bituminosum hu-
morem, qui partes dissipatas, & male cohærentes conglu-
tinat, excludi oportere. De sale quidem postea. De pingui &
bituminoso humore nullus est dubitandi locus. Quid enim
aliud minutissimas arenulas in unum corpus adstringeret? Quis
ignorat pulverem ex lapillis fluviatilibus detritum lapidesce-
re, cum resinæ fusæ incoquitor. Sic lithocolla, seu lapide-
scens

*Quæ sit no-
stra de ma-
teria lepi-
dum sen-
tientia.*

scens gluten ex calce , & adipe suillo , vel ovi albumine effingitur. Neque extra fidem est multos lapides bituminoso hallitu , quem calor subterraneus evexit , adunari. Hinc plerique moliores sunt , quamdiu terræ conduntur visceribus ; sub dio autem durescunt , non aliter atque ovarum putamina , & vesicæ calculi. Interim calor vehementior gluten illud solvit , vt in Libyæ regionibus ; nec lapides ex his arenis nullo vinculo consertis compingi possunt. Hæc sane non invitus dabis , qui succinum , gagatem , & alia bituminosa in lapideum durescere non ignoras ; ac vesicæ calculos multo bitumine abundare ex Chymicorum resolutionibus demonstrasti.

Sed illud molestè fero , te nullam omnium lapidum effetricem causam , præter calorem , & frigus agnoscere. In quo quidem Agricolam fecutus , illustres Peripateticos , Avicennam , & Albertum Magnum deseris , qui præter jejunas , & steriles elementorum qualitates , quibus etiam plus tribuunt quām necesse est , vim quamdam admittunt lapidum formaticem. Hæc vis plastica materiem naœta commodam , similes vbiique terrarum lapides effingit. Nec video cur Agricola Albertum omnibus vexet contumeliis , quod ex rationibus seminariis , non ex tumultuario elementorum concurso lapidum formas deducat. Illud certè ne in cogitationem quidem cadit , omnium gemmarum formas , figuræ , distinctio-nes , non aliunde oriri quām ex vario elementorum temperamento , atque ex incertâ fluitantis materiae concretione. Quod si miscibilium formæ in mixto integrè conserventur , vt jam alias apertissimè collegimus , quid novam lapidis , vel mixti formam procreat , nisi ex inexhaustis naturæ thesauris , sive ex seminariis rationibus scaturiat ? Quid illum calorem regit , quid frigus temperat , quid materiam colligit , quid tandem iisdem figuris gemmas vbiique vestit , nisi constans , vegetus , & vbi-que regnans spiritus , rationibus seminariis prægnans , ac supre-¹⁷⁴mi artificis organum ? Hinc rerum omnium varietas , & distinctio longè probilius repetitur , quām ex instabili materia , vel ex incertâ elementorum crassi. Neque continuò gemmis vitam , vel animam affingimus ; non enim individuorum propagatione species custodiunt suas ; neque in seipsis , sed im-

*De lapidum
effigie
causa.*

B b

star animalium, quæ ex putredine nascuntur, in naturâ communi, atque vniuersali, sua habent seminaria. Exhalatio quippe spiritu lapidifico fœta, vbi locum idoneum, calorem attenuatum, materiam rectè dispositam offendit; lapidem, vel gemmam effingit; gemma quidem ex succo puro, & defæcato, lapis ex impurâ, & crassâ materiâ fingitur. Neque, vt tu sumebas, crystallus, granata, atque aliæ gemmæ figuram suam à loco, tamquam à vase mutuantur: cùm plures ex vñâ succrescant radice; vel in eâdem matrice, vt grana in spicâ continantur; cùm denique sæpe bulbosis distinguantur radicibus. Crescunt quidem in suis fodinis gemmæ, & quo magis mirere, aliæ aliis decedentibus succedunt. Neque tamen crediderim hanc veram esse accretionem per alimentum intus suscepimus: sed eas puto per appositionem, siue incrustationem augescere: nam quæ ex succo lapidescunt, non aliter augmentur. Sic vidimus gypsum novi fluoris accessu intumescere: hinc aliquando ex gypsi mineralis ossa humana eruuntur, quod ante biennium his in regionibus visum est. Quapropter vt causas lapidum in summam conferam; materia plerumque est succus lapidificus, cuius puritas, perspicuitas, & nitor ex mixtione, tum elementorum, tum principiorum exquisitâ proficiuntur: vbi partes sunt crassiores & lutosæ, in lapides communes, & opacos degenerant. Opacitas vero non ex solâ terrâ, vt ex solâ aquâ non oritur perspicuitas: neque enim in lapide speculari, nec fortè in adamante, atque aliis gemmis aqua præ cæteris excellit elementis: cùm speculare lapide nihil siccius, neque adamante quicquam sit solidius. Quare gemmarum perspicuitas magis ex continuatâ, & nullis fere poris interruptâ partium dispositione, quam ex aquâ videtur profici: hanc porrò continuatatem efficit miscibilium in minutissimas atomos resolutio. Siquidem cùm terra, & aqua in tenuissimas particulas sunt comminutæ, & spiritu lapidifico adstrictæ, nulla relinquunt vacua spatiola; neque adeò luminis radios sistunt, nec propriis, sed uno, & communi termino clauduntur. Iam alio loco insinuatum à nobis est vitrum comminutum, vel fractum, perspicuitatem vñâ cum sua continuitate deperdere: charta vero quæ mul-

tis meatibus patet , opaca est , nisi oleum affusum poros occludat. Quid porrò terræ , & aquæ particulas adeò minutum concidit , nisi sal , quod aquâ dissolutum terram suâ acrimoniam , ac veluti suis gladiolis perfecat , & humore exhausto in lapide coagulat ?

Formæ autem lapidum non aliunde , quâm ex rationibus ^{formæ lxx.} seminariis hauriuntur : hinc vires promunt suas : hinc constantes , & vbique sui similes fortiuntur figuræ : hinc demum , si Anshelmo Boëcio creditus , tanta colorum oritur varietas . Siquidem vt figuris , sic coloribus , tamquam notis , & characteribus ab ipsâ naturâ inustis , gemmæ discernuntur : neque abhorret à vero , non figuræ modò , sed etiam colores ex naturæ seminiis prodire ; maximè in iis gemmis , quarum constans figura , & certi sunt colores . In plantis quidem , & animantibus omnis colorum varietas non ab externi luminis reflexione , neque ab elementorum mixturiâ ; sed à virtute ipsâ formatrice , & plasticâ dimanat . Quid enim aliud fingi possit , quod pavonis cæladam tot coloribus illustrem exornet ? Quid in illâ tot oculos vel orbes , ac veluti lunulas ita concinnè delineat ? An forte ex ipso exsurgunt temperamento ? Quid igitur eamdem pennam diversis tingit coloribus ? Vnde illa tam apta , & blandiens colorum proporcio ? An non eadem est elementorum temperies ? Sed mihi non est animus de colorum origine longam disputationem texere . Redeo ad effectricem lapidum causam , quam spiritum lapidificum vocamus : nam spiritus latissimè fusus , cùm in materiam duram , & minus obsequentem incurrit , lapidem efficit , vel geminam : atque omnis distinctio , & specierum diuersitas , à seminariis rationibus , quibus natura grauida est repetitur .

Hic spiritus lapidificus arenulas compingit : Vnde enses , sole , atque alia id genus eruuntur è Rhodano , atque aliis fluminibus jam in lapides conversa : in montibus potissimum , & flaviis occultus ille regnat spiritus : hinc raro in campis longè à flaviis , vel montibus distitis , magna invenitur lapidum copia . Vnde ergo , inquires , tot emerferelapides , quibus Herculei campi (Crautiam vocant) prope Arelatem cernuntur ? Existimat Gassendus , hanc lapidum portentosam congeriem ,

B b ij

non aliunde, quām ex Rhodani, vel Druentinæ exundatione, & longā aquarum restagnatione prodiisse. Indicio est quod in extremis velut marginibus lapilli minutissimi, in medio jaceant majores. Quemadmodum sal in catino exsolutum, vbi aqua leni calore exhalata fuerit, majora in medio, minora in extremis grana deponit. Illic quidem inter confertissimos lapides, quoddam nascitur herbae genus, quo pecora mirum in modum saginantur: non enim in iis locis deest spiritus nitrosus, & pinguis humor. An fortè spiritus lapidificus multo sale abundet necessè est? Id sanè mihi confidendum erit, si omnem lapidum concretionem ex sale duci purem: verum illud mox video: nunc effectricem, & communem lapidum causam persequor, quæ spiritus lapidifici nomine insinatur. Non quod ita insaniam, ut spiritus omnis magnitudinis expertes in corpora degenerare statuam; id enim perabsurdum est, atque ab omni ratione alienum: sed spiritum voco tenuissimam substantiam, quæ ad certum corpus confirmandum destinatur. Quæ igitur abeunt in lapides, hoc spiritu correpta, tamquam aspectu quodam Gorgoneo rigescunt, cùm succus lapideus corporis poros illabens, atque intima penetrans, minima quæque corpuscula occupat, & comprehendit. Sic arbores in Bohemiâ inveniuntur conversæ in lapides; sic calculi in vesicâ lamellatim incrstantur; sic visus est ante annos 25. Agendici Senonum embryo lapideus, quem 28. annorum spatio mulier gestaverat; sic denique quorumdam fluviorum fundus lapidescunt. Est in Arvernâ amnis, cuius alveus lapideus sensim intumescit, quod aquæ germe lapidifico foetæ indurescant. Vnde, amabo te, conchylia lapidea procul à mari, vel in ipsis occurunt montibus, nisi natura, vel spiritus universi, qui cuncta permeat, nusquam cessat, juxta ideas fibi impressas, vel seminarias rationes, quæ nihil sunt, quām idearum vestigia, conchas è succo lapidescente effingat? An fortè terra magnis motibus concussa, nonnumquam dehiscent, tūmque pisces, vel conchylia è subterraneis abyssis erumpunt, quæ spiritu, vel succo lapideo indurantur? Cùm in Cariâ, inquit Seneca, talis existat vnde, periere quicumque illos ederant pisces, quos igno-

to ante eum diem cælo, novus amnis ostendit. Nec id mirum; erant enim pinguia & differta, vt ex longo otio corpora; cæterum inexercitata, & in tenebris saginata, & lucis expertia, ex quā salubritas ducitur. Nasci autem posse prisces in illo terrarum profundo, sit indicium, quod anguillæ quoque latibrosis locis nascuntur: gravis & ipse cibus ob ignaviam; utique altitudo illas lutis penitus abscondit. Hactenus de causa lapidum effectrice, quam non absurdè spiritum mineralē Albertus nominat: nam hunc spiritum acutum esse, penetrantem, & salsum necesse est, vt instar cæmenti adstringat, & compaginet: illum adeò spiritum nitrosum in omni fusum esse naturâ, jam suprà ostendimus: ita vt in eo sit procreandi vis, & causa gignendi: est quippe vi prolificâ, & sui assimilatrice præditus. Nonnumquam instar halitus effunditur, quod facilius subeat corporum meatus; interim pinguis est, & sulfureus, qui corpora bituminosa, & oleosa citius permeat; sèpius humoris aqueo insidet, vt terrestrem materiam ex omni parte penetret: sed nisi acutus sit, & salsus, nec mitionem exquisitam perficiet, nec poterit materiam pervadere, aut comprehendere.

Quapropter sal tum effectricis, tum etiam materialis causa non in fine concurrit ad lapidum generationem, vel concretiōnem: materia quippe omni sale exhausta lapidescet numquam: neque ex terrâ & aquâ permistis, si salem detrahias, quicquam aliud quam lutum prodibit. Nec conturbor subtilitate rationum, quas ex Libavio adversus Chymicorum sententiam protulisti. In quo quidem ipsius Libavii inconstantiam admiror; nam in Alchimiæ triumpho acrius certè, quam Philosophum deceat, adversus Riolanum disputans, salem esse concretionis causam multis evincit argumentis. Quod sal metallicas solutiones cogat, cuncta induret corpora; quod ovorum testæ, & marina conchylia ex sale suam repeatant duritatem; quod nitrum, & quædam lixivia lapidescant: vt raseam de saliculis, quarum canalibus topi, & lapides succrescant. Quis ignorat ligna eo esse solidiora, quo plus salis continent? Sic plurimum nitri è queru, fago, gaiaco elicitor. Quid addam de salis gemmei, vel fossiliis duricie lapideâ, de concretionibus item lapideis, quæ cortinis, tum cum muria excoquuntur, adhære-

*Sal est prin-
cipium co-
agulationis,
sed non fo-
lum.*

scunt? Calculum denique, & articulorum tophos, ex falso-phlegmate durescere contra Riolanum decernit Libavius; quod calculosi mucum saepe reddant, qui salitus, corrosivus, & acerrimus cum sit, linteo exceptus durescit in lapidem; quod gustatus liquor artriticus nitro falsior appareat. Postremo non irridet modò, sed etiam conviciis exagitat Riolanum, qui negabat quicquam esse salis in sanguine, quod illius concretione efficieret, cum sanguis triplici coctione, omni sale spolieatur. Quod si, inquit, natura salē separat; ergo in alimento prius inerat. Accedit etiam rem eo saliore evadere, quo magis excoquitur: non igitur ars, vel natura multiplici coctione salē exuit. Atque hæc quidem tua sunt Libavi; sed soles in decretis tuis fluctuare. Huic equidem versatili ingenio facile ignoscere, nisi eos, qui à te dissentiant, contumeliosissimè vexares. Sed forte ipsa veritate convictus, & coactus, à Chymicorum sententia destitisti: hoc ipsum excuriamus; atque ut opinor, vnius, vel alterius argumenti conclusione tota causa

objectiones. comprehendi potest. Illud corpus consistentianū dare nequit, quod nec firmum est, nec fixum, nec compactum, quodque magis corporum vincula resolyit, quam agglutinet: jam sal est ejusmodi, ut terrā spoliatum, nec consistentiam, nec soliditatem habeat villam; corpora potius exedat, quam vinciat: non igitur sal fit, vel compingit lapides, quin potius subtilitate suā eorum compaginem solvit; in aquā vel humido aère tabescit; nullāmque nisi a terrā habet firmitatem. Iam quid obtusius, quam calculum ex sale compingere, cum sal in humido non soleat concrescere; cum resolutus calculus parum salis, plurimum præbeat bituminosi sulfuris; cum denique salidulae, & aquæ nitrosæ comminuant calculum, disturbent arenulas. An forte ex eādem causā contrarii manant effectus? Sal calculum gignit, eumque dissolvit: ista non coherent. Huc ferè redeunt omnia quæ Libavius colligit adversus Chymicorum opinionem: & certè illius loquacitas habet aliquid argutiarum; neque tamen difficillimum erit ejusmodi captiōnibus occurtere: harum quippe omnium una depulsio est, salē esse coagulationis, & firmitatis principium, sed non solum. *Diluuntur.* Venum sal dissolvit corpora non compingit; quis hoc tibi de-

derit nullum sal figere, & coagulare? Quis nescit sal aliud esse volatile, aliud fixum: illud corpora penetrare, & solvere, hoc vincire, & adstringere? Quid multa? Sal varie præparatum, diversa quoque obire munera ignorat nemo. Multo humore dilutum non concrescit; sed exhausto humore indurescit. At terra lapidibus duritiem, & firmitatem potius, quam sal imparti: calor verò exprimit humorem, & limum, qui est lapidis, vel calculi materia, indurat. Nos quidem, nec terram, nec calorem excludimus; sed terra omni sale spoliata fatiscet, neque poterit in lapidem durescere. Sal terram cum aquâ confociat, & utriusque est quasi commune vinculum: mutuis auxiliis subsistunt: nam terra salem retinet, ne in aquâ exsolvatur; sal vicissim terræ atomos coërcet, ne in minutum dilabantur pulverem.

Non inficior calculos ex limo terrestri, seu ex alimentorum reliquiis, & quasi tartaro confari: at salem non abesse hinc conficio, quod calculi in renibus, vel vesicâ, non in aliis locis, nisi perraro gignantur. Eni verò calculum ex humore pingui & viscoso, tamquam lutum in fornace vi caloris indurescere, summa est inter Medicos consensio: sit ita sanè. At Medici communem, & remotam dumtaxat, non proximam causam adferunt. Quærimus enim ex quibus elementis mucus ille coaletur. An forte ex sola terrâ, & aquâ compingitur? Sed neque lutum in aquâ lapidescit; neque humor in lumbis, aut vesicâ deest. An calore induratur? Quid igitur est, cur senes calculo sæpius, quam juvenes laborent; cum in his vberior sit calor? Cur vrina reddita in matulis lapidescit, si calore, non facultatis expulsive imbecillitate, coacervata induratur? Cur mucus in naribus, intestinis, atque aliis conceptaculis non cogitur in lapidem? Omitto renum, & vesicæ naturam, ac siccitatem, ad calculi generationem non mediocriter conferre: sic tophi dentibus ex ciborum fôrdibus accrescunt, & unaquæque pars sibi familiare attrahit alimento. Postremò generatio calculi multum pendet à certo fibrarum plexu, qui quidem à spermatarium fibrarum texturâ, atque hæc à dispositione fibrarum in parentibus oritur: vnde iste morbus à parentibus in filios traducitur. Non una denique est omnium calculorum natura, neque adeò una est eorum causa, vel origo: alii sunt arenosi, & sca-

*De calculi
generatione:*

bri; alii politi, & terci; alii detum gypsei, & friabiles: in nonnullis sal abundat, in aliis humor quidam pinguis, & bituminosus excellit. Quamobrem non vna erit hujus morbi curandi ratio. Spiritus nitrosci & sulfurei utilius saepe adhibentur dissolvendis calculis, quam acerofisi, & mercuriales. Multa facultatem expultricem irritant, & stimulant, quo arenulas, vel lapillos protrudat; ut locustatum, leporum, scorpionum cinesres, spiritus vietiolii, qui que ex nitrosis lignis, fago, queru, buxo, & aliis per descensum educuntur spiritus. Oleum e fraxini semine, vel si illius copia non adsit, ex ipsa arbore extractum, plurimum commendatur Glaberus: verum spiritu salis rectificatum, aque ab omni factore liberatum oportet. Quod in fundo remanebit oleum crassum a spiritu salis secretum, cum cerâ permixtum, ut vnguenti formam obtineat; linteo illatum, & lumbis extrinsecus appositum, non mediocriter agrum juvare perhibet. Sed de his satis multa dicta sunt: nunc Menandrum de singulis seorsim lapidibus, si ipsi commodum est, differentem audiamus.



CAPVT SEPTIMVM.

De variis lapidum differentiis.

- I. De magnete juxta Cartesij sententiam. II. De lapidibus seorsim sumptis, ubi de eorum formis, coloribus, & viribus differuntur. III. De variis saxorum, & marmorum generibus tractatur.

M E N A N D E R.



ERAM tibi morem, & agam quambrevissime potero; non enim mihi est animus omnes omnium lapidum species persequi, vel in opinionum quæ diversissimæ fuerunt, inquisitione, tempus conterere; quod sanè foret longè difficillimum, & nescio an vobis futurum esset voluptati; sed illustriores dumtaxat lapidum differentias percurram, corumque originem,

nem, naturam, atque usus, cum res posset, attingam; magis adeò, ut vobis obsequar, quam ut quicquam novi vos docere præsumam. Iam ne vagari, & errare cogatur oratio, quid. quid communi lapidis notione comprehenditur, in quatuor veluti genera partiri licet; in lapides propriè dictos, saxa, marmora, & gemmas. Aliis alia divisio placet: nam lapides, vel ex arenis coimpinguntur, ut cores; vel lamellatim concrescunt, ut lapis specularis, aut talcus; vel contusi in frusta comminuntur, ut silices, & marmora. Rursus quidam ex viventibus, alii ex vita expertibus eruuntur: illi vel ex plantis ut corallium, vel ex animantibus prodeuant, ut bezoar ex caprâ Indicâ: hi verò vel certam, & quasi præscriptam habent figuram, ut granata & crystallus: vel nulli sunt addicti figuræ, seu viles sint, & communes, seu rari, & pretiosi. Ego verò ab Agricolæ divisione, quam primo loco posui, non recedam, & nobilem sequutus Philosophum, à Magnete, qui inter lapides principatum tenet, ducam exordium.

Vnde id noinen deduxerit, utrum à pastore quodam, qui primus in Idâ monte eum reperisse fertur, vel à Magnesiâ finitâ Macedoniæ regione, quemadmodum Heraclius, & Herculeus distus est, quod prope Heracleam urbem frequens reparetur, non est quodd multum solliciti simus. Magnes, & ferrum ex iisdem fodinis eruuntur, adeò ut multi existiment, Magnetem esse ferri matricem, & venam; ut ferrum nihil est, nisi Magnes excoctus. Profectò in Germaniâ ferrum optimum ex Magnete elicitor, & maxima est inter utrumque cognitio. In veteri quidem meâ persuasione permaneo, terra nucleus interiore, nihil esse quam Magnetem purissimum, cuius surculi in extimam partem subinde diffunduntur: adeò ut vis magnetica in supremâ telluris regione sit obscurior, quod aquis, metallis, atque ipso aere infringatur: idque non levibus indiciis, sed certis argumentis olim confecimus. Primum enim, virga ferrea, & candens vim à terrâ, in qua jacet, magnetam haurit; adeò ut acus versoria polum suum Borealem, ad virginem ferream cuspidem Australem dirigat: sic cancelli ferrei, qui terræ ad perpendiculum insistunt, eadem vi ad polos mundi directrice imbuuntur: versorium quippe ad partem cancellorum inf-

*Quatuor
lapidum
genses.*

*De Magne-
te juxta
Cartesii
placita.*

Cc

riorem, cuspidem suam Australem convertit. Iam quibus machinis Magne ad se rapiat ferrum, cur ad utrumque mundi cardinem acus vi magneticā imbuta suos obvertat polos; quare versorii polus Borealis, alterius itidem versorii polum Borealem, ut sibi infestum fugiat, Australē verò, ut amicum anxie insequatur, jam alio loco fusiōi stylo sumus profecti. Placeat mihi Cartesii sententia, quā putat materiam striatam, & instar cochlearum contortam, jam saepius à nobis explicatam, ab uno terrae polo ad alterum commeare: sed eā lege ut quæ per Australē polum erumpit, per eundem regredi non possit, quod meatus offendat egressui quidem accommodatos, non item reversioni: hinc cogitur per alterum terrae polum remeare. Cūnque terra fibras habeat sibi, & axi parallelas, ex illis venulis striata materia indefinenter egreditur, quæ circa telluris globum innumerabiles circulos, & vortices agit. Subtilis quippe illa substantia poros in aëre minus idoneos invenit: vnde si in Magnetem vel ferrum incurrat, per utriusque fibrillas liberiūs, quam per aërem it, reditque, & Magnetem ad utrumque telluris polum convertit. Nec mirum si acus versoria, vel Magne ipse ad terrae polos dirigatur; cùm debilior Magne sese ad fortioris sīrum componat: terram verò nihil esse quam Magnetem ostendimus. Vis maxima in polis Magnetis viget; quod in hæc puncta omnium fibrarum meatus, & quasi oscula desinant. Polus Septentrionalis acus versoriæ alterius polum itidem Septentrionalem fugat, quod particulæ striatae, & contortæ ab uno polo egressæ, per aliū ejusdem generis subire nequeant; quare in eum impactæ, vel resilunt, vel ipsum versorium circumagunt, quo Australē polum ita obvertat, ut per eum commeare possint. Itaque striata materia, quam saepē nominamus, Magnetem permeans, in orbem circumducitur, & per unum egressa polum, per alterum revertitur, ac secundum fibras Magnetis axi parallelas fluit, & reficit. Quod ut vobis persuadeam: ecce duos Magnetes, qui suo colore ferrum referunt. Scobs ferrea circa alterum Magnetem temerè effusa sese in modum vorticū componit. Quid illam scobem tam aptè dispositū, nisi striata materia jūgiter à terrā dimanans, quæ Magnetis fibrarum ductus sequitur, & per unum fibræ osculum egressa, per alterum regredi

affectat. Neque hic, vt jam aliàs monuimus, tractione, sed magis impulsu opus est. Iam polum ejusdem Magnetis Borealem eadem scobe chalybeâ obduco, quæ tamquam acicularum congeries, illi ad perpendicularm insistit: huic alterius Magnetis consimilem polum admoveo; viden' vt scobem instar follis, aut vehementioris venti difflet, ac separet: sed Australi polo alterius Magnetis admoto scobs eadem contrahitur, & quasi amicum polum complecti gestit: tam striatam materiam vltro excipit, quam priùs repellebat. Hæc sanè fieri nequeunt citra aliquem impulsuum, vel corpusculorum effluvium; nec solà alteratione, aut occultis qualitatibus perficiuntur. Neque necesse est vt longiori oratione demonstrem, quo pacto striata materia è Magnete turmatum erumpat, interjectum aërem magnâ vi expellat, quo extruso ferrum in Magnetem ruit; cujus forte motum non mediocriter promovet contorta illa substantia, quæ postquam pervasit ferrum, in Magnetem reflectitur, & vna secum ferrum defert. Iam vel ipsi judicent Peripatetici vtrum hæc naturæ miracula facilius per occultas qualitates, quam per verum, & realem impulsu, explicari queant. Hic quam volent jocentur, plus apud me vera ratio valebit, quam vulgi opinio: ac mihi certum est è Magnete quiddam corporeum egredi: nam ferrum movet, impellit, trahit, densitatis, & raritatis est capax. Notum quippe est Magnetem chalybe armatum multo majorem ferri molem ad se rapere, quod radii confertiores, & densiores per chalybem erumpant. Tametsi dissimulare non possum Magnetem chalybe instructum, non utique è longiore spatio ferrum attrahere, sed attracto tenacius adhærescere; quod plures ferri partes armatus tangat, quam nudus. Quod autem vis illa magneticâ quiddam sit corporeum, non simplex qualitas, hinc constat, quod odoris instar, vel temporis progressu, vel nimio calore evanescat. Addit Gafsendus effluvium quoddam tenuissimum è Magnete, & ferro indefinenter emitti; adeò vt Magne radios in orbem jaculetur: qui per axem ducuntur sunt directiores, & fortiores, reliqui sunt quasi refracti, & incurvari, hi reciprocis radiis à ferro exuentibus implicati, ferrum ipsum stringunt, & attrahunt. Hæc sanè mihi non probantur, neque vlo prorsus modo in-

telligo, & quod inter nos liceat, ne tu quidem, mi Simplici, Gassendo juratus intelligis. Non deest vobis copia rationum, quibus doceatis ferrum, & Magnetem vim illam ad polos mundi directricem à terra desumere: Magnetis fibras juxta telluris venas duci, atque à Septentrione in Austrum porrigi: hæc enim concedimus, & libenter quidem. Adde Magnetis declinationem in diversis locis variam existere, propter terræ fibras non uno modo dispositas: quemadmodum si virgæ ferreæ acum versoriam superinduxeris, juxta subditi ferri declinationem illa quoque à polis deviabit. Conveniat etiam inter nos necesse est, ferrum à terrâ, vel Magnete hanc virtutem non mutuari, citra aliquam minutissimum partium immutationem: hinc ferrum quam vim uno ductu contrahit, eamdem ductu contrario amittit; quod ne concipi quidem potest, nisi ferri particulae situm mutent. Sed illud fateor me nullâ mentis conventione assequi posse, è Magnete, aut ferro effluvium quoddam jugiter dimanare, citra ullum, vel minimum ponderis, aut molis dispendium. Profectò cùm Magnes vim suam ferro communicat, ferrum nihilo fit gravius, nihil ipsi extrinsecum accedit: nam licet acus versoria cuspidem alteram inclinet, eam tamen in exquisitissimâ libellâ, cuius lancem quater millesima pars unius grani deprimebat, nihilo graviorem factam esse, Gassendus ipse expertus est. Vnde ergo affrictu Magnetis vim illam acus contraxit, si nihil novi accessit? Mutata, inquam, sunt ferri corpuscula striatae materiæ affluxu; obstantes fibrillæ depressæ viam subtili illi substantiæ aperuerunt; non aliter ac ventus Boreas segetes in Austrum, Auster in Boream inflexit: sic illa substantia minutissimas ferri fibras in contrariam partem intorquet. Hæc illustranda forent exemplis, nisi aliò festinaret intentio. Nec tamen mihi possum temperare, quin majoris lucis gratiâ in hac chartâ scobem ferream in longum, atque in eamdem ferè rectam lineam disponam, cui Magnetis polum Borealem obverto. Viden' ut ductu Magnetis illæ aciculae tamquam vento perflatæ in Austrum inflestantur. Iam converso altero Magnetis polo, corpuscula erecta in Boream incurvantur. An putas ferri particulas affrictu Magnetis aliter componi, cùm ab illâ substantiâ, quæ è telluris globo jugiter

ebullit, attolluntur, vel deprimuntur? sed hæc alio jam loco pleniùs tractata sunt.

S I M P. Agis tu quidem Philosophorum, non Mathematicorum more: nam, ut rectè M. Tullius, Philosophi quamcumque rem habent in manibus, in eam quæ conveniunt congerunt omnia: & si alio loco disputata sunt: Geometræ verò quæ antè docuerunt, id sumunt pro concessso, & probato: illud modò explicant, de quo nihil antè dictum est. Sed Philosophiæ Cartesianæ studio longius te proiectum scio; priusque te quis de omni vitæ statu, quam de istâ sententiâ dejecerit. Neque id nunc aggredior, ut tam leves, ne dicam ineptas opiniones (bona venia me audies) refellam: id enim jam alias sæpe præstimus. Quis enim ferat striatam materiem ab Australi polo egressam circa totum orbem circumduci, ut ingressum per oppositum polum offendat? Cur tantos cursus circumflectit, cum omnis cochlea eamdem possit remetiri viam, quam decurrit: nec video cur non possit remeare, per euodem polum vnde est egressa. Mirum si totus aët his effluviis scateat, quæ si forte in Magnetem incurunt, jam ceptum iter non pergunt, sed circa amicum corpus gyros, & quasi choreas agunt. Verum aliò pergamus, ac si placet infinitas illas concertationumque plena disputationes relinquamus; & lapidum historiam, quanto poteris compendio prosequere.

M E N. Ne vobis tædio sim futurus, summa dumtaxat rerum capita decurrat. Ac primùm de variis Magnetis speciebus, quæ coloribus magis, quam naturâ inter se dissident, mitto dicere. Vidimus non ita pridem pseudomagnetem apud doctissimum virum, cuius venæ erant interruptæ, & nonnihil inflexæ, nec totum lapidem permeabant. Hinc scobs chalybea circa illum temere effusa, venarum ductus imitata, dimidios dumtaxat orbes, seu vortices delineabat. Taceo quoque de Theamede veterum, qui ferrum fugaret. Albertus se vidisse Magnetem qui vnâ sui parte ferrum alliceret, alterâ repelleret, ut magnum quiddam commemorat; cùm id tamen omnibus commune sit: necdum enim veteribus comperti erant oppositi Magnetis poli. Multa quoque commenti sunt omnino fictitia, vix digna lucubratione anicularum: Magnetem allio perun-

Etum virtutem suam deperdere; eamdem ab Adamante ligari, & vt ita dicam, fascinari; Magnetem aliquem inveniri, qui aurum, alium qui argentum, alium denique qui carnem attrahat. Sed ista opinionum commenta delevit dies; nec ferè quisquam invenitur, qui istis fabulis fidem adhibeat. Novimus quemdam lapidem album nigris lineis distinctum reperi, qui cùm sit mollis, & rarus facilè labiis suspenditur, & linguae tenaciter adhærescit: nam humor quo lingua perfunditur, lapidem diluit; vt vicissim partes lapidis molliores subeunt linguae poros. Hinc Itali istum lapidem Magnetis albi nomine insigniunt, cui certè ex vires prorsus mirabiles, quas se expertum esse testatur Cardanus, non conveniunt. Narrat ille se hunc lapidem à quodam Empirico allatum vidisse, cui acus illita carnem citra vllum dolorem non penetrabat modò, sed etiam extracta nullum vulneris vestigium relinquebat, quod præstigiis, & magicis artibus ipse Cardanus refert. Infinita quidem jocularia, & ludicra, quæ Magnetis ope exhiberi possunt, libens prætereo. Vidi qui se aquam instar maris perpetuò agitam exhibitorum promitteret. Scobem chalybeam aquâ forti exsolutam phialæ vitreæ imponebat, atque optimo Magnete phialam occludebat, illius collo vesicæ porcinæ, ne aër subiret involuto; futurum aiebat, vt aqua fortis ferro prægnans à Magne invitatâ ascenderet, mox proprio relapsa pondere, iterum assurgeret, & ita in perpetuo versaretur motu. Nihil de vsu Magnetis medico subjiciam. Contritum pulverem aquæ calidæ infusum crassos humores evacuare, & hydrops curare; sanguinem sistere, atque eadem ferè, quæ Hæmatitem præstare aiunt; exsiccatur enim, adstringit, consolidat.

Hæmatites. Hæmatites quidem id nomen accepit, vel quòd succum sanguineum reddat ad cotem; vel quòd erumpentem sanguinem inhibeat. Hinc Trallianus magnis hunc lapidem effert laudibus, atque illius pulvis ad cotem contriti vnum, vel alterum scrupulum vino infusum præscribit iis, qui sanguinem expuunt, & ulceratos habent pulmones; exsiccatur enim, & agglutinat. In ferri fodinis, vel terris subrubris passim occurrit, si que aliquando vi ferri attractrice, licet obscurâ donatur. Multas illius species recenset Plinius, nunc ferè incognitas. Lapis

cui minium nativum succrescit , secundam speciem videtur obtinere ; Androdamas à Plinio vocatur : niger est , & prædurus , ferrum , & alia metalla ad serapere perhibetur , quod multo abundet mercurio : magnam enim inter hydrargyrum , & metalla esse cognitionem ignorat nemo . Quinta sanguinei lapidis species Schistos , vel lapis scissilis , quod facile scindatur , ab eodem auctore nominatur : inita salis ammoniaci concrescit , croceus invenitur , atque vt lapis specularis pellucet : superficiem haber aliquando tersam , & ceu ferrum politum micat ; interim scaber est exteriùs , intus micat , vt Cinnabaris . Hæmatites , & Schistus combusti colorem minii refertur . triusque exdem sunt vires ; luxuriantem carnem reprimunt , & vulneribus medentur . Quo nigrior , & splendidior est lapis scissilis , eo quoque durior censetur . Nodus Misenus nihil est quām Schistos adeò prædurus , vt incidi impositus , vix malleo cedat . Illo utuntur aurifices , vbi argentum inaurant , vel folia , quæ gemmis solent substernere , expoliunt . Ejusdem ferè generis est Smyris quo nihil ferè durius : hinc gemmis poliendis , & armis detergendas permagni est usus . In minutissimum contusus pulverem , oleo vel aquâ aspergitur , quo duriores gemmas paulatim deterat , vel æruginem abstergat : hinc etiam dentibus detergendas adhibetur . Omnes isti lapides nigro , vel croceo colore tinguntur , & multum de naturâ ferri referunt ; in sa- xis , vel terris subrubris inveniuntur . Quemadmodum Galactites , Morochthus , & Melitites . Talcus , & lapis specularis ex albis rupibus , & calceis eruuntur . Hæmatites , Schistos , & Smyris , cotis affictu succum croceum , vel sanguineum reddunt ; ex Morochtho & Galactite succus lacteus , & Melitite melleus exprimitur . Galactites ut plurimum cinerei est coloris ; Melitites flavescit ; Morochthus est subviridis , & ferè instar gemmæ nitet . Nec forte quicquam à Margâ indurata tres ista lapidum species differunt . Cicatrices obducunt , corporis spiracula obstruunt : hinc sunt utiles iis , qui exspuunt sanguinem , distillationes oculorum arcent . Nec multum ab iis discrepat Steatites ; mollis enim est , & sebaceus , colore tamen subruber , quamvis lineas candidas in ligno ducat .

Talcus lapidis scissilis multum est affinis , nisi quod ex la-

Schistos.

Morochthus.

Galactites.

Melitites.

Talcus.

mellis flexilibus , & argenteis constat : neque igne , neque senio consumitur ; iisdem ferè vsibus , quibus lapis Amiantus , seu Asbestus , potest inservire : nam ex vitroque perpetua conficiuntur ellychnia , quæ ignis ardores impunè sustinent.

Amiantus. Amiantus quidem alumini scissili , vel plumboso non dissimilis , instar ligni fibrosus , & mollis colore candido , aut subviridi , magno quondam in pretio fuit , quod ex eo contuso , atque in tenuissimas fibras diducto quoddam telæ genus ignis patiens texeretur . Hinc linum vivum , vel asbestinum , quasi igni inconsuptione dictum est . Refert Plinius vias esse rite ex eo in focis conviviorum ardentes , foribus exustis splendescere magis igni , quam possent aquis , Regum inde funebres tunicas , quibus combusta cadavera à reliquo cineri separentur : ratum inuentu , difficile textu propter brevitatem : cum inventum est æquare pretia margaritarum . Vbi contunditur , quemdam præbet florem adeò acrem , & penetrantem , vt suis aculeis instar vrticæ compungat , & incredibili pruritu discurciet .

Lapis specularis. Lapis specularis Talco non dissimilis , ex tenuissimi foliis compingitur : atque instar vitri pellucet ; hinc suum deduxit nomen . Hic forsan est veterum Selenites , sic dictus quod noctu inueniatur plenus , Lunæ crescente . Selenites , ut placet Plinio , ex candido translucet , melleo fulgore imaginem Lunæ continens , redditque eam in dies singulos , crescentis , minuentisque numero . Gemma tamen Selenites , cuius maculæ nigrae juxta Lunæ æstatem ampliantur , qualem habuisse Leo X. fertur , longè diversa est à la pide speculari passim obvio . Tametsi valde dubia fidei sunt quæ de Selenite referunt , vel Hellite , cuius aurea macula solis motum subsequitur , qualem fuisse penes Clementem VII. perhibent . Fieri tamen potest ut tenuis halitus ad Solis , vel Lunæ motum instar humoris , qui conchyliis , vel ostreis ineist , crescat pariterque decrescat . Garcias ab Horto nobilis quondam apud Indos Medicus , memoria prodidit Margaritas post plenilunium captas cum tempore minui , & decrescere , quæ verò ante plenilunium capiuntur , huic virtio haudquam esse obnoxias : hinc colligit Cæsalpinus Selenitem veterum à Margaritis non differre . Sed fallitur :

fallitur; nunquam enim veteres Philosophi vniones hoc nomine signarunt: ac de iis satis dictum sit: deinceps, vt erat propositum, de lapidibus quibus certa est, & constans figura dicemus: atque ab Osteocollâ placet initium sumere.

Hic lapis diversis insignitur nominibus, & variæ illius sunt differentiaæ. Prima, & præcipua illius species, os fractum, & combustum, figurâ, & colore refert; atque ubi comburitur, gravem vrinæ odorem spirat; adeò ut nihil esse videatur præter os in lapidem conversum. Prope Hildebergam, atque in aliis Germaniæ locis quidam lapis arenosus, & fragilis inventur, nodosus, & trunco arboris non absimilis: ita ut proprium iis fidem habeam, qui eum esse quoddam plantæ genus existimant: nam in terrâ molliore est, è terra erutus indurescit. In Marchionatu Brandenburgi hanc plantam verno tempore foliis angustis, & subnigris paululum assurgere, ex viro nobili refert Anshelinus. Nonnihil medullæ medium illius lapidis occupat, quâ luxatis ossibus conglutinandis nihil est utilius. Ad eumdem usum adhibetur alius lapis figurâ non dissimilis, sed substantiâ solidiore: ex utrovis lapide detriti pulveris mero infusi unam, aut alteram drachmam præscribunt. Interim tamen os fractum restituitur, ligatur, & cætera quæ parari adsolent, non prætermittuntur. Eisdem ferè vires tribuunt lapidi distillato, qui & Stalactites, vel Osteocolla vocatur: nam & ossa consolidat. In terræ canalibus, vel thermarum fistulis concrescit in pyramides duras, graves, candidas, intus micantes. *Cornu Fossile*, vel Ceratites non admodum abhorret ab Osteocolla: ex Margâ, quam nihil esse, præter terræ medullam suprà diximus, succo lapidifico inducata plerumque oritur. Nonnumquam arborum rami hoc lacteo, & pingui humore incrstantur: ita ut infinita propè sit istorum lapidum varietas, diversæ adeò vires, & facultates. Qui pingues sunt, viscosi, & molles, cæteris præponuntur; exsiccant, & adstringunt; alvi profluviis, & sanguinis eruptio- ni medentur. Verum quibus gratus odor inest, ii tamquam optima alexipharmacâ commendantur; pestilentes febres, & venenatos morbos profligant; unius drachmæ pondere, vino, vel idoneo infusi vehiculo, copiosum excitant sudorem, quo-

*De lapidi-
bus quibus
certa figura
addicuntur.*

Osteocolla.

*Cornu fusi-
le.*

D d

Cornu Am-
monis. si quid veneni intus later, foras protruditur. Nihil addam de Cornu Ammonis quod Arietis cornu exhibet, & succo imbutum aluminoso aureum præ se fert colorem: nihil de illo lapi-
 de, qui prope Compostellam invenitur, & cornu bovinum refert, in rotulas disiectus nigrum exhibet crucem: hæmora-
Glossopetra. gizæ vtilem ferunt: nihil de Glossopetrâ, quæ serpentis lin-
Lapis Ce-
raunius. guam non pessimè exprimit. Huic lapis Ceraunius similis est, in cuius medio multa foraminula deprehenduntur: nec probabi-
 le est eum è nubibus in terram præcipitem dejici: crediderim magis nihil esse præter cuneos, secures, malleos, vel alia ejusdem generis instrumenta in lapides conversa: nam persæpe cunei, vel securis formam lapis Ceraunius exprimit. In eodem censu reponendos puto Ombriam, & Brontiam: isti quidem non oblongam, sed hemisphæricam naëti sunt figuram; neque aliud esse putem, quâm testudines recens exclusas, & spi-
 ritu Gorgoneo in lapides commutatas. Multa concurrunt, quæ huic opinioni faveant. Sunt enim testudinibus concolores, quibusdam tessellis pulcrè distinguuntur, figura planè con-
 venit. Ceraunii lapidis figuram ferè assequitur Belemnites, ita dictus, quod sagittæ cuspidem referat. Cum digitum magnitudine æquat, tum Dactylus Idæus dicitur, quod in Idâ monte frequens occurrat. Nonnumquam terram, lapillum, vel arenulam in media sui parte gerit mobilem. Ferè adducor ut credam hos lapides nihil esse, quâm sagittarum cuspides, quæ spiritu, vel succo lapidifico transmutatae fuerunt. Cum aliquantulum instar succini Falerni pellucet, ac paleam subinde attrahit, tum Lyncurium vocatur. Est quædam in iis omnibus scissura satis conspicua, quæ efficit ut percussi facile in longum fin-
 dantur. Quod si eos igni admoveris, cornu vel ossis adusti ingratum odorem exhalabunt. Plerique Medici eos calculo comminuendo adhibent: quæ quidem facultas illis cum multis lapidibus, & maximè cum Iudaïco communis est, qui olive nucleum formâ suâ exprimit. Variæ lineæ æquis inter se spatiis dissitæ huic lapidi insculptæ videntur. Plerumque fra-
 gilis est, & mollis; intus politior, instar marmoris nitet. Huic finitus Ttochites, sic dictus quod rotæ, vel tympani figura imitetur: fractus splendescit; variis quoque distinguitur
Belemnites.
Lapis In-
dacus.
Ttochites.

lineis, non in longum, vt in lapide Iudaico porrectis, sed à me-
dio ad circumferentiam ductis. Cùm multi vñā conjungun-
tur, tunc lapidem efficiunt nomine Entrochum, in cuius stru-
eturā illud est mirabile, quòd inferioris Trochi radii promi-
nentes, superioris sulcos ita concinnè subeant, vt industriā hu-
manā aptati, & dispositi videantur.

Innumerabiles sunt lapidum species, quibus vel propria fi-
gura, vel color, vel denique vsus nomen dedit. Quòd si oin-
nes velimus perseguī, immodiū erimus, & frustra laborabimus.
Neque enim magni refert nosse minutos lapides, nisi sint, vel
formā illustres, vel vsu spectabiles. Quamobrem libens præ-
teribo Ostracitem, ostreis similem; Strombitem instar lima-
cis aquatilis turbinatum; Conchytem, instar conchæ intor-
tum, & sulcis excavatum: Chrysitem quoque vocant, quòd
aureo colore fulgeat: vti Ammochlyson, ex quo pulvis aureus
scriptoribus utilis colligitur, lapis est arenaceus, qui facilē
commixtus: Ammonites ex arena granis tamquam ex pi-
scium ovis compingitur: Hephestites rubro colore rutilat, at-
que instar speculi concavi reddit imagines. Neque expectatis
vt de silicibus, & cotibus quibus ferrum exacuitur fusius dis-
seram: ista quippe vobis sunt multo notissima.

Plerique silices igne funduntur, iisque nonnihil solent pelli-
cere, ex quibus vitra conficiuntur. Alii nec liquefcunt, nec cal-
cinantur, ex quibus typos arti fundendo fabricant; sed non nisi
magno labore parati possunt: arenā, vel Smyridis pulvere pau-
latim eos excavari necesse est. Qui liquefcunt silices fortè mul-
tum vitri, aut metalli continent: quemadmodum pyrites, vel
marcassitæ, de quibus nunc non est dicendi locus. Curvi sunt
vt plurimum silices, squamis obducti, & venulis distincti: nec
cædi possunt, nec sunt construendis ædibus idonei. Succus la-
pidescens paulatim accēdens, & priori moli circumfusus sili-
cem curvum, squamosum, & venis distinctum efficit: cùm-
que angustissimos habeat meatus, nec calcis admittit corpo-
scula, nec ferram patitur, sed percussus crustatum dissilit.

Cotes verò particulis mordacibus, & angularibus constant, *cōes.*
quibus ferrum arrodunt, & gladiorum aciem exacuant: aquā,
vel oleo perfunduntur, quo superficies earum complanata fer-
rū

rum minus exedat. Multæ arbores in Germaniâ inveniuntur in cotes mutatae, quibus accidunt novaculae: sed de his iam nimis. Transeo ad marmora, & saxa, quorum infinitæ sunt species.

Marmor.

Marmora, si est simpliciter, breviterque dicendum coloribus magis quam naturâ differunt. Marmor candidum, & fulgens Patium vocant: Ophites instar pellis colubrinæ variis maculis inspergitur; huic affinia sunt marmor Augustanum, quod vndulatum, & Tiberium, cuius venæ seu albi capilli dispersi jacent. An necesse est ut de cinereo marmore, flavo, viridi, quod aliquando nigras gerit cruces, rubro quod Porphyrites, ferrugineo denique, & præduro, quod Basaltes vocantur, idque oblongum, & instar columnarum erectum effodi solet, fusiùs disseram, & loca ex quibus eruuntur designem? Malim ego de origine, duritie, & gravitate marmoris diligenter perquirere, quam longas historias Philosopho quidem indiginas contexere. Marmor ex succo bene subacto, & percolato, variis tamen exhalationibus infecto originem suam, colorum varietatem, & splendoremducere mihi videtur. Vbi succus paulo est impurior, eique molliores, vel duriores lapilli immiscuntur, tum vile, & fabricis inutile marmor eruitur, quod malleo percussum in frustula dissilit. Extractum marmor, ut cæteri ferè lapides, sensim indurescit: ex particulis terrestribus, & multū implicatis constat: nec meatus habet nisi angustissimos; hinc illius durities, & gravitas. Parum humoris, terræ permultum obtinet; unde calcinatur quidem, non funditur: nam humor prius avolat, quam terrestres particulæ adeò implicatae, & consertæ separari queant. Aquam non exsugit, quod angustiores sint pori, quam ut illos aquæ corpuscula subeant. Porphyrites minus habet gravitatis, quod laxiores meatus obtineat: magna tamen est illius durities: nam partes illius sunt compactissimæ: hoc marmoris genus succi illabentes variis tingunt coloribus, ut in chartâ variegatâ omnibus notâ evenit: nam succus affusus, & per similes tractus discurrens, venarum quoque consimiles ductus efficit. Marmor candidum, ut Theophilus perscitè nos admonuit, minoribus constat sphærule: nigrum majoribus: hinc nigrum facilius perpolitur, at-

*De causis
marmoris.**Porphyrites.*

que ut lapis Lydius metalla probat. Heraclius enim, vel Lydius lapis inter marmor, & ceterum ambigit; superficiem habet aliquantulum scabram; sed illa asperitas est penitus insensibilis: nam instar ferræ metalla quidem exedit, & suis rimulis eorum tenuissima corpuscula retinet. At si illi denticuli maiores forent, numquam possent auri vel argenti particulas arrodere, & divellere. Hinc poliendo, vel secando marmori magnâ duritie prædicto, quale est Basaltes, minutissimâ arenulâ, vel pulvere Smyridis vtuntur opifices, ac ferram adhibent ærcam denticulis minimè incisam; aquâ identidem perfundunt arenulam, ne serra incalescat.

Alabastrum ejusdem ferè cum marmore generis censemur, nisi quod mollius sit, & fragilius, atque instar gypsi combustibile; marmori pondere non cedit, sed duricie: nihil forsitan est, quam marmor nondum bene excoctum. Alabastrites proprius accedit ad marmoris duritiam, neque instar Alabastri humorem exsugit. Alabastrum in pulverem contritum, atque unius scrupuli pondere una cum lacte haustum, magnum habetur dysenteriis remedium: sed cautio est ne combustum, vel majori copiâ intus assurnatur, alioquin instargypsi oscula venarum occludet, & suffocabit. Alabastrum enim præsertim mollius, quodque gladio facile persecatur, non multum à gypso alienum est. Alabastrites in varias species diducitur: ubi vnguem humanum coloribus exprimit, Onychem vocant; solâ molitic, & magnitudine à gemmâ ejusdem nominis discrepat: verum hæc incombustibilis est, Alabastrites non item. Hinc marmor Alabandicum, cui Alabanda Cariæ civitas nomen dedit, & ex quo vitra constanturn, magis Alabastrites, quam marmor censi debet. Ex Alabastrite Thebaico, vel Ægyptio aureis maculis insperso Reges olim obeliscos Soli consecrabant: in Thermis Carolinis candore nitens plerumque concrescit. Quod si Alabastrites cum sale fossili torreatur, & comminuantur, gravem oris, vel dentium factorem magnâ ex parte auferer, ut testatur Plinius. Multa de industriâ transcurrimus, neque enim omnia colligi in tantâ rerum varietate possunt.

Nunc de axis, quæ & majori mole, & frequentiora passim *saxa* occurunt, per pauca dicemus. Saxum ferè omne marmor

Alaba-
strum.

Alabastris-
tes.

Dd ij

mollius est, neque poliri potest, neque instar silicis liquari, cùm ferro secatur, in frusta, vel in arenam comminuitur; vel in crustas, aut folia diducitur. Saxum ex arenis compactioribus, & asperis compactum ædificiis magis est idoneum, quā illud quod ex subtiliarenulâ, & male cohærente concrevit: hoc quidem facilius politur, sed in tenuem fatiscit pulverem.

Arena.

Arena porrò (ne id mihi excidat) vel ex terrâ effoditur, vel è fluviis, vel denique è maris litoribus colligitur. Fossilis est optima, nisi quodam pinguiori succo inficiatur, vel multâ terrâ inquinetur: utrumque impedit ne arena calci adhærescat: bituminosus succus gustu facile percipitur. Arena verò digitis perficta, si nullum stridorem edat, multâ abundat terrâ; maritimæ verò glacea plurima, seu lapillorum fragmenta immiscentur; salcedo quoque admista illam facit deteriorem. Fluvialitis præferenda, dummodo exsiccata, & subtilis existat: fossilis ut plurimum pinguior est.

Calx.

Iam faxa ex quibus calx efficitur, passim inveniuntur: saxum molle, & candidum habet optimum, præsertim si pingue sit, & multo nitro prægnans. Calx è duris conflata lapidibus vtilior censetur incrustandis, vel dealbandis parietibus. Tres arenæ fossiliæ partes, vel duæ tantum fluvialitis arenæ cum unâ parte calcis permiscendas esse statuit Vitruvius: quod si contuſæ testæ tertiam partem admiscueris, optimum cæmentum consequeris; & quo diutius arena cum calce commixta manet, antequam ad usum adhibeatur, eo quoque tenacior futura est, & muri in longius ævum duraturi. Veteres ex calce, & adipe suillo Maltham incrustandis aquæductibus, & castellis; ne aquæ diffuerent, confecere; calcem prius in vino extinxit adipe suillo, & sicuum succo temperabant. Metallurgi aliud Malthæ genus ex calce, sanguine bovino, & farinâ præparant sarcindis vasis, quibus funduntur metalla, perutile. Lithocollam alii aliter parant; gemmarii ex laterum pulvere, & pice; alii ex marmoris minutissimo pulvere, ovi albumine, & pice conflant, atque hoc glutine committunt marmoris fragmenta. Craterum varii sunt, & multiplices calcis in Medicinâ usus, quos nunc persequi non vacat: saepius extincta vim illam mordacem, & vrentem deponit, exsiccaticem retinet;

*Maltha.**Lithocolla.*

oleo & ceræ admista obducit cicatrices; acero extinctæ, atque identidem eluta optimum est adustis membris remedium, maximè si oleo rosaceo temperetur. Calcis tres vnciæ in fœsquilibra aquæ pluvialis extinctæ triduo vñâ diluantur; vas subinde agita, & sine aquam per diem integrum in vase occluso quiescere; aquam linteo percolatam alio vase excipe; decem salis ammoniaci drachmas in eâ exsolve, filtra; summum obtinebis, si Anselmo Boëtio credimus, profundis, angustis, & cancerosis ulceribus, atque oculorum inflammationibus remedium, si tres guttulae oculis instillentur. Eâdem aquâ cùm adhuc calet, vestium maculæ abstergi possunt.

Mitto de Topho, Ardesia, & aliis notissimis, vel saxis, vel lapidibus dicere. Tophus multis poris hiat, hinc illius levitas pumici similis: fors est ut ex succo lapidescente non concreverit: sed ex granulis quæ aqua præterfluens secum vehit: nam topi mineralæ vix aquæ fluentis sunt expertes. Ardesiam nonnulli speciem coris constituant; adeò ut constet partibus angulosis, quæ lumen ferè extinguunt: hinc illius nigredo; hinc facile creta inficitur: nam asperam habet superficiem, quæ suis rimulis cretae pulverem recondit. Crustatum educitur, quod succus per varias superfusiones acceſſerit. Ardesiarum fodinæ multæ aquâ diluuntur, quæ quidem est nigerrima, & quasi atramento infecta, sed ubi aliquantulum refedit, limpidior sit, & salubrior: ramenta quippe Ardesia illam aquam atro colore tingunt: sed tandem subsidunt, & vñâ secum halitus, ac filamenta noxia præcipitant. Crustosi lapides, & cœrulei, & virides, & cinerei inveniuntur; in nonnullis arborum rami, & folia, immo & integre silvæ miro naturæ artificio depinguntur. In Comitatu Mansfeldensi quidam lapides nigri, & crustati occurserunt, quibus pisces flavi, & quasi cuprei ita concinne insculpuntur, ut verisimile sit in eo loco stagnum olim extitisse, quo terris dilabentibus replete, pisces aliquot exhalatione quâdam minerali obrigerint: hinc cuprum optimum ex his lapidibus conflari testis est Agricola. Totus orbis his scatet miraculis. In Alsatiæ confiniis sunt campi fabis, pisis, atque aliis leguminibus in lapides versis operti; ita ut non succo lapiditico, sed spiritu quedam minerali ista induruuisse crediderim. Quis igno-

*Tophus.**Ardesia.*


rat plerisque in regionibus aquam puram in lapides concrevere, ex quibus domos aliquando fabricant. Sed neque omnia exequi volumus, nec de mundi mirabilibus disputationem instituimus.

Lapis Bononiensis.

Quamobrem nihil de lapide Bononiensi, qui in tenebris lucet, dicendum arbitror, presertim cum doctissimus Fortunius Licetus de hoc lapide librum integrum conscriperit. Neque mihi cuncta cogitanti aliud occurrit, quam istius lapidis poros ita coactari, ut primo elemento, seu ignitæ materiæ patent, & caelestes globulos excludant; cumque subtilissima illa materia satis habeat virium, ut secundi elementi substantiam circumfusam impellat (in qua quidem actione lumen consistere mihi persuasum est) non autem satis est valida, quæ terrestres particulas moveat, & separat: hinc ille ignis in Bononiensi lapide incensus lucet quidem, sed non vrit; ut accedit in lignis putridis, vel piscibus sale conditis, cum exsiccari incipiunt. Placer alii sulfureum, & tenuissimum illius lapidis halitum luce diurnâ accendi, & non nisi post aliquot horas extingui. Qui lumen substantiam fingunt, eam à lapide captivam servari putant. Ista quidem fusiùs differerem, nisi apud quos hac haberetur oratio cernerem; ac subinde vereor ne vobis tædio fuerim; neque enim in his admiscere potui aliquid nitoris: nec ingenium jactare volui, (nam in id eligi materia vberior poterat) sed propè nudam lapidum historiam tradere institui.



CAPVT



CAPVT OCTAVVM.

De gemmis.

1. De naturā, origine, ac divisione gemmarum, & quomodo ab adulterinis genuine discernantur. II. De Crystallo, Admanto, & aliis pellucidis gemmis. III. De opacioribus & aliis minoris note difficitur, ubi de viribus gemmarum, aut veris, aut fictis.

S I M P L I C I V S.




Vix potuit nobis tedium obrepere in tantâ rerum
varietate? non si sumus, qui inanum verborum
flumine oblectemur, aut limatam quamdam ser-
monis renuitatem affectemus: satis politè eloqui-
tur, qui rectè sentit, & id quod sentit dilucidè
explicat; maximè si cogitationes suas disponere, & illustrare
possit; adeò ut neque orationis siccitas animos audientium
averterat, nec magis verborum, quam rerum splendorem con-
fectari videatur. Ego autem et si vereor laudare præsentem, ex-
stimo eamen te non confusè, sed acutè, & subtiliter omnium se-
rè lapidum naturas descripsisse; ita ut nec materia lacrimis fusa
breviis adstringi potuerit, neque accuratiùs pertractari. Cùm
igitur de lapidibus tam multa, tam præclarè dixeris, viciissim si
placet, Theophilum de gemmis differentem audiamus: sunt
enim illi tam noræ, ut nulli notiores.

T H. Ineptiam si jubes; tametsi eos qui hoc studio tenentur, soleo ad aurifices, & germarios mittere, vt ista ab ipsis huius fontibus. Enimvero ut ad rem ipsam aggrediar, gemmam ^{Quid si:} *vocamus* corpus mole parvum, substantia durum, quod vel traluceat, vel illustraliquo colore niteat. Gradus autem gemmarum plures sunt, & species penè innumerabiles: sed ut ab illâ discedatur infinitate, gemmas omnes in tria genera partiri licet; quadam nullo colore infectâ omnino pellucent, ut *Adamas*, & *Crystallus*; has excipiunt aliae itidem tralucentes, atque *Varia gemmarum genere*.

Ec

vno dumtaxat colore insignes , vt Carbunculus. Tertio tandem loco lapides variis distincti coloribus collocantur, sive hi pelluceant, sive nihil aliud quam reluceant. Neque hic necesse est ut de gemmarum materiâ, origine, & effectice causâ longiorem disputationem attexam : hunc enim locum superius

*De origine
gemmarum.* jam satis expressimus. Vbiique gentium inveniuntur, ex Oriente rāmen , & frequentiores , & longè pulciores adferuntur.

Nonnumquam in excelsorum montium jugis occurunt; aliquando ex arenis, & fluviis ; sēpissime ex metallorum fodinis eruuntur; adeò ut Philosophi non ignobiles vnam esse gemmarum , & metallorum originem non absurdè existimant. Quod si aquis metallicis tantum licet, vt plantas & animantes cogant in lapides ; quis negare audeat magnam gemmarum partem ex iisdem aquis proficisci ? Quare terra humida, & molis aquis mineralibus scatens pretiosos lapides procreat, non sterile, & arenosum solum, quod nullo cohæret glutine. Vnde, quæsto te , gemmarum color, nisi ex metallicâ exhalatione, vel iisdem aquis spiritu lapidifico fœtis ? Qui gemmas adulterant, ii metallis ut plurimum abutuntur : hinc spuriæ, & adulteratæ gemmæ, sinceris, ac genuinis aliquantum sunt graviores, nec limam sustinent, neque illum geminis insitum splendorem vibrant. Sæpe impostores duos lapides mastiche committunt, ut mole ampliores, & majoris adeò pretii habeantur. Interjecto quoque vitro aptis imbuto coloribus splendorem augent; vel demum gemmas perforant, & colore illustri vacuum complent spatiolum , aut certis aquis suis coloribus infectis gemmas emolliunt, quò mutuatius color altius penetreret, tum ignis beneficio pristinam duritiem restituunt. Ioannes Bap. de Portâ, Alexius Pedemontanus , atque alii arcanorum scriptores hanc pessimam gemmarum adulterandarum artem tradidere, quam certè in vulgus dispalescere non oportuit. Sunt qui duo vitra ex silicibus, & plumbo conflata, atque idoneis coloribus infecta conglutinent: hæc porrò feligunt vitra; nam quæ ex cineribus conficiuntur, facile pelliculam contrahunt, quæ elui non potest, atque eam ex salis acrimoniam proficisci non abhorret à verosimili : si quid pinguedinis lapidibus pretiosis adhærescat, non ægrè abstergitur; non item in vittis gemmas

*De gemmis
adulteratis,
et quomodo
adseruan-
tur.*

mentientibus, in quibus etiam bullæ ignis violentiâ formantur, quæ fraudem ipsam produnt: nec tamen in omnibus hæ bullæ conspicuntur. Quare longè tutissimum erit gemmam ex annulo eximere, vel pondus expendere, vel denique eam limæ subjicere. Addit Agricola vitra tactu lingua tepidiora lapidibus percipi, & colorem spargere languidiores. Verum impostores norunt colores accendere; folia metallica gemmis factitiis, vt nativis substernunt; sed adulterinis vitrum inferrunt splendido colore fulgens. Imò hâc arte speciem mirificè augment, vitro nimis pellucido inter bracteolam metalli, & ipsum lapidem interposito. Inferior quoque lapidis portio, quæ annulo conditur, in varias superficies incisa, & complanata imaginem lapidis præbet longè ampliorem. Multa prætero ne fraudes docere videar. Omitto folia quæ gemmis subjiciunt, ex metallis tenuissima parati oportere, quæ filo appensa foraminis idonei furnuli, colore hyacinthino tinguntur: vbi cæruleum, vel alium colorem placet inducere, plumas addunt concolores, quarum fumo foliola metallica apto colore imbuuntur: sic buxi folia viridem colorem; lanæ coccineæ flocci consimilem reddunt colorem. Gemmis omnibus hæc folia subjiciunt, quòd lumen regerant fortius, & colore splendidiore fulgeant. Verum iis omissis, quæ ad artificum industriam pertinent, præcipuas gemmarum species, si minus oculis, animo saltem perlustremus. ac primùm de iis quæ pellucidæ, & omnis coloris sunt expertes, dicendum arbitror; tum de iis quæ aliquo colore sunt illustriores agendum.

Exordium ab ipsâ Crystallo capiemus, vel quòd sit notissima, *crystallus*. vel quòd à plerisque omnium ferè gemmarum communis matières, & quasi primum rudimentum habeatur. Siquidem vna eum aliis pretiosis lapidibus occurrit, & solâ fortè mollitie ab iis qui traludent, dissidet. Neque Plinii opinioni accesserim, quâ statuit crystallum nihil esse præter aquam gelu concretam; quòd alibi non reperiatur, quām vbi hibernæ nives maximè rigent; adeò vt hinc nomen deduxerit suum. Verum hæc sententia multiplici titulo falsi arguitur: nam aqua in crystallum abit numquam, neque vt glacies, & alia quæ frigore coaerunt, calore solvitur; sed vt cæteri lapides calcinatur. Puriss.

E i

ma quidem in rupium, & montium jugis reperitur; è fodinis quoque subterraneis frequens erui solet: hexagonam, vt sæpe diximus, figuram assequitur: interim lapidibus adeò tenaciter adhaerescit, vt ægrè divelli queat. Frigida est & siccæ, vt quæ maximè in pulvorem comminutam, atque vñacum vino hau-stam dysenterias curare ferunt. Per magni est usus: nam vitra, & pocula purissimæ ex crystallo parantur. Veneti crystallum vitro, arenâ puriori, & sale alkali temperant, ex quibus vitra exquisita constantur. Taceo gemmas adulteratas è crystallo calcinata, cum tribus plumbi partibus permistâ, additis quibusdam mineralibus, quæ colores idoneos concilient, effingi. Quo purior & limpidae aquæ similior est crystallus, hoc pluris ducitur: suis nævis, vt cæteri lapides pretiosi, non caret. Nam sæpe rubigo quædam lapides inficit, vel fetreus aut plumbeus color livorem inducit; aut candidior nebula, aut vmbra opacior, aut denique fumus obscurior, gemmarum splendorem, & nativum extinguit colorem: crystallum vmbra, & nebulæ non raro obscurant; aliquando inspersæ maculæ illius perspicuitatem quasi interpellant; maculam minutiori muscæ persimilem, salem dicunt; capillus est veluti quædam scissura, quæ radios regerit, ac perspicuitati obest. Omnis ingemma alienus color in virtute est; tametsi aureæ, & splendidæ quædam guttulae in multis lapidibus laudantur. Præcipua crystalli dos erit perspicuitas, & nullo tinge colore. Iris est quædam crystalli species, sed paululum obscurior; hæc Solis radios sic inflectit, vt Iridis colores in pariete depingat: cum ad citrinum colorem accedit, tunis pluris æstimatur, quamvis sit opacior.

Adamas. Crystallo Adamas, colore & figurâ affinis quidem est, sed duritie longè dissimilis; adeò ut nullo igne, vel ferro eum domari posse veteres crediderint, atque hinc nomen suum invenierit, nam Adamantem, quod non sit domabilis Græci dixerunt. Quamquam id falsum est; siquidem & malleo conteritur, & ignis ardoribus tandem liquatur. Nec veriora sunt quæ de viribus Adamantis fabulantur, quod venena prodat, ita ut præsente veneno humescere, & quasi exsudare videatur; quod insaniam curet, vanos depellat metus, Magnetis virtutem suspendat: ista enim neque cum experientia convenient, neque

vllā satis idoneā ratione fulciuntur. Sive Platonis ideas, aut
feminarias rationes; sive cūm Hermete, atque impurā mago-
rum factione, stellarum influxus obtendamus: seu denique
formas specificas, atque vt loquuntur totius substantiæ occul-
tas vires causemur, nihil quām ignorantia nostræ patrocinia
præteximus: at pudere debet Physicos à rebus valde dubiis,
aut omnino commentitiis petere testimonium veritatis. Mirari
subit, Alberto Magno Hermetis, & magorum sententiam non
displicuisse: quis enim tam cæcus est in contemplandis rebus,
qui stellis potius quām succo percolato, vel minerali fumo
gemmarum vires, & originem referat? Sed nescio quo conta-
gio hæc vanitas à Chaldæis ad Philosophos permanauit, qui
miras, & incredibiles vires gemmis, ac lapidibus tribuunt,
magorum, vel Alchimistarum portentosis opinionibus delusi.
Quid stultius, quām sibi persuadere lapides amorem, vel
odium conciliare; fortunatos efficere; calamitates prænun-
tiare, atque alia opinionum monstra, quæ otiosi homines fin-
gunt, ac nimiū creduli Philosophi amplectuntur. Iam ne
citra aliquam rationem despere videantur, spiritum vniuersi
latissimè fusum inducunt cum Platonicis; vel certas stellas qui-
busdam gemmis addicunt, vt metallis planetas destinant.
Quām varie & multipliciter dispensant stellarum aspectus,
cūm alii sint benefici, alii infesti; alii opes, alii infortunia
præfigant; adeò vt mirum sit homines tantum habuisse abs
rebus seriis otii, vt tam immania portenta parturierint, & in-
ventos esse Philosophos, qui istis fabulis crediderint. Ne ipsum
quidem Albertum excipio, virum alioquin doctissimum,
& multæ lectionis; at nūnia credulitas tanti hominis famæ
nonnullam labem aspersit. Enimvero Albertum cum bonâ
gratiâ dimittamus, atque ad certiora veniamus. Quæ sit Ada-
mantis, & cæterorum lapidum natura, quod temperamentum,
non satis liquet. Agricola ex succo congelato Adamantem
coaluisse purat; ita vt crystallo & durior, & longè frigidior
existat. Anselmus Boëtius igneum esse, & calidum definit;
siquidem in locis fervidioribus, vt in Indiâ Orientali, & fre-
quentior, & præstantior invenitur: quemadmodum crystalli
in Germaniâ, Alpibus, atque alijs frigidioribus locis passim

E iii

occurunt; in Indiâ vel raro, vel numquam. Adamantes quidem in Bohemiæ fodinis, & aliis Germaniæ regionibus reperiuntur, sed nothi, & vix à crystallo discrepantes: nam qui hexaedricam figuram nasci sunt, & molles, & crystallo similimi existunt: globosi quidem sunt duriores, sed tincturam, ut Orientales non patiuntur. Hac quidem notâ legitimi à spuriis discerni solent. Tinctura porrè illa ex mastiche, & eboris combusti pulvere temperatur, quâ quidem adhuc calecente Adamantis infima superficies itidem calefacta illinitur, & bracteolæ metallicæ imponitur; efficitque hoc pigmenti nigrioris genus, vt Adamas radios fortius vibrat, ac splendorem, vel ut loquuntur, ignes vividiores jaculetur. Reliquæ autem gemmæ, atque ipsi Adamantes nothi istam respnuunt tincturam, neque vt Adamas perstringunt oculorum aciem, sed ipsius pigmenti nigredo radios sistit, vel extinguit, vel denique obscuros, & languidores regerit. Iam cur Adamas præ tincturâ fiat vegetior, & acrius scintilleret, cæteræ gemmæ non item, aliis excutiendum relinquimus. An forte Adamas cum sit compactior, radios magis refringit, & longius reflectit, cum instar speculi opacitate quâdam obducitur? Hinc impostores panni ferici, & nigrioris, vel speculi frustulum inter metalli folium, & spuriū Adamantem artificiosè inserunt, quo radii fortius resiliant, & splendor vegetior verum Adamantem mentiatur. Alii ex aliquot tritici granis oleum proliuiunt, quo fuliginem, vel picem, vel eboris adusti pulverem diluunt, idque factitiis gemmis eâ supponunt industriâ, vt inter eas, & masticem nonnihil aëris intercipiant: sic enim radii luminis antequam ipsius pigmenti opacitate extinguantur, resilient, atque illustri fulgore vel peritis artificibus facile imponunt. Sed cur mastiche potius Adamanti, quam cæteris gemmis adhærescit? Numquid propter naturæ cognationem? An potius quod ea sit in Adamante linearum structura, vt mastiche filamenta rimulas, & vacua spatiola Adamantis occupent, & ita inter se optimè convenient? Sunt qui alias minoris notæ gemmas, vt Amethystum, Sapphirum, Chrysolitum laminulæ ferreæ impositas calce vivâ, vel chalybeâ scobe condant, & vivis carbonibus operiant, vtigne sensim aucto nativis coloribus exuantur, at+

que Adamantis speciem præ se ferant : nam si durities lapidi adsit, & perspicuitas , vix quicquam ab Adamante differt. Nihil addam de hujus gemmæ viribus : nam pleræque mihi suspectæ sunt , vel superstitionis , & vanitatis plenissimæ. Quis enim mihi persuadeat Adamantem furore , & insaniam liberare, victoriam largiri, adulteria prodere, maximè si quidam characteres, vel figuræ insculpantur? Et ista quidem docent qui sibi Philosophorum nomen inscribunt; nescio quomodo illi superstitionis Philosophi quidvis malle videntur , quam se non ineptos. At inquiunt, magna est vis siderum , multa sunt nobis incognita , quæ non continuò sunt falsa , quamquam fugiant intelligentiæ nostræ aciem : quotus quisque stupendas magnetis vires mente assequitur? His sanè non repugno , ac totam ferè naturam tenebris esse involutam libenter concesso: sed quid stellis cum figuris lapidibus impressis? an fortè excitantur, & quasi admonentur Martis , vel Herculis figurâ, vt influentias viætrices effundant? at multa eventus ipse comprobavit , multa docuit longinqui temporis observatio. An tu putas ullam anum tam deliram fuisse , vt iis crederet, nisi casu nonnumquam , & temerè ista concurrerent , & forte quâdam contingerent? Verùm abeamus à nugis: placet alias gemitas crystallo affines cursim perstringere.

Nulla æquè oculis blanditur, atque Opalus , nam omnes Iridis colores tantâ varietate exprimit, vt nulla ars imitari hanc naturæ solertia possit. Crystallus diversis quidem imbui potest coloribus, sed constantes erunt , & dispersi , nec ex eodem punto variii colores emergent , quemadmodum in Opalo contingit: nam vt Soli diversimodè obvertitur, dissimiles quidem , sed mirum in modum temperati colores exsurgunt. Cùm tralucet, atque omnes Iridis colores exhibet, vel si sit nigrior , atque instar carbunculi rutilat, magno venditur: non tanti estimatur, cùm opacior est, & languidior , vel lacteo nitet candore. Nonnumquam pellucet, & Solis quasi vagam, atque errantem reddit imaginem: hinc Astroites à Plinio vocatur; Itali Girasole nominant , atque in varias diducitur species: modò cæruleum colorem, modò niveum candorem præfert: varias stellulas multâ luce radiantes aliquando com-

*opalus:**Astroites.*

Asterites. plectitur : interim diversis coloribus variegatur , tūmque Astroitem , vel Solis oculum appellant : Opalum duritie superat , sed vincitur colorum gratiā , & admirabili quādam varietate . Nec me fugit aliud esse lapidis genus , quod Asterites vulgō dicitur ; lapis est opacus , coloris cinerei , in quo plures stellæ nigriores depinguntur : interim rosas , vel fluctus gloomeratos ostendit . Mirari solent hunc lapidem acetō immersum sponte suā huc atque illuc impelli ; sive illius spiritus aceti-acrimoniā incitentur ; sive humor linearum ductus excavatos subeat , atque aēr , dum exiunt querit , lapidem exagitct . Adversus pestem , & venenatos morbos plurimū valere existimant : quatuor grana contrita idoneæ aquæ infusa præcipiunt : vermes quoque enecare , sanguinem expurgare perhibetur : adeò ut inter pretiosos lapides , si minus specie , certè vilitate maximā locum sibi vindicet . Anselmus meminit alterius cuiusdam lapidis , qui in Comitatu Tirolensi invenitur , cuīque stellaris lapidis , vel Astroitis nomen longè potiori jure quām cæteris convenit : nam ex variis lapillis aptissimè inter se connexis , quasi lamellatim compingitur : atque in singulis stellulæ adeò concinnè insculpuntur , ut sigillo impressas fuisse dejerares . Forma cujusque lapilli est variis angulis incisa , quibus totidem respondent stellarum radii , qui ad angulorum apices producuntur . Sed redeo ad gemmas .

Smaragdus. Nulla oculis æquè arridet coloris suavitate , ac Smaragdus , eujus gratissimus viro visum mirificè recreat . Orientales Smaragdi majori in pretio habentur , quod sint duriores , magis traluceant , circumfusum aëra suā viriditate tingant : hinc maiores videntur : nam fulgor quem circa se spargunt , auger eorum imaginem . Occidentales mole quidem sunt majores , sed dilutiori colore visum non implent , nec radios vibrant ; sale persæpe inficiuntur , aut nubeculis obscurantur ; substantiæ quoque sunt mollioris . Magnæ vires adversus venena , pestem , & alvi profluvia huic gemmæ tribuuntur . Vulgaris dosis est sex granorum pulveris optimè contusi . Nec desunt qui Smaragdum infantium collo suspendant , quod si major sit morbi vis , quām ut profligari possit , Smaragdum disrumpi aiunt , quasi victus super-

superstes esse nolit. Multa addunt Philosophi isti penè phantasticū, quibus auctoritatē quidem nullam debemus, nec fidem adjungere. Quid enim est, quod minus probari possit, quām Smaragdum illegitimos veneris actus non pati, sed statim confungi? ingenium sanè lapidis mirabile, & castitas omnino incredibilis. Quinetiam dæmones fugat, terrores panicos discutit, memoria firmat. A Magis quidem ista licentia, quæ potius à censore coerceri, quām à Philosophis refelli debet. Illud quidem minus absurdum, Smaragdum hæmorragiam curare, si ori; dysenterias, si ventri admovetatur; parturientis femori alligatum, promovere; si ventri applicetur, partum retinere. Ego vero ut illis non accedo, qui negant gemmas distractā venustate quicquam habere utilitatis; ita neque earum vites tantas esse putem, quantas plerique Philosophi jactitant: vix in animura induco meum solo lapidum contactū, non modò sanguinem sisti, sed etiam gravissimos curari morbos. Plenrumque altius morborum causæ infixæ latent, quām ut tam utilibus remediis cedant: neque eiusmodi medicamina plurimum valent adversus morbos contumaces; multa gemmarii ipsi mentiuntur, quò gemmas magno vendant.

prafuit.

Sic Prasium, cuius viror dilutior est, quām Smaragdi, atque hujus matrix sèpe existit, coram veneno decolorari tridunt; adeò ut pristinus color non nisi abluto restituatur. Sic Beryllum, quem Itali aquam marinam vocant, quodd viriditatem maris æmuletur (nam illius viror cæruleo temperatur) nos ab insidiis inimicorum tutos reddere falsò prædicant. Illius pulverem ulceribus oculorum mederi non inficior, sed quâ virtute insidias avertat, non assequor.

Beryllus.

Malachites itidem viridis, & venuulis candidioribus ut plurimū distinctus, in pulverem contusus erumpentem è vulneribus sanguinem inhibeat, vino calido admistus venenata curer ulceræ, spasmo liberet, ventriculum male affectum solo contactū juvet, nihil pugno: at nego cum lapidem à fulmine nos tueri. Nescio an contra fascinum aliquid possit; ista enim Theologi ipsi viderint; nos ultra naturæ limites non excurrimus. Sed neque ita sum rerum imperitus, qui negeam quicquam gemmas nisi per manifestas qualitates operari.

Malachites.

*Lapis No-
phriticus.* Néphriticus lapis colore itidem viridi, ac vitriolum referens, brachio gestatus atenuulas, & minutiores calculos non manifesta, sed occultâ qualitate protrudit, & mirâ quâdam proprietate renes æstuantes temperat. Id verò non indoctum vulgus, at magni, & nobiles Philosophi se expertos fuisse testantur.

Turchoides. Quod autem de Turchoide vulgo creditur, quis ferat? nempe infortunia avertere, atque in se transferre; ac vehementer demitor Anselmum Boëtium virum pereruditum, & minimè credulum, his tamen nugis fidem quodammodo adhibere. Multùm in eam propendet sententiam dæmones certis lapidibus quasi illigati, vt homines variis præstigiis deludant. Narrat sibi à patre hanc gemmam dono datam (nam id quoque necessarium putant, vt Turchoides tanta patret miracula; adeò supersticio hominum imbecillitatem occupavit). Hispani cuiusdam olim fuerat, ac tum cùm viveret, hæc pulcre nitebat: eo mortuo quasi lapis domini sui lugeret exitum, omnem ferè decorem amisit, vili emptum pretio Boëtius annulo inseruit, ac paulatum pristinum nitorem recepit: & quò magis mirere, fractus lapis dissiliit, cùm is, qui illum gestabat seruēt atque iterum summum adiut vitæ discrimen: cùmque aliquando ex regio morbo convalesceret, gemma facta ante decolor, sensim splendidior evasit; ita vt ex illius lapidis coloribus futuræ sanitatis indicia colligerer. Franciscus Rueus his ferè similia de Turchoide se expertum testatur. Nec fortè absurdè ista explicari, atque ad naturæ leges revocari possunt, si cum ipso Anselmo substantiam hujus lapidis acriori animo consideremus: est enim mollior, nec colorem habet constantem: nihil igitur mitum si halitus, qui è corpore jugiter per transpirationem erumpit, inficiatur; adeò vt obscuretur male affecti corporis vaporibus: contrà splendidior futurus est, cùm qui eum gestat, pulcrè se habebit: & sanè hæc gemina aceti, & salis ammoniaci administriculo primum nitorem recuperat. Quem verò fugit, tenues illos halitus, qui ex corpore continenter exspirant, aceto, & sali ammoniaco affines existere; cùm acres sint, falsi, & penetrabiles? Sed cur Turchoides in magnis periculis confringitur? cur Rubinus (vt à gemmis virentibus & rutilantes, & sanguineas veniam) calamitates futuras suo

pallore prænuntiat, vt præter cæteros se expertum tradit Gabelchoverus Andreæ Baccii Scholiastes, nullâ ratione id explicari posse arbitror: neque hi auctores quanti quanti sunt, nos ita faciles ad concedendum habebunt, vt ea sumamus pro certis, quæ concedi nullo modo possunt. Ne illud quidem dabo Carbunculum, vel Rubinum morbos arcere, & atræ bilis fumos discutere: nec tam præclaræ dotes in lapidem cadunt. Fors est ut illius pulvis venenosos morbos depellat: sed non est verisimile tantum posse occultas qualitates, vel effluvia corporea. Nunc varias Carbunculorum species placet oratione percurrere.

Rubini coccineus, & accensus est color; matrix, & quasi illius vena cum pellucet, & roseo colore diluitur, Balatum, vel Palatum, tamquam Rubinum domicilium dicitur. Nam Rubinus quasi alitur succo sanguineo; principio quidem candidus est, tum paulatim rubescit: interim parte alterâ candidum, alterâ cæruleum, vel rubrum præsert colorem, penes succorum, ex quibus cogitur varietatem. Nec raro in iis natura ludere videtur, atque ex diversis gemmis solet unam compondere. Spinelli minus, quam Carbunculi accenduntur. Granatae minii colorem referunt, & instar Anthracis rutilant: tametsi variae illius sunt differentiae: quædam enim sunt nigriores, & pulchre fulgent, præsertim si argenti folium iis subjiciatur; tum enim longè majorem splendorem jaculantur; aliæ hyacinthino colore tinguntur. Quid etiam obstat quominus Hyacinthum inter Carbunculi species recenseamus? non eum qui instar succini flavescit, vel qui vitrum antimonii colore suo refert, sed qui minii colore tingitur. Mito de Alabandicis dicere, Rubinis paulo sunt nigriores. Amethystus Hyacintho vicinior purpurei est coloris, qui ferè ex rubro, & cæruleo exsurgit: pluris aestimantur quo sunt duriiores: nam facile Adamantis speciem induunt. Contra ebrietatem commendari solent, forte quia vini colorem imitantur. Quod si tum Hyacinthus, tum Amethystus industrios, vigilantes, & fortunatos efficiant, vt Philosophi nobiles prædicant; papæ, quam magno erunt vendibiles? quanti erit pretii Sapphirus, quem cæruleus, vel cælestis color non adeò commendat, ac vites prorsus incredibilis. Nam pudicitiam confert, in pulvrem comminutus oculos ni-

*Carbuncu-
lum.*

Balatum:

*Hyacin-
thus.*

Amethystus

Sapphirus.

Ff ij

mio humore diffuentes exsiccat, inflammationes temperat, hæmorrhagiam inhibet; vna cum lacte potus febres malignas, & venenatas, nec non interiora curat vlcera; lapis ipse vel fronti admotus sanguinem è naribus erumpentem sistit. Nulla adeò gemma est, quæ omnes ferè morbos non eliminer; itaut mi-
rum sit in tantâ remediorum ybertate homines mori posse.

Topasius.

Quid memorem gemmas aureo colore fulgentes, in quibus Topasius excellit? veterum quidem Topasius pellucet, & viridi colore, sed dilutiore oculos pascit: cùm aureo colore fulget Chrysolithus, vel Chrysoprasus dicitur. Hic bilem, & no-
cturnos horrores, nec non ipsam phrenesim curat; ille verò au-
reus totus, & pulcrè nitens eadem ferè operatur miracula;
morbum etiam comitialem, atque alios ex atrâ bile ortos de-
pellit; ipsis dæmonibus terrori est; audaciam, constantiam
impertitur, ingenium exacuit. Verùm hæc pariter cum cæ-
teris explodantur, neque in istis næniis refellendis tempus frustra
conteramus, ne laboriosè ineptire videamur.

Sarda.

Nunc ad gemmas opaciores descendam, quarum quædam
ex parte pelluent, vt Sarda, quam carneolam, vel corruptâ
voce cornalinam nominant, quod subrubram carnem referat.
Sardonyx, ex Sardâ, & Onyche quasi componitur; circulis vt-
plurimum nigris, albis, & sanguineis distinguitur. Onyx verò
id nominis obtinuit, quod vnguem humanum colore, & splen-
dore exprimat: aliquando ceu cornu politum refulget, & albis
venulis inspergitur, quæ vario plexu oculi figuram imitantur.
Chalcedonius lapis quædam fuit olim Carbunculi nigroris
species, nunc ad Onychem referri solet; durus est vt qui maxi-
mè; levi, & nebuloſo colore per totum corpus fuso imbuitur:
ali quando nonnihil purpurascit, vel cæruleo diluitur colore,
tumque pluris æstimatur: sed numquam rubeus color à nigro
secernitur; alioqui Sardonix futurus est.

Sardonyx.

Onyx.

Chalcedo-
nus.

Iam aliæ sunt gemmæ, quæ minimè traluent, sed nihil
aliud quam reluent, in quo censu Achates, & Iaspidis varia
genera reponuntur. Achates non quidem vt Onyx variis circu-
lis cingitur, sed quasdam gerit lineas discolores, quæ suis du-
ebus arbores, fluvios, & animalia pulcrè exprimunt. Hinc
varia sortitur nomina: nam Dendrachates vocatur, si arboris,

Corallachates, si corallii formam gerat: cùm hæc gemma formam oculi nobis exprimit, tum **Oculus beli** dicitur: siquidem nigrior pupilla suā iride cincta medium lapidis cætera candidi occupat, & varii colores miro distinguuntur ordine; adeò vt non temerè, sed doctâ naturæ manu appositi videantur. **Iaspis** *Iaspis.* portò vt Achates in diversas species diducitur, si varietas colorum differentiam inducat: ut plurimū viridis est, & cum aliis gemmis sæpe confunditur: aliquando enim cum Achate, interim cum Onyche, vel cum Sardâ permiscetur. Illustrior Iaspis vididis species punctis, aut venulis sanguineis distinguitur, nunc Orientalis Iaspis, olim Heliotropium, auctore Plinio, dicebatur, quòd hæc gemma aquæ immersa radios solares quos regerit, in sanguineum colorem mutare videatur. Non committam vt istorum lapidum vires silentio præteream. Ac primùm de Onyche auctores non consentiunt: quidam enim sensus vegetiores cum reddere, ac perturbationes animi sedate perhibent: alii tristitiam, & terrores inducere afferunt: sed ita vt præsente Sardâ, vel Sardonyche, non noceat: siquidem hæ gemmæ animum exhilarant, & quòd magis mirere, libidinum æstus temperant, fascinos amoliuntur: quòd si Cardanum audimus, litigantibus victoriam, & omnibus opes largiuntur. Sardæ pulvis austero vino infusus adversus dysenteriam, & humorum corruptionem præcipitur. Non dissimilia de Chalcedonio lapide promittunt, maximè quòd tristitia nubila discutiat. Albertus de Onyche refert quòd admotus oculis, si quid pulveris, aut sordium inciderit, abstergit: idem de Sapphro se expertum esse tradit, postquam aquæ immersus færat. Ego quidem arbitror omnes ferè gemmas, dum terfae sint, & politæ, id ipsum præstare: sed illud magis miror, quod de Sapphro se compérisse testatur, qui carbunculos, vel anthraces fugaret: vel quod ait de Smaragdo, qui, vt jam insinuatum à nobis fuit, impudicitiaz adeò est impatiens, vt in ipso veneris ætu frangatur: illud tamen experimento Regis qui tum Pannonia imperitabat, comprobare conatur. Eadem ferè alii de Sapphro refertur: forsest vt spiritus acerimi, & penetrabiles, è toto corpore prodeentes, gemmas, vel inficiant, vel disrumpant. Verùm longius evagor. Achatem tradunt venenis resū-

Ff iiij

stere; adeò ut illum lapidem nido suo substernat aquila, quod pullos à venenatis animantibus tuteatur: febricitantium ore, vel manibus contrectatus immodicam, ut ferunt, sitim restinguunt. Iaspidis præsertim rubri, & nullo alio colore infecti vires, & majores sunt, & certiores: nam collo appensus omnem silit hæmorragiam, ut saepe à se compertum testatur Boëtius, ac multas refert historias, quas nunc non est narrandi locus. Ex nova Hispania obscurior quidam Iaspis sanguineis maculis inspersus advehitur, quo sanguini sistendo nullum esse remedium efficacius ferunt. Ex eadem quoque regione lapidem tersum, & nigrum adferunt, qui vmbilico admotus hystericum morbum sanat. Iaspis viridis è collo suspensus, ita ut ranguat os ventriculi, mirum in modum stomachum corroborat, sanguinem inhibet, hydropem, & febres, quæ ex debili concoctione oriuntur, arcet; aliquando epilepsiam liberat, & variis (ut putant) medetur morbis. Iisdem planè viribus præditum esse Heliotropium autumant. Mitto futilis, & penè aniles fabulas, quæ de hoc lapide Plinii temporibus jactabantur; scilicet quod invisiibilem eum à quo gestabatur redderet: alii fingunt Heliotropium tantum fervorem aquæ, cui immersitur; conciliare, ut in vapores mox instar pluviae relapsuros exhaleatur. Nec major debetur fides Alberto, qui aquam ferventem Topaso injecto statim defervescere, idque à quodam suo sodali experimento compertum fuisse asseverat. Heliotropium non rarò Smaragdi, Prasit, & aliarum gemmarum viridianum matrix est, & quasi vena: inter Iaspidis species principatum obtinet, nisi Iaspidi formas quasdam nemorum, vel animalium natura impresserit; tum enim pluris ducitur. Mensam ex Iaspide, atque aliis gemmis compositam è solertiâ construi jussit Rodolphus secundus, ut nemorum, arborum, & florum imagines pulcrè à naturâ insculptas redderet; hòcque opus inter mundi miracula recensere non dubitat Anselmus illius Imperatoris Archiater: nam singulis gemmis tamquam tessellis inherat colorum gratia, & varietate suâ mirificè oculos pascet; neque ullum commissuræ vestigium apparebat. Iam mihi videor satis de iis dixisse gemmis, quæ minus sunt ad usum aptæ, quam ad ornatum decoræ.

Nec clam me est alios esse lapides non specie quidem suâ, sed vsu spectabiles, quorum omnium naturam, & formas non vacat describere. Illustris est lapis Lazuli opacus quidem, sed *Lazuli.* instar Sapphiri cæruleus, atque aureis maculis inspersus; adeò ut cælum sideribus ornatum exprimat. Colorem in igne non ponit, cùm lapis Armenus huic persimilis constantem in igne colorem non servet. Ex illo tinctoria cælestis, quæ vulgo ultra-marina dicitur, auro pretiosior educitur. Armeno quoque lapiде pictores vtuntur, & cæruleum præbet colorem, qui sensim in viridem degenerat. Contritum lapidem identidem abluunt, atque in aquâ limpidâ, in qua gummi Arabicum exsolutionem fuerit, agitant; pulvis subsidit; aqua alio excipitur vase, & dilutiorem subinde colorem exhibet. Quâ verò industriâ ex lapide Lazuli pretiosum illum extrahant colorem, nunc dicere, nisi id Anselmus à Boot, quem sèpe nomino, fusissimè exposuisset. Quod ad vtriusque lapidis in Medicinâ vites attinet, quarannam, epilepsiam, & apoplexiā curare creduntur: sed præcipuè lapis Armenus morbos omnes ex atrâ bile ortos domat; ni sapienter eluatur vomitum cier, sed ablatus humores melancholicos per alvum dejicit: trium scrupulorum pondere assumitur.

Restat ut quantum potero brevissimè decurrat lapides, qui ex rebus animatis educuntur. Ex veteri gallo gallinaceo extrahitur lapis Alectorius, coloris vtplurimum cærulei; hunc ore gestatum ajunt sitim restinguere, & victoriani impariti nugantur. Sunt quædam in Italiâ aviculæ, Romani palumbellas vocant, ex quibus lapilli eruuntur, qui calculum commununt: in pulverem minutissimum contunduntur: semidrachma hujus pulveris vnâ cum scrupulo cinnamomi, & tantumdem florum sambuci juscule infusa per ostium assumitur. Lapilli ex percâ, cyprino, & aliis piscibus extraëti ad eundem adhibentur vñum. Sic cancri qui exuvias ponere gestiunt, lapillos præbent, qui contriti in pulverem frangunt calculum. In vesiculâ felleâ animantium concrescunt calculi, quos adversus venena multum valere putant; maximè qui ex boum felle eruuntur. Iudæi, & Turcæ hos lapides diligenter exquirunt, quod eos naribus admotos epilepsia paroxysmos

DE FOSSILIBVS

232

Bezoar.

inhibere arbitrentur. Tunicatim verd, & quasi per membranulas solent conerescere: non secus ac lapis Bezoar præter cæteros insignis, & si vulgo credimus, viribus plane admirabilis: ex capris Indicis, vel Persicis colligitur, eumque in ventriculis gerunt. Non abhorret à vero istum lapidem ex humore viscoso cuiusdam herbae croco similis compingi: novo enim accedente succo, ex parvis initis tandem concrescit. Omnis adeò hujus lapidis virtus ex herbis aromaticis dimanat: hinc quæ pascuntur in montibus capræ, longè præstantiores præbent lapides, quæm quæ in planicie degunt; sæpe in ipso quasi lapidis centro herbae suavem odorem afflantes reperiuntur: hinc tantæ vites adversus venena, pestem, & morbos penè omnes, qui cor ipsum invadunt, vel ex putredine oriuntur. Vermes enecat, quartanae, & comitiali morbo medetur: infantibus duo dumtaxat grana; sex vel octo adultis, aquæ acetosæ, vel alteri idoneæ infusa solent præscribi. Ex capite bufonis lapillum hemisphæricum obscuris maculis distinctum, coloris cinerei, vel subnigri aliquando extrahi plerique auctores referunt: Boracem vocat Albertus; aliū Batrachitem, nostri (*Crapaudine*): crediderim istos lapillos in campis potius, quæm in bufonum capitibus occurere, atque haud scio an tantum valeant adversus venena, quantum vulgo prædicant. Coram veneno sudare aiunt: idem planè asserunt de lapide, qui serpentis ovum vocatur, & nihil est ut arbitror, quæm ovum testudinis in lapidem commutatum. Nec mirum si gemmae quædam venenis admotæ exsudare videantur; cum id commune sit omni lapidi terfo, & frigido, ut aëri calidiori expositus humescat: nam spiritus, vel halitus calidi densantur occursu frigidii corporis, atque in aquam resolvuntur. Boraci similis est Chelidonius lapis, nisi quod mole minor existit; aliquando subnigri, nonnumquam subrubri coloris invenitur: illum ex hirundinibus extrahi falsò putant: sed id proprius vero existimo, quod kirundines hujus lapilli beneficio exoculatis pullis visum restituant. Nam si pullorum oculos acu confixeris, futurum quidam aiunt, ut matres istorum lapidum operâ oculorum usuram pullis reddant. Gassendus vir alioqui non multum credulus, ejusmodi historiam refert quæ persuadet non herba Cheloniâ, ut vulgo credunt, sed lapillis sub-

*Borax.**Lapis Che-
lidonius.*

Subrubris visum pullis hirundinum restitui : hunc adeò lapidem quâdam naturæ cognitione omnes oculorum dolores amoliri putant, si globulo aureo inclusus, vel è collo pentilis gestetur. Quinetiam illius vires contra infaniam, & epilepsiam mirificè efferunt. Cæterum ut hirundines Chelidonium lapidem, sic aquilæ Ætitem ad usus quidem diversos usurpant; *Ætites*. sive ut serpentes, & venenatos animantes fugent; sive ut facilius parturiant, in nidis reponunt suis. Lapis est rotundus, coloris subnigri, minutiorum alium laillum qui nonnumquam pellucet, vel terram pingueim, & margæ similem complectatur; cortice siliceo obducitur: brachiis alligatum, fœtum retinere, femori verò appositum partum accelerare sibi persuasum habent. Marga vero, vel terra pinguior quâ Ætites quasi prægnans invenitur, terrâ sigillatâ vix habetur inferior: nam febres malignas, dysenterias, venenatos denique morbos, ne peste quidem exceptâ debellat: sed saepius est eluenda, & aquæ acetofæ, vel spiritui vitrioli infundenda. *Geodes*. Geodes inter preciosos lapides numerari non debet, quamvis Ætitem referat, atque induratam arenulam intus contineat. Sic Enhydros qui aquam in sui medio recondit, nullius ferè usus habetur. Hic multa de Margaritis, & Corallis subjicerem, nisi ista alterius essent loci. Quare nos ad metallorum contemplationem accingimus: digna res est cui aliquot horarum opellam demus: verumtamen de his à prandio. Non equidem vos prolixè accipiā: nec quicquam paravi præter quotidiana: sic enim inter nos convenerat. Iam lavemus ac discumbamus. Ipsa adeò Philosophia ut paulisper sileat est exoranda.



C A P V T N O N V M.

De metallis in vniversum.

- I. *De metallorum materiâ diverse opiniones conciliantur.*
 II. *De metallorum generatione.* III. *Vtrum in diversas species diducantur.*

M E N A N D E R.

SEDEMVS jamdudum otiosi; surgamus paulisper deambulaturi, ac disputationi nostræ finem aliquando imponamus: in hac viridi, opacâque ripâ exspiantes, tum interdum residentes, de metallorum naturâ, origine, & vsu vberius quâm soleant plerique Philosophi differamus; hi quidem contrâ quâm polliciti, professique sint, quidvis potius docere, quâm veram Philosophiam videntur. Neque abditas terum naturas evolvere, sed barbaras voces barbariùs explicare moluntur: eamdem ferè omnes cantilenam occinunt: paucis comunitatis verbis eadem à pluribus scripta sunt sèpius. Ex illorum certè lectione surgo non doctior, sed irritatior ad contentionem. Vanis quæstionibus indormiunt; puerilia quâdam consecrantur: vni Aristoteli litare volunt, quem discerpunt miserè, & in suas quique partes distrahunt. Cùm tamen non tam auctoritatis in disputando, quâm rationis momenta querenda sint.

S I M P. Rectè tu iuricas: sed vereor ne plura in diversum pecces: illi enim Aristotelem sequuntur, qui sanè ab optimo non plurimum abest, & summæ fuit apud veteres auctoritatis: tu verò vnum Cartesium admiraris, omnibus anteponis, maximè diligis. Fuit certè vir magnus, & acutus: sed neque mihi Sibyllæ folium erit, quidquid ille dixerit; neque necesse est ut Philosophi quâ veteres, quâ recentiores huic fasces submittant. Milleni te solutum esse, & liberum, nullive scètæ addictum. Profectò me illorum pudet, qui Philosophiam solâ terminorum explicatione metiuntur; intima naturæ arcana vel transiliunt,

vel supinè & oscitantes pertractant; ita ut nec quicquam ex eruditâ Aristotelis scholâ; neque ullum ex veteribus legisse; sed tantum ex indicibus, & dictatis codicibus sapere videantur. Optarem sanè vt aliquem controversiarum facerent modum, atque ætatem in litibus nollent conterere; studiosius antiquos legerent: ex iis enim liceret optima quæque decerpere, in ordinem disponere, proprium adhibere judicium, non aliena tantum excrivere. Aristotelem vt præcipuum Philosophiæ lumen sequi tutissimum est, verum tamen ab eo licet nonnumquam dissentire: supervacuus enim foret in studiis longior labor, si nihil liceret melius invenire præteritis. Nec pigeat aliquando multorum in vnum conferre inventa, & plurima experiri: nam Philosophiæ naturalis pars vel maxima constat experimentis, non vanis disputationibus continetur. Siquidem, vt ad propositum nostrum revertar, cùm agitur de metallorum naturâ, & origine, credam potius Alchimistis, Docimastis, atque iis qui metalla effodiunt, liquant, & examinant, quâm vmbriticis, & otiosis Doctoribus, qui tremulo cantu frangunt subsellia, nec quicquam experti, tatiunculis quibusdam ex Logicâ de promptis communem metallorum materiem fingunt, vel habitus nescio quem cum Aristotele, vel terram aquâ permistam cum Agricolâ, & Scaligero; vel cineres aquâ perfusos cum Arabe quodam nomine Gilgile. Irrident verò Chymicos qui metalla componunt ex hydrargyro, & sulfure. Quod si saltem cum Paracelso, vel arsenicum cum Gebero, vel denique terram chalcanthosam cum aliis adjungas; statim convicia audies: nam maledictis sæpius quâm rationibus velitantur. Nec verò timendum est, ne iis qui metalla tractant, expurgant, & resolvunt, temerè fidem adhibeamus.

Aristoteles quidem ea dicit quæ probari minimè possunt, metalla scilicet, & lapides ex vapore, instar pruinæ concrevere. An venæ metallorum, quæ vt refert Agricola 60. pedum altitudinem plerumque superant, ex halitu condensato prodiere: mirum si tenuis vapor lapides penetrat, & tam patentes diducit venas. Quæro an fumus ille antequam frigore concrescat, naturam, & speciem obtineat metalli, an nondum etiam, sed expectandum erit dum instar pruinæ, vel rotis cogatur: Enim-

De metallorum materiali Aristoteles sententia subsellitur.

verò frigus nihil generat, partes quidem divulsas colligit, ar nulli rei formam præbet. Ergo halitus nondum concretus jam metallum fuit. Quod si ita sit, latet adhuc metallorum generatio; nec dum enim satis constat, quid illi fumo metallicam speciem dederit. Is quidem vapor è succo metallico exhalatur, quemadmodum hydrargyrus sublimatus in fumum diffatur, atque instar pruinæ vasi adhærescit: sic vapor ex aquâ sublatus in aquam relabitur: neque fumi, si qui sint in mineris, aliunde quam ex ipsis metallis erumpunt. Adi eos qui venas perrent, & metalla effodiunt; roga an instar pruinæ ex fumo quem Sol evexit, densentur: vix risum eorum effugies. An Solis calor tam altè penetrat, vt tantam vaporum copiam sursum efferat? huc & illuc se versent Peripatetici licet, nihil in fodinis offendent, quod metalla ex vaporibus condensari fidem faciat. Nec tenuissimus vapor in corpus densissimum ita repente abit, quin priùs succi molioris speciem induat: natura enim ab uno extremo ad aliud non statim evolat, sed per gradus progressitur. Fateor equidem in mineris metalla instar roris asperfa nonnumquam occurrere: sed id perraro evenit, cùm scilicet mercurialis humor calore subterraneo effertur. Quòd si ea foret metallorum origo, ejusmodi aspergines in omnibus fodinis invenirentur; vel certè longè essent crebriores: neque ex iis quæ vix, aut numquam eveniunt, firmissimum argumentum defumitur. Mixta quidem imperfecta formantur ex sublati vaporibus, qui conjugio instabili vniuntur: sed nego plantas, animalia, lapides, metalla denique cogi ex fumis levissimis.

Hoc igitur vt opinor dabis, metalla non ex vaporibus, sed ex succis, vt mixta ferè omnia quæ perfecta vocitantur, concrescere. Et quoniam omnia persequimur, (volumus sanè) intuendum est vtrum ex aquâ & terrâ subtilissime permistis, an potius ex hydrargyro, & sulfure metalla exsurgent; res sanè est plena dissensionis, atque haud scio an dijudicari vñquam possit; ita sunt contrariatum rationum paria mo-

*Metalla ex
terra & a-
quâ compin-
gi, sed non
juli.*

menta. Terram quidem, & aquam ad metallorum generatio- nem conspirare nemo ibit inficias, nisi quis ita absurdus sit, vt illa ex elementorum albo expungat: sed aquam esse terrâ vñeriorem quidquid Scaliger reclamet, cum vniuersâ Philo-

sophorum manu arbitror. Hoc enim inter lapides, & metalla interest, quod in illis terra, in his aqua sit copiosior: hinc metalla liquantur, & ductilia sunt, non item lapides, in quibus regnat siccitas: nec malleo produci possunt, quod præ siccitate resistant, & percussi dissiliant. Metalla vero humidiora cum sint, non facilè comminuuntur, sed percussa cedunt, & malleo obsequuntur. Taceo metalla frigore coagulari, quod in iis humor dominetur. Iam ut ad ea quæ magis sunt controversa veniam: humidum illud quo abundant metalla aquosum esse nequit: non enim madefacit, nec facilè exhalatur: quare illud tenax est, & viscosum, cujus partes inter se consertæ sunt, & colligatae. Sic humidum primigenium animantibus viscosum à naturâ concessum est, ne calore citius evolaret. Terram vero, & salem cum illo humore pingui, & viscofo exquisitissimè commixta esse, hinc licet conjicere, quod metalla fusâ nec madefaciunt, neque instar olei diffluent: terra enim admista humorem terminat, neque eum effundi, vel aliis corporibus sinit adhærefcere. Terra igitur ad metallorum generationem concurrit, sed non sola. Propius vero sentit Agricola, qui aquam jam ab aliis elementis affectam, & alteratam in metallis prævalere arbitratur, quam Scaliger qui in iis plus terræ, quam aquæ inesse putat: nam quæ terrea sunt, ignis ardoribus induantur, non liquefcunt. Neque Gilgilis ferenda sententia est, quâ metalla ex aquâ, & cineribus instar vitri conflari existimat. Præterquam enim vitrum fragile est, nec tanta sunt in fodinis ipsis incendia, quæ terram in cineres redigant, illud quoque accedit, quod vitrum non extraneo, sed insito, atque adversus ignem contumaci humore constat; neque aqua cum cineribus ita permisceri potest, vt ex iis vitrum, vel metallum concrescat. Sed explicat Chymicorum sententiâ, ista corruent vñiversa. Quapropter metalla neque ex vaporoso halitu, neque ex aquâ, & terrâ; sed ex mercurio, sulfure, & chalcanthoso falc prognata arbitror.

Primum vero vos credere sulfur commune, & fetidum, vt vulgarem hydrargyrum statui à nobis metallorum principia: hæc enim sunt sulfuris, & mercurii metallici recrementa; vel certè materies cruda, indigesta, & depravata, quam virtus

*Sententia
Chymico-
rum affini-
tum.*

Gg iij

mineralis, & plastica in metalla excoquere, ac maturare non valuit; magna sanè est metallis omnibus vel cum sterili hydrargo societas: nam in hoc solvuntur; atque in substantiam fluxilem mercurio similem, quæque frigore non figitur, artificum industriâ reducuntur: idque ipse fatetur Erastus (vt Alchimistarum inimicum potissimum nominem) qui se hujus rei testem oculatum sistit. Metallorum quoque proprietates hydrargo convenient: nam in aquâ stygiâ exsolvitur, calcinatur, metallorum colores induit: hoc solum ab iis dissidet, quod sit fluxilis, & fugax; tametsi plumbi fumo, atque ipso sulfure induretur. Addamne in venis auri, & argenti auctore Plinio inveniri, atque è cadmiâ argentiferâ, & bismuto copiosum elici? Omnes ferè morbi qui fossiles invadunt, ex argento vivo scaturiunt. Aquæ etiæ, quæ metallorum venas alluunt, argento vivo plerumque inficiuntur: hinc circa fauces multam colligunt pituitam. Quare meâ quidem sententiâ mercurius materiam, & pondus, sulfur tintetur, & formam metallis confert: nam sulfur ad eorum compositionem pertinere Alchimista ferè omnes consentiunt. Metalla quippe præter aurum omnia comburi possunt, & dum excoquuntur, sulfureum odorem naribus afflant. Nulla vena dum torretur, non fœtet, & fumum exhalat sulfureum. Ex omni pyrite (lapis est metallis Lib. 3. de prægnans) sulfur exskillatur. Vidi, inquit Albertus, quod in monte æris ligna viridia ad lapidem æris appodiata, statim cremabantur, propter abundantiam sulfuris, & pinguedinis egreditur de lapide æris.

Objectiones. Neque obserum est quid soleant objicere; sulfur omne esse combustibile, metalla vero dum eliquantur, non incendi; absurdum esse pinguedinem in iis fingere, quæflammam non concipiatur, quæque nullo sensu, nullâ ratione percipi possit. Diu est quod Albertus hanc diluit objectionem, duplice sulfuris adhibitâ distinctione; aliud enim est extrarium, impurum, & fæculentum, quod ignem non sustinet; aliud rebus ipsis intimum, exquisitè permixtum, optimè digestum, & ignis patientis. Vino ipsi quædam excrementitia, & sulfurea pinguedo innarat; sedalius est pinguis humor per totum vini corpus fusus, qui non nisi distillatione elicetur. Norunt artifices metho-

*Metalla ex
hydrargo
& sulfure
confire.*

dum, quâ sulfur communē ex fugaci fixū reddant, & incombustibile. Norunt ē metallis oleum pingue, & sulfureum extahere. Exquisita mercurii cum sulfure permīstio mercūtium figit, ne calore statim avolat, atque hydrargyrus sulfur ab ignis violentiā tutatur. Argentum vivum à sulfure indurari, præter cætera cinnabaris demonstrat, quæ ex sulfure, & mercurio concrevit; hic omnibus metallis tamquam materia substernitur; illud formam, & tincturam præbet.

M E N. Ego planè vellem me arbitrum inter Philosophos, & Chymicos datum: nam rebus, vt mihi viderur, conveniunt, verbis discrepant. Aristoteles ex vapore, & halitu; alii ex terra & aquâ; Chymici ex sulfure, & mercurio metalla compingunt: nonnulli salēm, vel arsenicū, vel chalcanthū adiiciunt: in omnibus ratio consentit, oratio pugnat. Siquidem Philosophi remotam, Chymici proximam adferunt materiam: illi inquirunt primam metallorum originem; cùmque ex vapo-re halituoso mixta omnia prodeant, atque in eum resolvantur, non absurdē hic fumus primum fossiliū rudimentū, & materia constituitur. Quod si in sublimi aëre aliquando generentur metallorum ramenta, vt historiarum monumenta prodidere; neque eō quicquam pervenire potest præter vapores aut fumos; palam est metalla ex halitu in terræ visceribus concreto efformari. Adde metalla, atque eorum venas filatim, & quasi pectinatim concrescere, quod omnibus mixtis quæ ex densato halitu gignuntur, commune est. Neque assūtor quomodo succi crassiores permisceri queant, nisi iidem in vapores diffundentur. An terra cum aquâ ita commisceri potest, vt in minimas partes utrumque elementum concidatur, quemadmodum mixtionis leges exigunt, nisi prius in tenuissimos halitus diducantur? Albertus ipse qui Alchimistis plus satis indulget, ac metalla ex pingui, & viscoso humore compingit, in sententiam Aristotelis vel invitus delabitur. Isenim cùm de loco generationis metallorum edifferit, aurum in lapidibus duobus modis inveniri docet: aliquando per totum lapidem quasi diffunditur, cùmque flavo tingit colore; interini vinas dumtaxat auro prægnantes conspicimus: cuius discriminis causam reddit: nimis quod fumus ex quo aurum, & reli-

Diversi opioniōne: con-ciliantur.

qua metalla prodiere, per lapidis meatus discurrens sensim congeletur. Cum igitur lapis est porosus, tum fumus ille mineralis illius substantiam penetrat, & eum eo confunditur: sed ubi solidior est, & compactior, tum halitus venarum ductus sibi aperit, nec totum lapidis corpus permeat. Sæpe auri ramenta fluvii devehunt, quæ in filamenta tenuissima diducuntur, quod exhalatio de sub terrâ etumpens, aquæ frigore repercutta congeletur. Qui metalla ex aquæ & terræ exquisitâ missione compingunt, ii communem fossilium, non metallis propriam materiam adducunt. Quis enim ignorat fossilia ex terrâ, & aquâ proficiunt: sed eamdem gemmis pellucidis tribuunt originem. Addit Cæsalpinus nullum humorem aqueum præ frigore effici ductilem, & pressilem. Neque tamen ibo inficias aquam in metallis abundare; sed ea jam est alterata, atque ab aliis elementis sic affecta, ut aquæ nomen jam non possit usurpare; nisi fortè malis corpus nostrum ex aquâ, quam ex humoribus compingi. Nihiligitur impedio quominus aqua cum terra subtilissime commista argentum vivum, vel mercurius appelletur, & communis metallorum materies censeatur: tamet si non facilè concessero ejusdem esse naturæ cum hydrargyro: nam plerique hydrargyrum inter metalla numeratum volunt: omnes illi metallorum affectiones præter consistentiam, & soliditatem conveniunt: quod si metalla resolvantur in mercurium argento vivo similem, is facilè in metallum reducitur, ac pristinæ restituitur firmitati; adeò ut naturam metallicam minime exuerit. Ferrum in æs, ut plumbum in stannum non ægrè commeat, nec continuò unum alterius est materia, vel principium. Sic inter plumbum, & hydrargyrum magna est affinitas, & unum alterius naturam facilè induit: sed nego hinc rectè colligi argentum vivum plumbi, atque aliorum metallorum communem esse materiem. Fortasse hydrargyrus nimio humore difflit, qui sulfuris, aut aquæ fortis beneficio temperatur, & metallicam durietem assequitur. Nec mihi aliorum Chymicorum sententia displicet, qui metalla ex terra chalcanthosâ, & sulfure componunt: nam omnia ferè metalla in vitriolum resolvuntur; atque in omnibus fermè mineris, venis, & marcassitis fecundis atramentum una cum sulfure offendunt.

dunc. Vitriolum è metallis extractum si in sua dissolvas principia; terram quæ in vitrum cum suo sale conflatur, & funditur; aquam mineralē, & pinguedinem sulphuream proliches. Magna sanè est inter sulfur, & atramentum cognatio; ex vitroque spiritus acidus, & penetrans elicitur; vitrumque figi potest, & soliditatem, vel firmitatem sufficientem acquirere; ex his magna tinturarum, vel colorum oritur varietas; nec convenienti carent pondere: adeò ut vitriolum, & sulfur materiem saltem remotam metallis præbere mihi persuadeam. Neque alia excludo mineralia: nam arsenicum in plumbo animadvertisimus; nitrum quod in rebus cæteris invenitur, à metallis forsitan non abest: mira certè & stupenda in iis fundendis, excoquendis, & dissolvendis nitrum operatur.

Quòd si, ut Cartesio videtur, interior telluris pars, & quasi nucleus sit solidior, & compactior, profectò metallorum omnium corporum solidissima, in intimâ terræ regione reconduntur: quedam dumtaxat illorum particulæ, & quasi venulæ in superiorem, & molliorem telluris portionem excurrunt, ac diffunduntur, quas fortè succi acres, & corrosivi exsolverunt, atque eas partibus oleaginosis involutas calor subterraneus in extimas partes evexit. Omnesquidem Chymici metallorum naturam ex sulfure, mercurio, & sale componunt; sed tamen de illis principiis inconstantissimè loquuntur. Nonnulli commune sulfur, vulgarem hydrargyrum, & salis in aquâ exsolubilis quoddam genus intelligunt. Negant alii ex sulfure, & argento vivo metalla coalescere, vel in illa resolvi posse: sed mercuri nomine humidum quoddam vñctuosum, crebris sublimationibus, & variis coctionibus expurgatum, quod metallici spuma fermentantem dicunt: sulfur verò calidum innatum, vel quamdam lucis portionem ratione seminali, & vi plasticâ donatam volunt intelligi. Negant quippe elementa quicquam gignere, nisi seminibus è cælo defluentibus fœtentur; ac miram sanè nobis mineralium generationem describunt. Placet illis Solem radios, & influxus suos in terram, tamquam in commune centrum effundere; lux quidem opaci corporis occursum resilit; calor verò qui lumen comitatur, ulterius progreditur, quoque in communice collectus ignem gehennæ ibi acc.

*De metallo-
rum genera-
tione ex
Cartesio.*

*Dissidentes
chymicorum
de metallo-
rum genera-
tione opini-
ones.*

cendat; atque hinc per totam terram fusus, vbi materiam humidam, & gignendis metallis idoneam nanciscitur, eam digerit, coquit, indurat. Rationes vndique colligunt, quibus tam deliras opiniones stabiliant. Metallorum substantiam calore paulatim cogi, & durefcere multis probant argumentis: id quidem concedimus. Sal quippe, & alii succi calore, non frigore concrescunt: nec frigus quicquam generat; quamvis ultimam perfectionem & consistentiam metallis conferat, speciem tamen iis non largitur; nec eliquata metalla naturam mutant; in ipsis fodinis non frigus, sed magnos aestus sentiunt metallarii. Hinc latentis venæ argumentum desumunt, ex coruscationibus, & cæruleis flaminis, quæ identidem terram allambunt; ac quidam sulfureus, & calidus vapor ex iis locis solet erumpere qui facilè percipitur. Hinc etiam nives in iis regionibus statim liquefcunt, nec ros concrescit, neque arbores proceræ, vel læta gramina assurgunt; sed pallidis, & tenuioribus foliis sterile, & exustum solum indicant. His sanè ultro assentior, verùm huc animum patare non possum, ut credam calorem è sideribus manantem totam terram pervagari, atque in illius medio tanta incendia procreare. Quòd si cryptæ subterraneæ à calore solis tutæ sunt; si gelidæ aquæ in ipsis terræ penetralibus discurrunt, atque in antris Hungariæ aqua saepè in gelu concrescat; profectò Solis calorem usque ad telluris centrum pervenire nemo sanæ mentis crediderit. At inquiunt, calor numquam retrò, sed prorsum semper diffunditur; idque multis experimentis comprobant: nam si prunam ardentem erectæ laminæ imposueris, prunâ sublatâ inferiorem laminæ partem multum incaluisse coimpries, cùm superior omnem calorem exuerit. Quando ad ignem proprius assides, si forte argentum in crumenâ reconditum habeas, id certè multum caloris concipiet; quamvis vestimenta non adeò incauerint. Verùm hoc quidem ut volent; sed quis illis daturus est calorem gradatim usque ad terræ centrum pervenire, atque illinc in omnes diffundi partes. Frustra nunc quaerimus loca arboribus opaca, quòd recreemur ab æstu Solis, si frondes arborum lumen quidem, non ipsum calorem arceant: nec video eur æstate loca subterranea habeantur frigidiuscula, si calor

semper rectâ promovet, neque vñquam reineat. Longè satius foret eos fateri potius nescire, quod nesciunt, quām ista effutientes nauseare. Sed esto calor centralis, vt loquuntur, metallorum substantiam digerat, & perficiat: an licebit hunc calorem sulfuris nomine designare? effectricis, non materialis causæ titulo, vt opinor, metalla procreabit. Fac id quod ne intelligi quidem potest, mihi esse persuasum, fossilia ex suis seminiis prodire; hæc semina ex astris in terræ penetralia, medio calore tamquam vehiculo deduci; calor substantiam crassam, & humidam, quam mercurium nominant, resolvat, ac reddat puriorem, dum crebris sublimationibus excrementa sua deponit. An continuò calor illé cælestis substantiam fossilem materiæ, vel sulfuris nomine ingreditur? Hæc vtique ferrem si calorem inter corpora, non inter qualitates numerarent: at quifieri potest, vt accidens fungatur munere materiæ, atque in corpus facessat? Verùm nos tarditatis accusant, quod mente non assequamur quomodo spiritus in corpora, & qualitates in substancialias commicare possint. Invisibilia semina quotidie induunt corpora: lux ipsa Solis abit in substantiam palpabilem. Nobilissimus Dibæus se ab amico intimæ admissionis, & fide dignissimo factum fuisse certiorem testatur, lucernam per vasa vitrea, & concava certo quodam modo disposita in purpureum, & minutissimum pulverem præcipitari. Ignis calor incrementum, substantiam, ac pondus rebus addit: hinc liquores viscosi è mineralibus prodeunt, Soli expositi, vel igne moderato digesti, mole, & pondere augmentur. Multa in hanc sententiam adferunt, quæ nunc non est discutiendi locus. Illud quod antè jeceram, iterum inculco, Chymicos inter, & Peripateticos de naturâ, & generatione metallorum posse convenire. Vtrique ex duplice potissimum materiâ, quarum altera humida est, altera siccior, metalla quæque componunt: illam Chymici mercurium, vel aquam viscosam; hanc sulfur, animam, vel tincturam vocent, mihi petinde est. Dum res intelligatur, in verborum vsu faciles esse debemus. Sed neque halitum Aristotelis cum vapore conjunctum rejiciunt: nam vapor humidus mercurii; halitus siccus sulfuris vices obit: frigus quidem coagulat; at calori metallorum ge-

neratio debetur: nam calor superfluum humorem expellit, eleminta permiscet, superflua excernit: frigus verò miscibilia potius confundit, quam misceat. Generationis metallorum modum Philosophus non absurdè explicat pruinæ, vel roris exemplo: hæc enim, ut cætera meteora, ex vapore, & halitu procedunt; sed exhalatio secca humidum vaporem circa deserit; hinc vapor in aquam concrescit: in metallis secùs contingit; halitus quippe apprehendit vaporem, eumque figit. Metalla frequentius in montibus generantur, quod ibi terra sit rara, & multis meatibus pervia; calor ibi acrior conservetur; nec restringent aquæ, ut in camporum planicie. Primum verò metalli rudimentum est substantia quædam falsa, in aquâ exsolubilis, quæ paulatim excoquitur, neque aëris amplius, vel aquæ injurias reformidat. Nec tamen pertinaciter negaverim metalla quandoque in extimâ terræ superficie procreari. Auri granula quæ ex multis fluminibus colliguntur, non ex montibus torrentium impetu devolvi putem: nec tam facilè aurum à suâ minerâ abraditur, neque ab aquâ præterfluente tam longè potest devchi. Illud sane aurum quod apud Indos in montium jugis arenæ, vel terræ admistum offendunt, in terræ penetralibus non gignitur. Belgæ cespitibus sulfureis, & bituminosis vice ligni veuntur, ex quibus sulfur, & arsenicum, imò cuprum, & ferrum ex paulo profundioribus erunt, quod indicio est non solis terræ visceribus metalla condit.

Vnde metallorum pondus, & ductilitas. Quid mihi de effectrice causâ, quid de metallorum materia videretur, exposui; Philosophus cum Chymicis in gratiam redigi posse ostendi: nec difficile erit ex his veluti principiis omnes metallorum affectiones deducere. Quo enim partes terrestres cum aquosis, vel humidis exquisitiū permiscentur, eo metallum gravius exsurgit: nam pauciores, & angustiores meatus admittit: hinc ductilitas oritur, quia partes densissimæ, exiguae, & maximè complicatae in amplissimam superficiem duci possunt. Quapropter aurum præter cætera metalla, & pondere, & ductilitate excellit: neque est cremabile, quod partes ejus sint densiores, & magis confertæ, quam ut exhalari queant: aqua terram ne comburatur, terra aquam tuetur, ne avoler; neutra alteram deserit; sed ardissimo vinculo stringuntur.

tur: humor ductilitatem, terra præbet soliditatem. Vbi mixtura minùs accurata occurrit; seu terra dominetur, seu aqua; nec tantum invenitur pondus, quòd ampliores pateant measus; neque metallæ igni adèò resistunt: nam si terra copiosior est, vt in ferro, vel abundat aqua, vt in plumbo, calor vnam ab altera divellit; humor evolat, terra in scorias fecernitur; nec metallum citra magnum sui dispendium funditur.

Verùm de metallis mox scorsim agemus: neque hic discutiendum arbitror, vtrum metallæ vna specie contineantur, ac solis accidentibus dissideant, vt placet Alchimistis, an potius, *An metallæ
vna specie
contineantur.*
vt Peripatetici contendunt, in diversas scindantur species: utrisque argumenta non defunt. Hi quidem diversa metallæ ex fodiinis itidem diversis erui, atque ex variis principiis coalescere demonstrant: addunt affectiones, vel proprietates omnino diversas formarum distinctionem arguere. Alchimistæ vt possibilem metallorum transmutationem esse persuadent, illa non specie, sed gradibus discernunt: adèò vt omnium vna, & communis sit origo, eadem sint primordia, solius loci, vel matricis diversitate distinguantur. Natura ipsa aurum gignere meditatur, sed defunt se locorum congruæ opportunitates, nec exspectatur tempus, dum imperfectum metallum prædestinat perfectionem assèquatur. Aurum itaque ferro præstat, quòd nactum sit sulfur, & mercurium optimè digesta, atque ab omnibus extraneis defæcata: non item ferrum, cuius sulfur impurum, & combustibile cum mercurio malè cohæret. Hinc metallæ imperfecta artificis manu elaborata auri perfectionem consequuntur: ex omnibus aurum extrahitur: vix illud purum ab omni argento, & cupro liberatum occurrit; ex iisdem eruuntur mineris diversa metallæ. Innumerabilia profertur, ex quibus effici colligique possit vnam esse omnium metallorum speciem, nec formis, sed accidentibus differre. Neque hic pacem Chymicos inter & Philosophos componi posse existimo: nam de summâ rerum agitur: & nisi me conjectura fallit, Alchimistarum permultum interest omnia metallæ in vnam speciem concludere, vt Elyxit suum, quod artis caput est, facilius tueantur, atque ab omni absurditate vindicent. Hæc crederem nisi hoc hominum genus magnificè mentiri so-

H h iij

leret: nam isti Ciniflones multa pollicentur,

Quæ cuncta aërii discerpunt irrita venti.

S I M P. Non est ita, optime Menander, nec metalla vna specie contineri Alchimistatum principes credidere, neque id magni ad transmutationem comprobandam refert. Quod si præter calorem & frigus nulla foret metallorum effectrix causa, in hanc fortè sententiam nobis liceret concedere: (quamquam varia mixtio diversas quoque inducat species) at metalla, ut lapides ex suis seminiis oriri, vi quâdam plasticâ non errante, & vagâ, sed stabili, vbiique gentium eodem planè modo operante, jam identidem demonstratum à nobis esse puto. Non quod animâ vegetatrice donentur, quamvis specie plantarum crescere, in truncos, & ramos diffundi, ac sursum eniti videantur: sed in seipsis sua gerunt semina, neque ut plantæ scruntur, at vis formatrix, quæ sulfuri inest, materiam paulatim immutat, maturat, atque ad suam perfectionem ducit. Hoc quidem sulfur non è cælo, non à sideribus depluit, non ex igne centrali proficiscitur, ut nugantur Paracelsistæ, sed ejusdem forsitan est naturæ cum vulgari sulfure, nisi quod longâ alteratione in fixum, purum, & incombustibile evafit. Non absurdè metallorum anima vocatur; nam iis speciem largitur, & formam, ac custos est virtutis seminalis ab auctore naturæ insitæ: neque enim calor, & frigus rebus formas impertiunt. Cedo quid aliud conferre possit calor, quam heterogena separate, vel resolvere? Quod si substantiam procreat, carnem generat, metalla perficit, non causæ principis, sed instrumentaria titulo operatur. Gladium quidem calore, vel frigore indurati, aut emolliari scio; at forma gladii ab arte solâ repetitur: sic ratio ferri, vel auri ab intimo naturæ principio ducitur, non à nudâ, & sterili qualitate. Cum igitur specierum diversitas ex naturæ abditis seminibus hauriatur; neque vna sit omnium metallorum ratio seminaria; nec solius auri generationem natura molliatur; cum cætera metalla suos habeant vsus, palam est non vnam esse metallorum formam. Neque audiendi sunt Paracelsistæ, cum ferrum nihil aliud præter aurum immaturum esse definiunt: neque hinc argumenta adversus metallorum transmutationem depromi possunt, cum nihil sit in naturâ tam vulga-

*Metallorum
de versis effe-
specier.*

*De effectri-
ce causâ me-
tallorum.*

tum, quām specierum commutatio. Nec mirum si metalla, quae cum auro composita sunt imperfecta, vbi suo sulfure exuuntur, atque in communem resolvuntur materiam, & auri sulfure foerantur, in aurum facessant. Humor ad radices arboris illabens, in ipsius plantæ naturam, & soliditatem convertitur; alimenta in sanguinem, hic in carnem abit; ac tota natura his mutationibus plena est: sed hæc posterius. Nunc vero istuc non dabunt Philosophi metalla suo sulfure exui posse, atque in communem materiam, quam mercurium vocant, reduci: nec Chymicis fidem habent, cùm variis demonstrationibus, & experimentis idipsum confirmare moluntur. Vnum item & alterum ex Heliophilo adducam experimentum, quo exploratum sit metallum ex argento vivo coaluisse, atque in illud redigi posse. Neque per longas ambages procedere necesse est. Plumbum in pulverem minutissimum redigunt: id sanè vsu tritum, & pervulgatum est; funditur, in vase cretâ obducto agitur, quo usque comminuatur in granula; vel fusum inter patellas ligneras cretâ oblitas conteritur. Argenti vivi vicia in duabus aquæ fortis exsoluta, phialæ vitreæ occlusæ imponitur; leni calore dissolutio promovetur: vbi hydrargyrus in aquam limpidam abiit, tum plumbi pulveris vicia sensim immittitur, ne aqua nimium effervescat. Statim argentum vivum instar calcis albæ præcipitatur: plumbum vero continenter agitatum resolvitur in hydrargyrum; adeò ut tres illius partes soleant in mercurium converti, vna dumtaxat superficie. Argentum vivum, quod in fundo subsidit, alio vitro excipitur, & cùm libebit pristinæ naturæ, ac ponderi reddeatur; hydrargyrus autem ex plumbo extractus vulgari paululum lividior, & seignior per corium trajicitur. Sic ferri mercurium educunt vegetum, & planè igneum beneficio hydrargyri, & salis ammoniaci. Hæc si vera sunt, quæ sanè experiri in proclivi est, manifestè colligitur metallum ex hydrargyro, & sulfure, vt Alchimistis, & metallurgis videtur, coaluisse, atque in ea ex quibus prodierunt, resolvi posse primordia. Sed de metallis nunc sigillatim, & distinctè agendum.

*Qua arte
metalla in
hydrargy-
rum redu-
cantur.*





C A P V T D E C I M V M.

De metallis seorsim sumptis , vbi fusè de
transmutatione metallorum.

I. *Transmutatio metallorum diversis rationibus impugnatur.*

II. *De singulis tractatur metallis. III. Transmutationis possibilitas afferitur. IV. Objectiones diluntur.*

T H E O P H I L V S.

ON mihi facile fidem faciunt Alchimistæ , qui verba dare , & credulis solent imponere : Atali divitias promittunt , cùm ipsi inopes , & pannosi huc & illuc circumcurvantur , & errores ferantur. Egestas ipsa quâ gravantur , vanitatem artis satis demonstrat : magnificè tamen , & gloriòsè loquuntur ,

Atque immensa cavî spirant mendacia folles.

Adeò ut mihi permirum videatur tot inveniri viros nobiles , qui ab hoc nequissimorum hominum genere decipi se tam facile patientur . Utinam hic vanus essem : sed scriò ringor , cùm video horum veteratorum fraude tot ingenuos homines deludi , qui reū simul , & famam miserè decoquunt , & serò sentiunt suæ credulitatis labem . Quod me magis angit animi , non desunt illustres Philosophi , qui frigidam suffundere , atque animos pecunia avidos incendere non dubitant , dum Chymicos summâ ope propugnare , & artem transmutatricem esse possibilem , enixè persuadere moluntur . Mirum si Alchimistarum arti plus liceat , quâm ipsi naturæ , quæ rerum species non commutat : neque aurum alibi quâm in propriâ matrice , & venâ procreat ; nec denique tantum opus in momento , sed post multa annorum volumina absolvit . Ignorant Chymici quæ sint auri primordia , quod temperamentum , quæ natura ; & temerè pollicentur se quodcumque metallum in aurum esse commutaturos . Norunt scilicet vertere rerum species ; aurum in fu- mos resolvunt , & plerunque pro thesauro inveniunt carbones .

*Rationes
varia , qui-
bus mettal-
rum trans-
mutatio im-
pugnatur.*

nes. Omnes auri partes adēd inter se cohārent, vt nullā arte separari queant, neque alteri corpori adhārescere. Hinc aurum neque corpora suo colore tingit, neque est cremabile; nulla quippe ignis vi exhalari ex eo quicquam potest. Si quid aliquid, aut si quae fōrdes ipsi adhāreant, salibus acutissimis, vel plumbo liquato eluentur: rubiginem non contrahit, quia nihil expirat; nihil olet, nihil sapit; ne igne quidem absuntur; haustum eodem pondere egeritur: quare nullum in Medicina usum obtinet: nec demum in liquorem potabilem abire umquam potest. Quā igitur arte, quibus machinis in hydrargyrum possunt resolvēre, tincturam, sulfur, vel formam extraherē? sed quod monstri simile est, forma ab auro separata plumbum, vel hydrargyrum perficit, & industriā artificis exaltata, formæ, seminis, & effectricis causæ obit munera: nam tudem informati materiam, foetum aureum parturit, arque instar granī tritici sese felici prole multiplicat. Auditis delirantium somnia, non Philosophorum judicia. Aurum formâ suâ exuitur. Nescio an vllâ arte corrumpi queat; tametsi facilius est rem destruere, quam gignere. Forma avulsa conservatur. Et quidem arbitrabar nullam formam, si animam rationalem exceperis, consistere posse separatam. Quinetiam illa auri anima (sic enim loqui solent) tantam puritatem, tantas vites in vasis vitreis adipiscitur, vt in momento temporis colorem, pondus, substantiæ firmitatem plumbō liquato impertiat. Nos verò tardis sumus qui rem tot rationibus, tot experimentis comprobatum non assēquamur, ac nobilissimæ arti calumniemur. Artem sanè mirabilem prædicant, quæ naturam longè superat: nam materiam præparat, formam inducit, rerum species commutat, & perficit; huic demum natura ipsa famulatur.

Quò verò tanta nobis persuadeant paradoxa, nullis ferè videntur rationibus; sed pugnant commentitiorum exemplorum mirificâ copiâ: Raimundum Lullium, Arnoldum de Villâ Novâ, & totum Chymicorum senatum citant, quibus sanè non assentior, sed magis si opus est eos refellam. At Ioannis Andreæ Iurisconsulti inconcussum auctoritatem usque ad nau-

Arnoldum de Villâ Novâ in curiâ Romanâ summum Medicum, & Theologum, de quo scriptinus consilium de observatione jejunii, qui & magnus Alchimista, virgulas auri quas faciebat, consentiebat omni probationi summitti. Mirum si Arnoldus tanti arcani conscientis non Medicinam modò Sacerdos exerceret; sed etiam de stipendio, ut ferunt, cum ægrotos inviceret, satis folidè pacisceretur. Negat Albertus se vidisse aurum ex Alchimistarum officinis productum, quod omnia ignis examina sustineret. An non potuit Arnoldus Ioanni Andreæ, atque aliis illudere? Colligunt innumera exempla, quæ nullo satis idoneo auctore nituntur, atque ab iis proferuntur, qui hujus artis amore depereunt, & quo plus impendere, hoc minus volunt defistere: alios vero in sui erroris confortium trahere gestiunt, ne soli insanire videantur. Quorsum spestant omnes Hoghelandæ historiæ de nobili Scoto, qui Coloniae Agrrippinæ anno 1603. coram aurifabris ferrum, & plumbum in purissimum aurum convertisse, atque idem Basileæ, & Argentorati præstisset, ac frusto hujus auri Zuingerum donasse fertur. Mitto id quod Barnaudus de Anshelmo Boëtio refert, idque ex ejus ore accepisse proficitur. Summa est, cum Anshelmus Alchimistis foret iniquior, atque artem omnino impossibilem arbitraretur, ut ex ejus scriptis facilè colligitur; forte quadam incidit in libellum, cui nomen Cymbalum aureum, & aliquot granula pulveris rubei chartulâ involuta offendit, vna cum formulâ verbis ænigmatibus, & obscurioribus, qui mos est Alchimistarum, expressâ; tum coram aurifice semel, atque iterum, conjecta hujus pulveris portiuncula in hydrargyrum, statim eum in aurum purum putum commutavit. Credere fortasse, si Anshelmus id memoriae prodidisset, sed Barnaudi, atque aliorum Chymicorum fides valde mihi suspecta est: magna quippe pars artis est scitè mentiri. Prætereo quæ de Pharmacopola Trevisano, qui coram Reipublicæ Venetæ Duce, & aliquot Senatoribus argentum vivum in aurum convertit, referente Hieronymo Canlano, & aliis pluribus, commemorant. Mitto denique quod præter cæteros de Kelleio Anglo Penotus Aquitanus narrat. Pragæ, inquit, meo tempore idem ab Eduardo Kelleio factum est in ædibus D. Aggetii Thadæi, vbi

libram integrum argenti vivi in purissimum aurum conversam guttulâ vnâ pulveris rubicundissimi vidi. Extat adhuc, & servat ut incredulos exemplo illo vincat. Præ manibus sæpius habui; & quod magis mirum est, restat videre signum illius latice hærentis supra mercurium in aurum conversum, instar rubini. Horum sanè omnium vna depulsio est, non temerè fidem esse adhibendam Alchimistis, quorum maximè interest artem suam splendidis efferre mendaciis. Summa voti est credulos divites emungere; quo id fiat, norunt dignitatem nugis addere, fabulas texere, multa exempla colligere; & si quem offendent, qui jam in hanc artem insaniat, incendunt plus satis, magnâ spe lactant, atque ægrotum animum plerumque ad deteriorem partem applicant. Nemo cui mens sana contigerit, cum istis impostoribus inibit societatem, sed hos effugiet tamquam scopulos multorum exitio infames.

S I M P. Assentior planè, ac nemini auctor fuerim, vt temerè Alchimistis fidem adjungat. Hoc hominum genus imposituræ nomine non immerito suspectum est: quod si tantam callerent artem, non iis foret res angusta domi. Plures vidi ad incitas redactos, qui grandes auri summas exsculpere magnificis pollicitationibus nitebantur; modò non montes auri promittebant, cùm gravi rerum omnium inopâ premerentur: qui verò ex hac arte ditesceret, vidi neminem. Sed soli sumus, & quod quisque sentit, licet impunè dicere: artem quâ metalla transmutentur, arduam quidem, periculi plenam, & à paucis compertam, at impossibilem esse minimè arbitror. Atque ut præpostero ordine tecum agam; historiæ ipsæ quas protulisti, quantumvis Chymicorum auctoritatem eleves, ferè mihi persuadent artis veritatem. Nam si in re capitali trium hominum testimonia recipimus; quo jure, quâ ratione tot illustrium auctorum fidem contemnamus? Verùm ea fallit fortasse nonnumquam, fateor: sed tamen ad veritatem sæpiissime dirigit: nec facile, & temerè rejici debet. At Chymici in propriâ causâ non sunt audiendi. Quibus igitur auscultabimus? an fortè Misochymicis, qui istash artem ne intelligunt quidem. Quid enim, vt Tertulliani verbum usurpem, iniquis, quâm vt odiunt homines quod ignorant, etiam si res meretur odium: tunc

Iij

*Transmu-
tationis p/
sibilitas af-
seritur.*

*i. Exempli:
comproba-
tur.*

enim meretur, cùm cognoscitur an mercatur. Taceo de Chymicis. Sanctus Thomas, Albertus Magnus, Fernelius, atque alii Philosophiae principes artem esse possibilem apertissimè concludunt. Idem tradunt Marsilius Ficinus, & Ioannes Franciscus Picus Mirandulae Comes, vir omni exceptione major, qui se multoties expertum fuisse metallorum transmutacionem, atque aurum ex plumbō factū omni examini subiecisse restatur. Multa quidem exempla præter ceteros refert Euvaldus de Hoghelande, nullum sine locuplete auctore, & teste. Quem non moverit historia nobilis Germani Stauberger, qui acceptis à Medico aliquot drachinis pulveris argentifici, coram Philippo Secundo Hispaniarum Rege, & multis proceribus, ferventem hydrargyrum in argentum commutavit: quo experimento invitati quidam Aulici societatem inire, atque impensam huic arti navarunt operam, sed irrito conatu. Interrogatus, inquit Euvaldus, de his à me Serenissimi Bavariae Principis Ernesti Archiepiscopi Coloniensis Aulicus Ameden, cuius pater cum aliis societatem inierat, rem ita se habere, & vasa, atque alia instrumenta, quibus vī essent Pseudochymici in castro quodam adhuc asservari, affirmavit. Sed quid ego vetera? paucis abhinc annis Aurifaber Parisiensis, quem si necesse foret, nomine designarem, aliquot granula pulveris aurifici à Polono in patriam reineante accepit, cuius ope plumbum fusum in aurum purissimum commutavit. Est homo nasutissimus, ac tibi fortè, mi Theophile, à nomine, & à facie notus. Sed Philosophum non decet testibus vti, qui aut casu veri, aut malitiā falsi, fictique esse possunt: argumentis igitur, & rationibus pugnandum arbitror. Negant rerum species posse commutari. Mirum id objici à Peripateticis, qui elementa in sese mutuò comineare decernunt. Mixta quæ sunt imperfecta alienas formas quām facile induunt; omnium viventium generatio, nutritio, accretio denique specierum mutatione continetur: ex equi, aut vituli cadavere Scarabæi, & apes nascuntur; granum tritici in herbam virentem adolescit: ovum in pullum efformatur; alimenta in chylum, hic in sanguinem, sanguis in carnem faceant: an sola metalla à communis naturæ lege excipiuntur? Fatemur sane formas specificas, non

*Artis pos-
sibilitas
multiplici-
tate sua-
detur.*

posse in alias converti : quis enim ita insaniae, ut formam plumbi, in formam auri transmutari existimet ? sed materiam plumbi suâ formâ spoliari, & speciem auri induere nihil prohibet. Ferrum in cuprum, plumbum in stannum, stibium in plumbum commutare docet experientia, & nemo in arte metallicâ versatus negabit : quid est cur argentum in aurum mutari posse debitemus ?

TH. Neutrūm quidem tam facile, quam tu arbitraris conceditur : neque ferrum in æs mutari putem, neque eo concesso, aurum ex argento confici posse evinces. Non me fugit Chymicos ex ferro vitriolum extrahere, ex quo cuprum conflatur. Elias artista, seu Heliophilus modum satis aperte explicat, laminulas chalybis aquæ & oleo sulfuris per campanam extracto immergit; duplo plus aquæ quam olei apponit : vase occluso sex horarum spatio aquam fervere sinit; vitriolum splendens, & viride in superiore vasis partem elatum colligit : recenti aquâ solutum, excoquit, donec appareat cuticula ; tum chalybis laminulas supponit, quibus æris ramenta adhaerescunt, collecta in cuprum funduntur. Idem compendiosiore viâ aggreditur : scobem ferri cum triti sulfuris æquali pondere calcinat, & reverberat, quo usque sulfur comburatur ; quod reliquum est in ferventem aquam conjicit, cui laminulæ chalybis impositæ, multum æris statim colligunt, quod detersum liquatur in cuprum. Zapara auctor non infimæ nota vitriolum in aquâ decoquit, cum effervescit, tum chalybis laminas injicit, quæ eductæ non parum æris contrahunt; hoc abraso laminas iterum immittit, donec totæ in cuprum abierint. Non etiam ignoro quæ Mathesius, atque alii referunt de fonte Cypseni qui ferrum in cuprum commutat; atque idem artificum industriâ in monte Kuticensi perfici. Concedam hæc omnia si vis : neque hinc aliud colliges, quam in ferro, & cupro plurimum inesse vitrioli, atque in vitriolo, & sulfure pleraque æris corpuscula delitescere, quæ ferro sibi cognato suâ sponte adhaerent : neque vlla metallorum transmutatio perficitur : at minuta cupri atoma in vitriolo dispersa colliguntur, & in idem corpus confluunt.

Sed ferrum in chalybem, plumbum in stannum, antimo-

I iij

*De ferri in
cuprum mu-
tatione.*

De ferro & chalybe. nium in plumbum abire fugit neminem. Pugnas quidem, sed cum adversario facilis: hæc enim omnia si poltulas, concedo: at nego chalybem à ferro, stannum à plumbo specie dissidere. Novimus chalybem esse veluti ferri nucleum: reperitâ coctione hanc duritatem adipisci scriptis Aristoteles, cùm scilicet à scorii expurgatur. Sæpe ferri vena statim in chalybem conflatur: hoc ipsum quandoque præstant aquæ adstringentes. Comi in Italiâ, aquæ præstantissimum efficiunt ferrum: norunt denique artifices aquas parare, in quibus extinctum ferrum adeò indurescit, ut magno sit visu ensibus, loricis, atque aliis id genus instrumentis conficiendis: Alchiæstæ virgulas ferreas cæmentant cum sale, & fuligine, quæ vrinâ perfunditur: alii prunas ex queru, fago, & aliis solidioribus, vel nitrofis lignis adhibent. Postremò ferrum vrinâ, acero, succo raphani adjunctis terræ lumbricis, auctore Alberto temperatur, & in durissimam aciem evadit, quod succi acres ferro addant adstringentia corpuscula, quibus illius partes stipantur, & arctiori vinculo inter se cohærent. Contra molle fit, & tenetur, cùm aquæ ferventi, butyro, vel oleo immergitur: hæc enim lubrica, & viginosa ferro communicant corpuscula, quæ ipsi molliet, & flexilitatem conciliant. Cùm durius efficitur, tum angustiores poros habet, nec flexible, sed fragile redditur. Sic vbi stanno, vel æri admiscetur, partes adipiscitur fragiliores, quod ab extraneis divisæ, & separatae, jam minus inter se cohærent. Stannum verò facile admittit, vbi candens humore pingui, & oleoso perfunditur; vt cùm pice, vel sebo illinitur: nam sulfure vñctuoso, & combustibili (jam cum Chymicis loquor) abundat. Hinc candens ferrum adimoto sulfure statim liquefit, & guttatum decidit. Non ægrè inflammatur, atque ingratum odorem fecerit; rubiginem citè contrahit, tamquam adusti sulfuris fuliginem: quæque tangit corpora, eadem inficit. Multum denique terrenæ siccitatis obtinet: recens è venâ facile liquatur, & instar aquæ decurrit: sed vbi semel conflatum est, vix funditur: nam in primâ fusione permultum humiditatis decessit: restant verò partes crassæ, terrestres, & implacissimæ, quæ igne quidem emolliuntur, non liquantur: calor quippe humorem educit, superflua, & quasi excrementitia

secernit, sed non satis humoris superest, ut fluere possit. Hoc quidem omnibus ferè metallis commune est, ut ignis ea puriora reddat, quòd ab extraneis, & superfluis liberentur: sed non continuò speciem mutant.

Æs regulare quod ignis ardoribus à scoriis expurgatur, non specie differt à caldario, quod vt obscurius, sic vilius existit; illud auri colorem magis refert, & duci, & fundi facilius potest; hoc fusile quidem est, sed minus ductile: nam plurimum habet terrenæ impuritatis. Quòd si Alberto credimus, ex argento vivo, ab omni humore extrario jam purgato, & adusto sulfure æs componitur; hinc mistio oritur minus exquisita, quòd miscibilia non satis extenuata fuerint. Quare vbi excoquitur, multas fæces deponit, & flammam uberiorem non sustinet, sed instar ferri incenditur: magnâ quippe æs & ferrum societate junguntur: vitrumque durum est & sonorum; vel quòd ambo multâ terrâ abundant; vel quòd partes habeant tensiores, quæ idcirco acutius resonant, & crebriores edunt vibrationes: ambo denique adusti sulfuris fuliginem exspirant. Æs politum aquâ, vel sanguine madefactum citius æruginat: imò sale, vel aceto, vel vitriâ pueri aspersum statim mutatur in viridem æruginem: hæc enim omnia poros efficiunt laxiores; atq[ue] adeò halitus excrementius facilius erumpit, & in æruginem concrescit. Quid igitur est causæ cur Imperatorum numismata è terrâ eruantur illæsa, cùm cuprum tam facile in æruginem resolvatur? Fors est vt pice liquidâ peruneta fuerint: oleosa enim, & bituminosa quæque cuprum conservant, quòd obstruant meatus ne halitus erumpat. Illud quidem negare non possum æs multo vitriolo abundare, quod æugo ipsa demonstrat; ex iisdem quoque eruntur venis, & cuprum ex atramentosis aquis excoquitur. Ferrum verò h[ic] affine vitriolo non caret, quod multâ terrâ permiscetur. Quocirca ex ferro cuprum, & vicissim ex ære ferrum exsurgit: nam vbi cuprum ad regulam excoquitur, quæ in fundo catillorum instar facis subsidunt excrementsa, contusa, & cocta in ferrum evadunt. Non quòd metalla in se mutuò commutentur; sed fors est vt cuprum vitriolo magnâ ex parte exhaustum, nihil sit quâm ferrum; vel quod mihi magis probatur, natura vt ars me-

D. ære, vol
æstro.

talla confundit: hinc nullum ferè æs invenitur, ex quo argentum educi non possit. Verum hoc ipsum mox videro. Quo^r queso te æs signatur nominibus, quot vultus ex metallorum permistione induit? Cùm rubro & pleniore induitur colore, tum æs Cyprium, vel cuprum appellant: vbi lapidi calamina-ri, vel cadmiae fossili admiscetur, & dilutiorem præfert auri colorem, orichalcum vocant; tametsi id quoque fossile inveniri auctor sit Plinius. Omitto æs Corinthium, quod in urbis conflagratione cum diversis metallis permistum fuit, idque postea ærs est imitata. Taceo de ære coronario, quod in tenuissimas diductum bracteolas felle tauri tingitur, atque aurum ipsum colore exprimit; ex illo quondam histriones texebant coronas. Sic æs ad campanas stanno temperatur, ut gravior sit sonus: cùm vigesima stanni pars admiscetur, atque alia adjiciuntur mineralia, tum bronzum vocant, atque ex eo tormenta bellica constitantur.

De plumbō. Jam quid de plumbo, & stanno dicturi sumus? an vnâ, & eâdem specie continentur? at ex eâdem venâ non eruuntur, non iisdem proprietatibus afficiuntur. Plumbum molle est, colore livido, & obtusiore reddit sonum, quod in illo humor prævaleat, & partes habeat non multū implicatas. Cùm in cerussam redigitur, fit gravius, idque habet cum coctis lateribus commune. Rationem afferit Cæsalpinus, quod fuligo ignis in ipsis conclusa poris, tum plumbi, tum laterculorum pondus augeat: nam flamma reflexa in illis meatibus fuliginem reponit. Indicio est quod vbi cerussa in plumbum reducitur, non parum de illius mole decedit. Et sanè plumbum in fornace fumosam exhalationem; sub dio verò expositum, vel etiam in terrâ sepultum vaporosam attrahit substantiam, mole crescit, & pondere. Impurum quippe existit, & partes habet male consertas, qua^r tamen aliis corporibus facilè adhærescant: hinc facile liquatur, manus decolorat, sordium, & cujuscumque halitus accessu crescit. Nullam contrahit rubiginem: nam qui erumpit halitus in crassiores sordes densatur: magnam cum reliquis metallis habet affinitatem, illorum abstergit sordes, cum auro, & argento funditur, & facilè commiscetur: sed quia ignis violentiam sustinere non potest, recedere compellitur,

tur, & vnâ secum quidquid alienum, & excrementitium au- Metalla
plumbum par-
tum.
ro, vel argento inest, aufert: adeò vt neque aurum neque ar-
gentum citra plumbum expurgari queant. Gemmæ sordidiores
in plumbō fuso excoctæ, longè puriores, ac splendidiores red-
duntur.

Stannum verò candidum est, fragile, sonorum, leve, nec stannum.
ductile nisi plumbō temperetur: cum cæteris metallis nullo
modo convenit: nam si argentum in catillo, vbi priùs liquatum
suit stannum, conflaveris, fragile evadet. Quæ quidem stan-
ni longè diversam à plumbō naturam demonstrant: nam in
hoc vapor humidus, vel si malis, argentum vivum; in stanno
halitus siccus, vel sulfur dominatur. Ex illâ siccitate levitas
oritur, & stridulus sonus: tinnitus enim, vt ait Cæsalpinus, non
in molli, & flexibili fit corpore, sed in duro, & rigido, vt vno
istu sèpius aër verberetur. Tenuibus quoque constat parti-
bus: nam teste Aristotele, exigua admodum parte æri admi-
stum, album ipsi conciliat colorem, quod non contingere,
nisi tenuissimas haberet particulas, quæ magnam æris molem
pervagari possunt. Quòd si stanno non deesset humiditas, &
gravius, & ductilius foret: hinc cùm vasa ærea stanno obdu-
cuntur, vix eorum augetur pondus. Impedit verò stannum ne
ex vasis æneis ærugo venenata efflorescat, & ne tam citò li-
quentur: nam meatus occludit igneis particulis; neque halitus
æruginem facturus clausis meatis erumpit. His igitur con-
cessis, videtur stannum non ejusdem esse cum plumbō speciei.
Quì ergo fieri potest vt plumbum granulatum, aquâ salsa ablu-
tuim, cum sale communi, vel ammoniae cémentatum, seu
alternis ordinibus dispositum, & igni moderato coctum, ac
tandem reductum, in stannum convertatur. Nemo dixerit an-
timonium, & plumbum eadē specie concludi: at quis dubi-
tat stibium in plumbum converti? antimonii duas partes cum
vnâ crudi tartari, & tantumdem scobis ferreæ liqua; in aquam
frigidam effunde; cùm id sèpius iteratum fuerit, stibium in Antimo-
nium in
plumbum,
hoc in stann-
um abire
putam Al-
chimista.

K k

commeare fatetur: verum ista specie inter se convenire pertendo. Plumbum humidum est, impurum, & molle; ablutis per sales sordibus, idque exsiccatum albedinem, siccitatem, & stridorem stanni consequitur. Stibium vero à plumbo differt, quod in illo sulfur, in hoc humor sit vberior; detrahe ab antimonio sulfur exuberans, plumbum obtinebis. Non igitur concludite ea ratio, quæ à vobis adducitur ad metallorum transmutationem comprobandam. Siquidem ut æris, sic plumbi varii sunt gradus, non species diversæ: aliud est nigrum, seu lividum, aliud candidum, tertium denique cinereum, fragile, & sonorum existit. Stannum quippe stridet magis quam sonat, plumbum vero mutum est, cinereum regulo antimonii similimum resonat: illud Germani bismuthum vocant. Cum stanno, & plumbbo temperatur, atque ex eo diversa conflantur vasæ, quæ splendorem suum diu conservant. Miseretur quoque cum stibio, & aliis metallis, ut typi, seu characteres efformentur. Stannum ni plumbbo admisceatur, nullius erit usus: plumbum enim humore suo stanni siccitatem temperat, & vicissim stannum tenuitatem, ac firmitatem plumbbo imparitet. Solent utique plumbi nigri tertiam partem candido adjicere. Vtrumque suam habet rubiginem; cetera appellatur quæ ex plumbbo, vel aceti vapore, vel sponte suâ efflorescit: quæ autem ex stanno educitur, album Hispanæ vulgo nominatur. Iam ut ego quemadmodum sentio, loquar, plumbum in stannum abire mihi verisimile videtur: sed vellem ut Alchimistæ eadem metalla in argentum, vel aurum commutarent: is enim est limes præcipuus in quem eorum labores diriguntur. Quod si tanti arcani forent consciæ, non se inculcarent auribus nostris, neque operam suam magnatibus vel invitis offerrent. Illa contubernalis Alchimistarum paupertas artem ipsam falsi revincit. Sed tamen libros edunt infinitis formulis refertos, quibus saltem artis possibilitatem confirmare moluntur. Ex omnibus certè metallis aurum vel argentum educiri non inficit: sed meminisse oportet metalla alia aliis esse permista, vix solitaria inveniri: argentum omni ferè cupro inest, vix ullum aurum argenti excepti eruitur. Hoc ipsum artis est vel maximum, quæ confusa sunt metalla secernere, non eorum species vertere.

Tria plumbi genera.

Cerussa.

Ex argento quidem auri granum, seu portiunculam colligunt, sed citra vllum emolumentum. Quod si maximam argenti partem in aurum possint commutare, tum artem callebunt sine controversia magnam; neque immerito Philosophorum nomen usurpabunt. Sed quâ arte argento pondus, color, & ductilitatem summam dabunt: placet illis hydrargyrum purum, & defæcatum in argento abundare; hinc illius nitore: liquefactum, instar hydrargyri tangentis non adhæret, neque instar olei, vel aquæ diffunditur. Argentum liquatum addito sulfure calcinatur, quod sulfur cum metallis magnâ societate jungatur: hinc illa adurit & penetrat, non item ligna, & lapides: sulfuris tenacitas humorem secum abripit, atque unâ evolat, hinc calcinatio. Nec tamen in argenti commixtione vincit sulfur, nisi forte qualitate, & agendi efficaciâ. Sæpe, inquit Albertus, sub terrâ argentum instar spissæ pultis molle occurrit, quod probat in eo hydrargyrum abundare. Non nihil in igne deperdit, & rerum acutarum vapore suam aliquando rubiginem cæruleam exspuit: linea s nigriores imprimit, & manus collybo inficit, quod substantia illius nonnihil habeat impuritatis. Contrà aurum tinturam suam non à mercurio, sed à sulfure desumit, neque vsu atteritur, nec deciduâ materiâ manus inquinat; in bracteolas adeò tenues, argento præsertim substrato diducitur, ut color tantum supereesse videatur. Nullam, ut dictum est, contrahit rubiginem, vel squalorem; ab hydrargo statim solvit, cuius tenuissimæ partes auri meatus subeunt, atque in minutissimum pulverem comminuant: in liquorem aut vitrum, quidquid mentiantur Alchimistæ, abit numquam. Purissimo, ut illis placet, constat sulfure, eoque fixo non combustibili, non pingui, vel vñctuoso. Neque arsenico, neque sulfure aduritur: nam partes habet arctiori vinculo devinetas, & subtiliore mixtione conjunctas, quâm ut divelli possint; hinc tanta illi ductilitas, & tantum exoritur pondus: nec sonorum est, nec tinnulum, quod poros habeat angustiores: nec quicquam exhalat, nec contactu suo tingit corpora. Purum persæpe invenitur, quia non facilè societatem init cum imperfectis metallis; cum argento liberius conjugitur: hinc mixti auri color citrinus, & pallidus: sed ubi expurgatur ma-

K k ij

D. Petit.

jorem acquirit rubedinem. Aurum denique vt puritate , sic pondere cuncta metalla superat: adeo vt hæc gravitatis proportio inter metalla inveniatur, quemadmodum vir clarissimus, atque eruditissimus expertus est. Sit aurum 100. mercurius erit 71. $\frac{1}{2}$, plumbum 60. $\frac{1}{2}$, argentum 54. $\frac{1}{2}$, cuprum 47. $\frac{1}{2}$, ferum 42. stannum commune 39. magnes 26. marmor 21. lapis communis 14. crystallus 12. $\frac{1}{2}$, aqua 5. $\frac{1}{2}$, vinum 5. $\frac{1}{4}$, cera 5. oleum 4. $\frac{1}{2}$.

Variis quidem pigmentis argentum auri colorem potest induere: neque hæc coloritia, & sophistarum fuci Alchimistas fugiunt: sed nego auri pondus, & ductilitatem argento conferri posse, quantumvis illud fusione, vel cæmentatione fatigent; nedum imperfecta metalla in aurum pulveris cujusdam additione in momento faceissent. Vnde tanta grano pulveris aurifici virtus, vt magnam plumbi molem in istu oculi propriâ formâ exuat; speciem, colorem, firmitatem, & pondus auri largiatur? Profectò non ex calore elementari vis illa dimanat. At fortè ad cælestes influxus, & occultas qualitates confugient: verùm hæc ignorantiae patrocinia tibi non placent, mi Simplici. An fortè pulvis ille projectionis semen est ex auro secundo eductum, quod in materiâ sibi attemperatâ exceptum vim habet prolificam, & sui generis propagatricem. Vtrumque absurdum, metallis semina tribuere, eaque in momento adolescere, ac se se felici incremento multiplicare. Nimis absurdè quidam Chymici metallis non animam, & vitam, sed quasi animam, aut vitam largiuntur: hoc dicere tupius est, quām illud quod volunt, non posse defendere. Nam dum effugere reprehensionem volunt, afferunt aliquid quod ne concipi quidem possit. Metallis semina, vitam, & vim plasticam affingunt, cùm nemo ejusmodi semina conspexerit, neque vlla vita obeant munera, nec capiant incrementa. Iam non animam, sed quasi animam; non semen, sed quasi semen, ne tu quidem (quod inter nos liceat) intelligis. Quantum satius est Alchimistarum flagitia proscribere, quām tam impudenter resistere, atque ea dicere, quæ omnium mentes respuunt. Nec multū me inovent historiæ, quas vel ipsi texuere, vel ab aliis delusi acceperunt: nam si semel suscipimus genus hoc argumenti, vide quò serpat:

*Contra
transmuta-
tionem alie-
objectiones.*

circulatores omnes, Empirici, Astrologi, atque alii impostores omissis rationibus ad experimenta provocant, vt credulis facilius illudant: Philosophi verò quare quidque ita sit, argumentis, & rationibus docent, non eventis, quibus liceat non credere. Cæterum quanta est pugna Alchimistarum inter se, cùm alii vñiversale menstruum, seu Philosophorum mercurium, vel substantiam quæ aurum exsolvat, & formâ exuat in hydrargo-ro, alii in nitro, alii in spiritu vitrioli querant: & quod mihi permirum videtur, plerique se tanti arcani compotes jactitant, alios verò qui ab ipsis dissentiant, vt impostores, & sacrilegos totis voluminibus concidunt. Cedo quem sequar? Veteres in mercurio, & sulfure laborabant; juniores nitrum, & vitriolum mirificè commendant: vtris credam? cur cogar eos sequi qui neque inter se, neque cum aliis consentiunt?

S I M P. Evidem video Alchimistas in magno discrimine constitutos: quid tamen possint reponere paulò attentiùs consideremus; neque enim inauditâ causâ sunt proscribendi. Primum quod metallorum transmutationem attinet, non video cur omnino impossibilis habeatur: nam ferrum in æs mutari tum naturæ, tum artis industriâ, ne inimici quidem Alchimistarum negare audent. In monte Carpatho fons est in quem ferrum injectum corroditur, & conflatum abit in cuprum. At fortè æris ramenta in ferro inerant, quæ per aquas atramento-s desfluunt. In hâc olim opinione fuit Ercherus, sed postquam experienciâ cognovit in vitrioli fodinis clavos, & alia ferramenta in purum æs conversa, tum veram fieri transmutationem fateri tandem coactus est. Neque id novum, vel mirum videri debet, cùm ligna, & ossa in lapides, metalla in lithargyrum, & vitrum convertantur, ac rursus vitrum in metallo reducatur. Quid vitro cum metallo commune, & tamen reciprocis mutationibus vnum in alterum commeat. Neque hîc subtilius requiro an plumbum à stanno, vel antimonii: regulo, specie differat: nam rerum species, vt collibitum est, modò confundis, modò distinguis. Mihi certè argentum tam simile auri videtur, quam stanni plumbum. Negas argentum ita figi posse vt aurum æquet pondere. Dic ergo cur stannum in plumbum, & vicissim plumbum in stannum commigret. In

*Aliis ratio-
nibus trans-
mutatio ad-
struitur.*

Magni Hetruriaz Ducis thesauris duo clavi partim aurei, partim argentei ostenduntur, Alchimistarum arte conflati. Ex iisdem sicut principiis aurum, & argentum ducuntur, nec raro eidem mineræ adhærescant. Vedit Albertus auri fibras quæ per silicem discurribat, degenerasse in argentum, cùm ad aliud lapidis mollioris, & rioris genus pervenisset. His addit Cæsalpinus auro omni argentum inesse vario pondere, alibi denâ, alibi nonâ, alibi octavâ parte; cui pars quinta inest, electrum dicitur, cùmque est nativum, id ferunt venena prodere, atque in calicibus discurretere arcus cælestibus similes, cum igneo stridore. Fieri potest ut veneni vis acerrima quasdam electri particulas separet, & virus suum stridore prodat. Quod si tanta sit argenti cum auro cognatio, ut ex iisdem principiis, atque in iisdem venis procreentur, cur vnum in alterum commigrare posse inficiemur? præsertim cùm innumeris constet experimentis metallæ in sece reciprocâ mutatione commicare. Omitto formulas quibus Chymicorum libri scant: nam partim sunt falsæ, partim inutiles, & extra vllum compendium perficiuntur; solam artis demonstrant possibilitatem. Nam Alchimistis religio est arcana sua evulgare: hinc omnibus æqualiter abrogatur fides, atque omnes sine vlo discrimine imposturæ nomine infames habentur: quamquam verisimile non sit omnes Alchimistas hoc vitio laborare, ac prorsùs sit incredibile tot illustres viros impudentissimè mentiri, ac toti orbi illudere.

*De lapide
philosophico
non sit pos-
sibilis.*

Cæterum ut ingenuè dicam quod sentio, vix vllâ mentis contentione assequi, complectique possum quâ arte hydrargyrus pulveris aurifaci, vel vtraiunt fœcundi sulfuris grano, non solùm figi, & aureo colore tingi, sed etiam augeri pondere posse, cùm nullius materiæ fiat accessio. Eadem est ratio argenti in aurum commutati: nam vnde argento tantum accedit pondus: quod si cæmentorum, vel restinctionum beneficio quippiam alienum subierit, quod argento, & colorem, & pondus auri conciliet, hæc non erit vera transmutatio, sed sophistica potius adulteratio, quæ facilè à Docimastis deprehenditur: neque enim ignem, neque alia sustinet examina, & citò evolat, cùm appositum dumtaxat fuerit, non exquisitè permistum. Argentum coctione figi, & maturari non repugno, sed pondus

crescere citra novæ substantiaz accessionem , non puto . Nec clam me est ex ferro chalybem , & duriorem , & graviorem pro-
dire ; at id non sit citra ferri imminutionem . Chalybem quo-
que in crocum levissimum abire non inficiat ; at mole augetur ,
vel certè multum de illius substantiâ decedit . Laterculi coctio-
ne sunt graviores ; & meritò quærit Modestinus qui fiat , ut in
examine metallico res ignem passæ non sine detimento favilla-
rum , ponderosiores inveniantur , quâm nondum in flammam
illatæ : nam si testam , vel cupellam , plumbum , & metallum
ponderes ante examen , omnia sunt leviora , quâm post , iterum
ad libellam revocatis scoriis , testâ , massulâ metalli quæ pro-
banda erat , & cupellâ cinereâ ; cùm tamen de plumbbo mul-
tum perierit . Rationem ex Cæsalpino jam suprà reddidisti , quæ
tamen Libavio displicet : quod si enim fuliginis additione pon-
dus cresceret , calcem vivam lapide ipso fieri graviorem necesse
foret . Existimat verò levi aëre extruso , cupellæ , vel cineriti
meatus spiritibus metallorum fixis , & ponderosis compleri . Ut
vt sit , difficile est homini non hebeti , neque inexercitato per-
suadere totum argentum in aurum faceſſere , aut o quidem
pondere , mole nihil imminutâ . Quemadmodum ex ferro cha-
lybem , sic ex argento aurum procreati nihil contradico ; adeò
ut pars argenti purior , & defæcator in aurum commigret , &
quantum ponderis accedit , tantum de ipsâ mole decedat . Re-
clamat quidem Alchimistæ , ac plerique se expertos testantur
totum argentum , vel mercurium in aurum conversa fuiss^e .
Mitto cæteros , non patum me mover Glauberi , qui adhuc in
vivis est , auctoritas : is quemdam ex nitro liquorem præparat
instar aquæ pellucidum , cuius vires omnino incredibiles miris
effert laudibus , eumque auri potabilis nomine insignit : hujus
liquoris viciam cum scrupulo , vel dimidiâ drachimâ hydrargy-
ri vitro infundit , arenae calidæ ipsum vas vitreum imponit ,
quousque humore exhalato sal candidum in fundo subsidat ;
aquæ pluvialis affusione humorem restituit , atque in fundo va-
lis totum mercurium in aurum commutatum remanere aſſeve-
rat . Eâdem arte docet cætera metalla in tenues laminulas di-
ducta in aurum converti , nullo tamen compendio , & circa vi-
lum emolumentum . Ipsum denique liquorem humore efflatu

in salem redigit, cuius dimidiam vnciam cum 20. vel 30. granis alicujus metalli in tenuissimas laminulas comminuti permiscet, erucibulo imponit; sal metallum penetrat, & intra horæ quadrantem in optimum aurum commutat. Multa mihi in hanc sententiam occurunt, quibus transmutatio metallorum non suadetur modò, sed etiam persuadetur: Verùm ea non invitus silentio prætereo, ne quod ipse expertus non sum, vos docere videar. Neque eo consilio hæc dispiuto ut vos ad studium Alchimie incendam, deterrerem potius, cùm nulla scientia difficiliores habeat aditus, nulla periculosisor, nulla magis impostoribus pateat. Neque ego utilitatem aliquam aucupans Chymicorum libros, sed delectationis causa, cùm est otium, legere soleo, vel eorum labores intueri. Sed ad institutum revertar meum, atque experiar an rationes quas adversus metallorum transmutationem collegisti, solvi villo modo possint. Totam disputationem in pauca conferam. Negas Chymicos ex quibus principiis metalla constent, vel quo loco, quo tempore, quibus instrumentis vratur natura, exploratum habere; atque adeò imposturæ nomine suspecti sunt, qui chrysopœiam profitentur. Ego verò Alchimistarum non suscepī patrocinium, neque artificum vitia, sed artis excellentiam defendo. Nec necesse est omnia naturæ momenta in procreatione metallorum Chymicis esse perspecta: satis erit si viam insistant per experientiam sibi cognitam. Qui teperc fimi in Ægypto ex ovis pullos excludunt, quo modo pullus efformetur forsitan ignorant. Serit triticum agricola, terram vel stipularum incendio, vel fimo reddit secundiorem: an necesse est ut ipse norit modum, quo tritici granum terra gremio exceptum, primum in herbam viridem assurgat, tum sensim adolescat? An occultura in cineribus, vel fimo inesse salem, eumque nitrosum, & fecundum, habet exploratum? Sed incredibile est tantum valere artem Alchimisticam, ut plumbum subito in aurum convertat, cùm ipsa natura non nisi labentibus annis hoc metallum in terra visceribus proereet, quod ex purissimâ materiâ, non mole magnum, sed sàpe in granula comminutum, vel in lapidum fibris diffusum reperitur: non enim substantia adeò defacta, vel vbiique, vel magnâ copiâ potest occurrere. Cùm igitur

*Satisfit ab
peditionibus.*

igitur naturæ solerriam nulla ars, nulla manus, nemo opifex consequi possit imitando; verisimile non est obscuros homines, & abjectos posse ad libitum ex plumbo, hydrargyro, atque aliis inferioris motæ metallis aurum purum putum conflare. Hæc sanè me non mediocriter movent, ac difficile dictu est, quæ hujus repentinæ transmutationis ratio, quæ causa esse possit. Sed ratio ipsa nos lateat, num continuò tot illustres Philosophos, aut stultitiae, aut vanitatis, aut impudentiae insimulabis? Magna quæstio est utrum ars naturæ opera moliri possit. Verùm ad propositum nostrum nihil pertinet: non ars, sed natura ipsa species metallorum mutat: naturæ verò ars famulatur; ignem regit, vas a preparat: sed natura sola opus absolvit. Exemplum Medici adlibet Albertus qui noxios humores expurgat, tum naturam ipsam corroborat, atque insitum adjuvat calorem; adeò ut sanitas naturæ ut causa principi; arti verò ut organicæ, & instrumentariæ accepta referatur. Non dissimili modo Alchimistæ hydrargyri, & sulfuris impuram substantiam purgant, tum paulatim digerunt, atque insitam vim calore convenienti promovent, & ad perfectionem deducunt. Neque necesse est ut tantum temporis natura arte sibi ancillante adjuta impendat, quantum in visceribus terra insume-re perhibetur. Quis enim ignorat naturam ab arte perfici? plumbum, vel stibium, silices ipsi in-vitra splendida commutantur: ex ferro &c purissimum intra paucas horas conficiunt: è plumbō cerussam, & minium; ex argento cæruleum; ex cupro æruginem, & orichalcum, atque alia infinita præstant artifices, quæ natura vel numquam, vel nonnisi post longam annorum seriem absolvit. Natura quippe arte adjuta paucis momentis pleraque gignit, effingit, mutat, quæ sola nequit perficere. Illud non ignorant Medici, qui naturæ adjutores, & ministri cùm sint, morbos profligant, quos solius naturæ vis expugnare non poterat. Sic hortulani fructus præcoce procurant, & varias transplantationes (ut Chymicorum, vocem usurpem) varias insertiones adlibent. Quid multa? ars & natura sibi mutuas tradunt operas, quæ hæc inchoavit, illa perficit: natura sine arte multum valebit, ars nulla esse sine naturâ poterit. Terre, inquit Fabius, nullam fertilitatem habenti nihil optimus

agricola profuerit: è terrâ vberi vtile aliquid, etiam nullo co-lente nasceret: at in solo fœcundo plus cultor, quām ipsa per se bonitas soli efficiet. Istuc quidem ad propositum facile accom-modari potest. In primâ metallorum generatione majus natu-ræ, quām artis esse momentum crediderim: sed ubi de summâ eorum perfectione, & multiplicatione agitur, plus arti deberi, quām naturæ puto. Illa materiam suggerit, hæc veluti for-mam largitur, ac vim prolificam in metallo quasi sepultam, atque in materiæ recessu abditam excitat. Ac ne illud quidem verè dici potest, Alchimistas formam ab auro sejungere: tenuif-simam quidem ac subtilissimam cuiusque metalli portionem for-mæ, tincturæ, vel fœcundi sulfuris nomine insigniunt: il-lamque ut loquuntur, exaltant, ac purissimam reddunt. Nec mirum si hujus pulveris granulum in materiam sibi attempera-tam conjectum, temporis momento eam figat, atque in aurum convertat: nam illa tinctura est potestate maxima, licet sit mole minima; materia quoque est omnino disposita: quare nihil su-perest quod transmutationi moram objiciat. Subitaneas in me-tallis operationes, & mutationes quotidie miramur. Aquafor-tis stibio affusa statim effervescit: quot præcipitationes in mo-mento perficiuntur? cuprum, vel plumbum, vel stannum in laminulas diductum, cum vnâ parte scobis tiliæ, duabus sul-furis, & novem nitri partibus permistum, si prunâ injectâ ac-cendatur, hoc incendio metallum adeò perficitur, ut per eu-pellam fulminatum nonnihil auri, vel argenti expromat, cùm antè nemicam quidem contineret. Ultima certè perfectio ma-teriæ optimæ dispositæ, atque ad suscipiendam formam pro-clivi in momento accedit. Quantula veneni pars totum cor-pus pervadit, & in puncto temporis corruptit? hæc sane vis efficacissima non à solo calore, vel elementari qualitate, sed ab occultiore causâ proficitur. Verūm, inquis, aurum nec cor-rumpi, nec destrui potest, nec propriam formam deponere, ne-dum aliud gignere: non enim virtute seminali, & fœcundâ donatur, vel instat viventium propagatur. Hoc ipsum in quæ-stionem vocatur: nam Alchimisti contrarium videtur: nec de-functi historiæ, ex quibus metallorum propagatio quodammodo per-suadeatur. Citat Martyrem Libavius, qui decade 3. l. 8.

hæc habet: In Hispaniolæ, inquit, provinciâ Cotoy dictâ, ex montium fissuris nascitur arbor aurea, cum stemmate, & ramis. Ad urbem Firmicum in Pannoniâ arbusta aurea assurgere narrat Fulgosus. Sic in montibus Hungariæ, ex quibus multum auri extractum est, nasci vites foliis & vvis deaaratis, ex oculatis testibus refert Glauberus. Ferrum in propriâ fodinâ renasci jam alibi diximus; imò ex recrementis in cumulos divisâ, & congestis ferrum conflatur. Curbachii in Vesphaliâ exhaustorum metallorum cumulos quaternis annis excoqui; temporis tractu fodinam in meliorem commutari; quædam metalla subterraneis halitibus absumi, cùm seriùs effodiuntur; ex bismutho, & cadmiâ fossili omni argento vacuis, atque in cumulos congestis, post aliquot annorum volumina multum argenti extractum fuisse docet Mathesius, cætera Alchimistis non satis æquus. Hæc sanè ne concipi quidem possunt, nisi vires seminarias, & fœundas in metallis esse fateamur, ex quibus generatio omnis, & propagatio ducatur. Norunt Chymici artem quâ metalla instar fructum, vel arborum crescant, atque in ramos diffundantur. Alii aliter id opus aggrediuntur. Glauberus crystallum, vel silices, vel arenam mundam, & exquisitè lotam eominuit in pulverem; salem niveum è tartaro calcinato per multiplicem solutionem, & coagulationem edutum cum pulvere silicium permiscet: vni parti salis tartari, quarta dumtaxat crystalli, vel silicis pars adjungitur; mixtura in illam fornacem, cuius suprà meminitus, paulatim conjecta spiritum præbet album, & crassum, quem utilem adversus plures morbos, vt calculum, & podagram, esse testatur. Quod verò in fundo vasis remanet, vitro fusili, & pellucido non dissimile servandum est, idque extractum ab aëre custodiendum, ne humore tabescat: mira in rebus metallicis præstat: nam metalla solvit, digerit, perficit, atque aurum exsolutum præcipitat. Cùm aurum in aquâ regiâ, vel argentum in aquâ forti exsolveris, & aquam leni calore extraxeris, tum calcem colliges, atque in globulos compones, liquorem è tartaro, & silicibus eductum cum tartari lixivio æquâ portione commiscebis: eucurbitæ vitreae affundes, cui globuli metallici imponentur, ac statim crescere, & instar arborum assurgere, non sine voluptate

cerne; quasi amicam, & vberem terram nacta fuerint, sic in momento adolescunt. Sed cavendum est ne aër subeat. Idem auctor nitrum fixum alibi præfert tartaro. Silicis, vel arenæ partem vnam, carbonum tiliæ partes 3. nitri optimi part. 6. permiscet, spiritum prolicit eo quo dictum est modo: fæces in fundo instrumenti remanentes colligit, quæ omnino eadem exhibent, ac liquor tartari: nam metalla præparata huic oleo immersa brevi crescunt instar arborum. Riserit fortasse aliquis hæc Chymicorum miracula, commenticias fabulas, atque aniles superstitiones putet; ego non audeam reprehendere, quoisque mihi contrarium experientia constiterit.



CAPVT V N D E C I M V M.

De præparatione metallorum.

- I. De venis metallicis agitur, & quo modo discernantur. II. De earum fusione, & examine. III. De metallorum variis separationibus, ubi de cupellâ, quartatione, & clementis; ac multa Alchimistarum arcana illustrantur. IV. Horum omnium rationes inquiruntur.

M E N A N D E R.

NON mihi est animus experiri, aut furnos adorare. Ista quidem studia non improbo, moderata modò sint: sed nemini suadere velim, vt se in hoc vitæ genus conjiciat periculis, & molestissimis plenum laboribus. Licet ex aliis exemplum sumere: Nemo ex iis furnulis largius inauratur: nec magna messis solet ex eo agro provenire. Ars spagyrica suas quidem habet dotes, & latissimè patet: non parum lucis Philosophiæ infert; omnium ferè artium principia complectitur: permagni quoque ad Medicinam usus est, ac potentissima remedia suppeditat, modò à peritis Medicis, non ab indoctis tractetur Empiricis. Ex illius fontibus rerum tum maximarum, tum

Etiam occultissimarum rationes hauriuntur, quarum cognitio humanissimâ compleat animum voluptate. Quamobrem non intercedo quominus hanc artem edificant Philosophi, dum sibi caveant ab impostoribus, qui omnes hujus scientiæ aditus, tamquam latrunculi obsident. Quod si me audierint, non incumbet in metallorum transmutationem: nam certa his hominibus impendent naufragia, & vix vnus ex millibus voti sui compos evadit. Stultum est incertam spem tanti emere: multum auri profunditur, tamquam venturi auri illecebra; sed rato tali esca capit. Enimvero cum ipsâ arte pugnare nolo, sit sanè tanta, quantum Chymici illam esse volunt: nos ex te recondita Alchimiæ mysteria non exigimus: at redde cætera, quæ ad artem metallicam pertinent, & de venarum excoctione, fusione, examine; nec non de metallorum separatione, vnu, & variis (vt cum Chymicis loquar) magisteriis perge dicere, atque expleveris expectationem nostram.

S I M P. Longum est me nunc exponere quâ arte metalla ex suis eruantur fodinis, quo examine probari, & fundi soleant venæ metallicæ; quibus artificiis aurum, & argentum ab extra-neis purgantur, & separentur; quomodo in calcem, flores, spiritus, & olea resolvantur; quibus demùm vñibus inserviant: hæc sanè ex metallariis, docimatis, aurificibus, & Chymicis sunt requirenda: sunt etiam innumerabiles de iis rebus libri, neque abditi, neque obscuri. Sed quoniam libitum est vobis me ad hac impellere, faciam vt vultis, & locum istum totum, vt à doctissimis tractatus est, explicabo. Non repeto quibus indiciis latentes metallorum venæ deprehendantur; in montibus eas esse frequentiores fugit neminem: gramina solito tenuiora; pallentia arborum folia; cæruleæ flammæ calidiore potissimum cælo huc, & illuc discurrentes; metallorum ramenta, ac veluti fibræ in vicinis fluminibus conspicuae, tot sunt venæ delitescentis argumenta. Argenti, atque auri fodinæ raro in frigidioribus locis, sæpe in calidioribus ad Orientem, vel Meridiem obversis reperiuntur: contrâ plumbi, & stanni minera frigidiora loca amant. Sunt qui coryleâ virgâ ejusdem anni, & bisidâ vrantur, vt latentes venas explorent. Heliophilus id sæpe se expertum tradit, quod cùm surculo coryli sursum ere-

Quâ arte
minera de-
regantur.

cto, & virgulas utroque pollice compressas, obversis manibus gestarer, illuc virgæ erectæ apex ultrò inclinabat, ubi inerat argentum; sive jaceret in terrâ, seu foret in ipso thorace reconditum. Alii id valde incertum esse experimentum, & superstitionis plenum contendunt. Glauberus globulum ex electro conflatum, atque in medio perforatum surculo coryli inserit, isque erectus circumfertur: cum mineræ surculus imminet, tum velut suâ sponte deprimitur, ac delitescentem venam prodit.

*De vena
metallicis.*

Metalla plerumque lapidibus adhærescunt, quos Græci pyrites, marcasitas Arabes dixere. Quamquam pyrites in æris fodinis orichalcum colore referens, sit frequentior; aliis tamen coloribus imbutus passim occurrit. Ex illo lapide nonnumquam æs argento permistum; interim alia metalla extrahuntur. Galena quoque argenti, & plumbi communis vena colores suos variat: nam sæpe lividum, aliquando fulvum, aut cæruleum exprimit colorem: plumbaginem Latini, molybditum Græci vocant: ex 100. plumbaginis libris vix una argenti: sæpe 40. plumbi libræ elicuntur. Aurum ex pyrite quodam cinereo, vel subnigro galenæ non dissimili excoquitur; silicibus, vel durissimis faxis aliquando foliatim adhærescit: purum quoque reperitur in fibris saxonum. Argentiverò majores molles è fodinis erui constat: vidit Agricola massas argenteas malleis, vel securibus similes: interim lucentibus scintillis argentum se prodit, vel in tubulos, & virgulas assurgit: sæpe illius vena subrubra, vel cærulea occurrit: nonnumquam ex bismutho galenæ simillimo; vel ex cadmiâ fossili, quam coboltum vocant, extrahitur: aliquando argenti minera galenam colore refert; atque hoc indicio discernitur, quod non vti galena percussa dissiliat, sed faciliter dilatetur: 100. hujus mineræ libræ 90. argenti suppeditant. Postremò argenti vena nonnumquam mollis, & subrubra instar carbunculi traluset; cum verò obscurior est, & magis ductilis, tum majorem argenti copiam præbet. Non igitur audiendus est Plinius, cum ait venam unde argentum excoquitur, non nisi in puteis reperi, nullâ sui spe; ac nullis scintillis lucere; sed è terrâ, vel rubrâ, vel cinereâ extrahi. Siquidem & vena illius sæpe lucentibus micat scintilk-

lis, atque ingentes argenti moles in Germania^e, & Boheimia^e fodiinis, teste Agricolâ eruuntur. Æs quoque purum inventur: illius vena non raro est coloris purpurei lineis viridibus inspersa: hunc lapidem chalcitum vocant: interim saxis foliatim accrescit, atque ex argenti minerâ crebrò extrahitur. Ferrum raro purum, & sincerum, nisi in minutissima granula cencisum occurrit. Terra, inquit Cæsalpinus, quæ eruitur in Ilvæ insulâ, dum vena effoditur, tota procedente tempore in veniam convertitur: laudant candidiores, & quæ rubricam habent admistam; damnant luteam, & nigrum. Stannum denique ex lapillis nigrioribus saxo arenoso adnatis, summo labore excoquitur. Metalla persæpe cum aliis permista, & confusa inveniuntur, quod magno est argumento illa ex communi matterâ proficiisci. Non ex puteis modò altioribus effodiuntur, sed etiam in summâ tellure efflorescent. Aurum, & cuprum è terra purpureâ, aut flavâ; interim ex chrysocollâ, vel cæruleo, imò ex ipsis conflantur silicibus.

Glauberus (quem saepe nomino, quod in rebus metallicis tantos progressus habeat, ut cum excellentibus in eo genere Chymicis comparetur) quâ arte aurum è silicibus, non sine aliquo emolumento extrahi possit, peculiari libro aperuit. Silices eligit in locis arenosis, vel in fluv. crum ripis; eos crematos aquâ frigidâ restinguit: quod si fracti rubeum, aut flavum colorem exprimant, tum auro prægnantes judicantur: si albedinem custodiant suam, indicium est eos omni auro esse destitutos. Cum silices antea rubri extinctione obscuram exhibent rubedinem, indicium est eos non aurum, sed ferrum continere: nam qui auri sunt feraces, cremati flavo, & splendido nitent colore. Albos quoque lapides maculis, vel lineis cæruleis, flavis, rubris, aut virentibus inspersos non aspernatur. Pleraque præparat infundibula ex terrâ tenaci, & optimâ, quæ in scanno multis foraminibus pervio ex ordine disponit, ac singulis vasa, vel receptacula supponit: communatos silices cuique infundibulo sic imponit, ut majora frustula infimam, & angustissimam infundibili partem compleant; minutiores verrò particulae supremum locum occupent. Spiritum salis rectificatum, atque cā methodo cuius supra meminimus præpara-

tum primo infundibulo affundit; ita vt trium digitorum sili-
cibus emineat: hic nonnihil auri in lapidibus delitescentis ex-
solvit; atque vbi in vas suppositum effluxerit, secundo infundi-
bulo, deinde tertio, & ita porro est affundendus, quo usque rubro
auri colore sat imbutus appareat: tum novum salis spiritum
cuique infundibulo, simili prorsus ratione apponit; idque toties
repetit, quo usque omni auro exhausto, nullo amplius colore tin-
gatur. Spiritum novo operi profuturum per distillationem pro-
licit: aurum ferro, & aliis metallis admistum in fundo retortæ,
aut vasis distillatorii remanet: nec facile per cupellam ab aliis
metallis secernitur, sed beneficio antimonii, eo quo infrà dicturi
sumus modo. Aliam subinde rationem, & methodum proponit,
quā aurum è silicibus eliciatur, sed brevitatē consulens eam
prætermitto. Neque vt puto, id mihi negotii datis, vt omnes
machinas, & fornaces quibus mineras expurgare, & examinare
solent, vobis describam: nam præter cæteros Agricola, Er-
kerus, & Matthesius hoc argumentum satis illustrarunt.

*De vena-
rum prepa-
ratione, &
fusione.*

Torrentur venæ metallicæ, eluuntur, lixiviis incoquuntur,
vt arsenico, sulfure, & cadiniā quæ metalla deprædari solent,
liberentur: nisi enim vena auro, vel argento prægnans torreat-
tur, aut certis figuratur lixiviis, sulfurei, & arsenicales fumi per
multum metalli abripiant necesse est. Hinc docimastæ, & me-
tallurgi in vrinâ, vel calcis, & cinerum clavellatorum lixivio
venam diu macerant, aut contusam aquâ fortè perfundunt, vt
metalli involucra detergantur, atque ipsum metallum antè re-
conditum, & quasi oppressum appareat. Sal fusionem promo-
vet, ac metallum quasi injectis compedibus retinet, ne vnâ
cum volatili sulfure fugam capessat. Ferri quoque squamas
adhibent, figit enim ferrum volatilia, auget fervorem, arcet
fugacia. Cùm vena more consueto torretur, tum mineralia
quidem volatilia dissipantur; sed vnâ secum non mediocrem
auri, vel argenti portionem efferunt: quòd si non torreatur,
ignis vehementiō majorem metalli partem consumit. Postre-
mò si vasis occlusis liqueantur venæ, quidquid metalli inest, in
scorias abit, nec plumbum ingreditur. Si nitrum tam magno
non constaret, cum tritâ, & contusâ minerâ subduplum nitri
permiscendo foret, quod prunâ incensum, noxiū, & com-
busti-

bustibile sulfur absumeret. Hac quidem arte non antimoniū modò, sed omnia propè mineralia expurgantur: nitrum quippe quidquid sulfuris ineſt, consumit. Sic vena combustibili sul- fure ſpoliata plumbō fuso ſenſum imponitur; extra hunc ſcoriæ: cùm plumbum auro, vel argento ſatis ditescit, tum ſe- mel, atque iterum aliquantulum nitri immittitur, ut ſulfur inu- tile diſſietur: ſic plumbum cupellæ ex cineribus confeſta im- ponitur, cuius meatus ſenſum ingreditur; aurum, & argentum ſola remanent.

Iam caput artis eſt idoneas fornaces ſtruere, atque ignem opportunè moderari. Per mihi placet Glauberti furnus, quem in explicazione miraculi mundi ſatis a perte deſcribit. Oblongus eſt, ex optimis compactus lapidibus, in tres velut cameras diſtribuitur, quæ ſuis veluti parietibus, ac tabulatis diſtinguuntur: ſic tamen ut calor ex primâ in ſecundam, ex ſecun- dâ in tertiam per apertum, & patens foramen commeare poſit: ſingulis cameris ſuum conceditur oſtiolum, per quod mi- neralia apponuntur. In primâ hujus fornaciſ regione, vbi ca- lor eſt intenſior, focus, ſeu vas ex optimâ terrâ compactum col- locatur; in ſecundâ cupella ex cineribus, vel testa ex argillâ; in tertiat demum focus aptatur. Hic mineræ torrentur, tum in primæ partis focum transferuntur, ut vna cum plumbō eli- quentur. Iam aliud oblongior furnulus huic contiguus ador- natur, in quem ligna accenſa conjiciunt, ut flamma per aper- tum foramen in imâ parte appoſitum, primam fuſoriæ forna- ciſ regionem ſubeat. Injectis lignis furni hujus laterali pars ſuprema ferreo operculo tegitur, ſic fornaciſ fuſoriæ oſtiola clauduntur, cùm opus erit aperienda. Regula denique inter- vrumque furnum mobilis, quæ commune oſtium, ſeu foramen ad libitum claudit, vel reſerat, aptabitur. Foramina quoque non deerunt in infirmâ laterali furni parte, ventilato- res vocant: nam aperta ignis calorem ventilant, & clauſa tem- perant. Quare vena auri, vel argenti in supremâ parte leviter aduritur, tum plumbō quod in primâ camerâ fluere diximus, ſenſim immittitur; hanc flamma ex laterali furno perſtingit, fuſa cum plumbō minera, nitri accessione purgatur; in ſecun- dam tranſerunt regionem, vbi ignis crebrâ ventilatione inter-

ditur; plumbum abit in lithargyrum; aurum verò, vel argentum instar placentalè à plumbō secretum manet. Non diffīlis est fornacis constructio, quam lib. 4. furnorum idem auctor, qui mihi hujus artis antistes videtur, exhibet: in plures itidem partes distinguitur; sed in parte infimâ tubus aptatur, qui quo longior existit, hoc vehementiorem ignem accendit. Hoc furni genus aptari potest prope cubiculi superioris caminum, & perforato pariete aër ex inferiori domus cubiculo, per ambo, tum muri, tum fornacis sibi contigua foramina irrumpet. Quinetiam si tubum ferreum medio foramini, quod in te-
cto fornacis patet, accommodes, ignis calorem mitum in modum augebis: adeò ut non folibus, non ventilatoribus opus sit, sed satis fuerit regulam mobilem, seu registrum infimo foramini adhibere, ut varios ignis gradus moderetur. Hujus fornacis beneficio diversis simul operationibus incubes: nam in parte infimâ fundentur metalla, calcinationes, cémenta, atque alia id genus opera, quæ vehementiorem ignem requirunt, perficiuntur; in aliis verò vegetabilia poterunt calcinari, distillari, crucibula exsiccati, venæ torri, atque alii ejusdem generis labores peragi.

*De vena.
rum exami-
ne.*

Quoniam attigi rem difficillimam, atque à paucis comprehensam de metallorum fusione, & examine, illud silentio prætermittere non possum omnes metallicas venas fundi, & liquari posse plumbi, vel nitri, vel sulfuris, vel antimonii denique adminiculo. Nonnumquam mercurius, & aquæ stygiæ in hunc usum adhibentur. Plumbum verò in cineres redigi solet, quò mineras altius pervadat, & subigat: illud cum auro, argento, & cupro facile confunditur, sed ferri, & stanni, quòd diversæ sint naturæ, societatem aspernatur: in iis quippe sulfur, in plumbō abundat mercurius. Nitrum verò sulfur omne superfluum invadit, quidquid à metallo alienum est convertit in scorrias: tum effusa minera in vas cerā oblitum, auri, vel argenti regulum in vasis fundo deponit; postremò cupellæ, seu cineritii beneficio plumbum ab auro, vel argento secernit. Vbi vena agrestior est, nec facilè domabilis, aliquantulum scobis ferreæ nitro adjungunt, quæ fusionem accelerat, & reguli descensum promovet. Non dissimili modo chalcitis quidquid recondebat

argenti, deponit: hæc enim liquatur; tum salpetræ paulatim in catillum injicitur, donec chalcitis in scorias, aut vitrum viride faceat: liquata massa effunditur, argenti regulus in imo subsidit: scoriae iterum catillo, seu crucibulo commissæ prunâ conjectâ funduntur, & chalcitis pristinam recuperat formam. Non me latet aliis quoque modis metallorum venas probari. Sunt qui aliquantulum venæ contusæ cum multo vitro Veneto, vel alio fusili liqueat; vitrum enim colore metalli delitescentis imbibuitur: quod si effusum viridem exprimat colorem, vena cupro fœtatur; si rubro, vel caruleo colore tingatur, argentum, vel aurum vena continet. Nonnulli miscent sulfuris partem 1. puri tartari 2. nitri itidem expurgati 4. cum drachmâ contritæ minerae; hæc crucibulo imposita ferro candente accenduntur, quo quidem incendio minera redigitur in scorias: quidquid in eas abire remuit, cum novâ iterum mixturâ, atque eodem prorsus modo inflammatur: scoriae igne fusionis convertuntur in vitrum, quo effuso granum, seu portiuncula auri, vel argenti in imo remanet.

Non dissimili arte metallorum separatio instituitur; sive plumbo, sive antimonio, & sulfure, seu nitro, seu demum aquis stygiis tantum artifices: horum enim omnium una ferè est ratio: unumquodque metallum alterius sibi consimilis societatem affectat; dissimile, & alienum fugit. Sic mercurius facile cum auro, & grê cum ferro vel cupro conjungitur: & plerique sperant se, ex terrâ aut venâ beneficio hydrargyri aurum, vel argentum extrahere posse; adeò ut mercurius cum terrâ auro factâ contusus aurum sibi amicum rapiat, idque dimitiat, cum per corium, ut moris est, trahitur. Sic aurum una cum cupro dissolutum, & simul cum eo digestum, quidquid auri in cupro inerat, attrahit, & nonnihil incrementi sumit. Quis ignorat aurum in cupellâ cum plumbo fusum, atque ut loqui solent, fulminatum, gravius inde, & pallidius educi, quod in illo examine sibi ut simile, & amicum rapiat argentum, quo nullum ferè plumbum caret.

Non vos fugit cupellam ex cineribus ossium compingi; huic prius exsiccatæ plumbum imponitur, cui liquato quartam vel circiter auri partem adjungunt; id quoque brevi plumbi calore

De metallorum separazione.

decupellam ex cineribus ossium compingi; huic prius exsiccatæ plumbum imponitur, cui liquato quartam vel circiter auri partem adjungunt; id quoque brevi plumbi calore

M m ij

funditur; augetur ignis, cuius vim plumbum sustinere non valet; nec tamen in fumum, ut plerique putant, evanescit, sed in lithargyrum extenuatur, & poros cupellæ subit; quidquid in auro vel argento alienum erat secum trahit: aurum vero invictum supereft: non enim in scorias abire potest, quod nullo sulfure combustibili inquinetur, nec sale superfluo abundet: sed partes habet arctiori vinculo constrictas, quam ut solvi queant, vel in scorias mutari. Plerique artifices vertant cupellam ex ossibus suillis, & calcinatis parati; forte quod laxiores relinquunt meatus, quos aurum ipsum vna cum plumbbo subit: neque hinc aurum nisi summo labore, per crebras ablutiones colligi potest. Vidi qui mihi affirmaret aurum in cupella ex ossibus galli gallinacei conflata fulminatum, seu examinatum statim dissilire. Porro non aurum modò, sed etiam argentum in cineritio, vel cupella expurgari solet; maximè si cum cupro commixtum fuerit: nam ubi cum ferro, vel stanno confunditur, cupelle exarpini subjici non potest: ferrum quippe cum plumbbo non liquatur: stannum vero statim convertitur in scorias, quæ crassiores sunt, quam ut cineritium ingrediantur, ac persæpe multum auri, vel argenti deprædantur. Quam obrem necesse est ut haec metallorum secretio, vel antimonii, vel nitri adminiculo, vel aliâ industriâ perficiatur. Verum haec linquamus, quæ satis dilucidè ab aliis tractata fuere, quæque magis ad artifices, quam ad Philosophos videntur pertinere. Neque ista èo attigi, ut vos ad rei metallicæ studium impellerem, sed ut rerum quæ ante oculos positæ sunt, intimas, si fieri posset, rationes scrutaremur. Nec clam me est haec magis vsu, & exercitatione, quam præceptis edoceri. Non est quidem tanta in his rebus obscuritas, ut ea non penitus acri vir ingenio intelligat, si modò adspexerit: sed nemo res tantas nisi monstratas poterit percipere. Iam illis omissis ad reliqua progediar, & de vsu metallorum dicere incipiam.

M E N. Haec quidem partes fuerunt tuæ, de examine, separatione, & variâ metallorum præparatione ut dices, & eras jam ipse ingressus artem docimasticam: quare nisi jam defessus es, & si tibi graves non sumus, refer te ad illam, quæ ut puto intellectu est facilis, & vsu necessaria.

S I M P. Me igitur quando ita jubes , ad meum munus , pensumque revocabo. Aurum , & argentum ab aliis , quæ imperfecta dicuntur metallis , non vno quidem modo secernuntur : sed nullus mihi videtur , vel utilitate major , vel vsu facilior , quam qui nitri , & stibii beneficio perficitur. Antimonium enim ex impuro quodam , & combustibili sulfure , neque non ex mercurio à metallis non abhorrente componitur. Cùm itaque regulus antimonii cum cupro , stanno , vel plumbo æquali pondere liquatur , tum sulfur antimonii cum metalli sulfure , illius item mercurius cum hujus mercurio conjungitur. Quid si tantum nitri , quantum utrumque tum metallum , tum antimonium ponderat , sensim adjeceris , sulfur omne vi , atque impetu nitri agitatum in scorias convertetur , quibus aucto igne liquatis , atque in aliud vas effusis , tum regulus , seu pars metalli gravior , & purior , omni sulfure inutili liberata in vasis fundo subsidet. Licebit quoque nitrum cum metallis , & stibio contusis prunâ accendere , detonatione peractâ , scoriæ accenso carbone , vel candente ferro iterum funduntur ; effusæ regulum præbent , qui per cupellam fulminatus , aurum , vel argentum in metallis reconditum prodit. Eadem prorsus arte cuprum , aut stannum auro , vel argento admista separantur. Tres vncias tum cupri , tum stanni cum vnâ auri librâ confusas supponamus , quæ per cupellam non sine magno dispendio extrahi poslunt. Itaque tres itidem vncias reguli antimonii vnâ cum impuriori massâ liqueare operæ pretium fuerit : stibium quidem stannum , & cuprum in scorias mutabit : quò vero stibii regulus ab auro secernatur , tres quoque salisperitæ vncias non subito , sed sensim , cùm pulcrè metalla fluent , in catillum conjiciant ; tum nitrum & regulum antimonii , & cuprum , & stannum in scorias mutat , quæ tamen non nihil auri deprædantur. Quare illas iterum catillo imponam , ferro candente incensæ regulum auri , vel argenti non expertem dimittent ; idque toties iteratum oportet , quousque scoriæ fusionem respuant. Quoniam verò hæc tum Chymicorum , cùm Docimastarum , & aurificum mysteria præterite satius fuiserit , quam incepta deserere ; dicam itidem quibus artificiis autumab argento , atque ab aliis minoris notæ metallis separetur.

*De separa-
tione metal-
lorum per
antimo-
nium . &
nitrum.*

M m iii

Pervulgata est , & omnibus nota quartatio. Tres argenti partes cum vnâ impurioris auri parte aquæ fortí infunduntur: argentum ab aquâ exsolvitur ; aurum verò non solutum instar calcis ad fundum delabitur , atque in metallum calx illa fusione reducitur: aqua fortis , vel distillatione abstrahitur , vel in vas aquâ communi plenum effunditur ; cupreæ subjiciuntur laminæ , quibus argenti calx adhærescit. Hæc quidem est trita aurificum via ; sed magnos sumptus , longum etiam tempus postulat. Nam priùs argentum funditur , in frigidam effusum comminuitur in granula : numquam integrum ex aquâ fortí educitur ; nec facilè in metallum reduci potest: si quidem calx argenti aquis stygiis vexata fit fragilis , & ægrè funditur , nisi eam cum lixivio tartari excoquas , vel crucibulo aliquantulum salis tartari præmiseris , quod vbi fluere incœperit , tum paulatim argenti calcem , ut pristinam metalli formam recipiat , injicies. Quod si major sit auri , quam argenti portio , in aquâ regiâ dissolvitur : sic enim vocant aquam fortem , cui sal ammoniacum adjungitur , quæque aurum , non item argentum exsolvit : sal tartari , vel aqua falsa aurum præcipitat. Difficile dictu est quæ causa sit , cur aqua fortis argentum , non item aurum , contrâ aqua regia aurum non argentum exsolvat: cur oleum , seu liquor tartari si paulatim insitetur , tantum excitet fervorem , atque ipsum aurum præcipitet. An fortè spiritus salium ex quibus aquæ stygiæ conficiuntur , ex atomis tamquam ex spiculis constant , quæ metallorum subeunt meatus , ac vincula quibus partes erant colligatae , resolvunt. Iam verò salis ammoniaci corpuscula ita sunt conformata , ut auri , non argenti poros ingrediantur. Sed de iis jam alio loco copiosè disputatum est , cùm de principiis rerum naturalium ageremus: nec repeto , quæ tum fusori stylo sumus prosecuti de calce auti per liquorem tartari præcipitata , quæ aquâ calente identidem abluta , tum exsiccata fragorem edit tonitru simillimum. Illud quoque observatione dignum est aurum in eâdem laminæ ferreae parte sæpius fulminatum , illam tincturâ aureâ imbuere ; adeò vt acus ex illâ chalybis portiunculâ conflata , auri omnia subeat examina. Sed cautio est ne liquor tartari vberior , vel parcior in auti fulminantis præpara-

Aurum fulminans.

tione affunditur: hinc non omnibus hoc experimentum succedit; ac longè certius futurum est, si aurum non liquore tartari, sed vrinæ, vel salis ammoniaci spiritu præcipitetur. Quæ sit causa hujus fragoris aliis excutiendum relinquo. An forte partes auri sulfureæ calore rarefactæ magno impetu carceres suos diffingunt? Scobs chalybea igni admora, fulgurat quidem, non fulminat, quod sulfure abundet, sed partes ferri non adeò sunt compactæ, atque auri partes: hinc nullus ferè sonus: rameti peritissimus in arte Chymicâ Barletus pulverem ex ferro, & ære fulminantem paret. Cùm in æs fusum lapillus conjicitur, adeò æs ipsum effervescit, ut cum magno strepitu extrà prosiliat: nam calor multas lapidis particulas resolvit, quæ magno impetu æris corpuscula dividunt, & attollunt; hinc ebullitio, hinc sonus oritur. Quemadmodum oleo ferventi admistus humor, vel ellychnium madefactum stridet: in his enim omnibus strepitus ex partium divisione, & collisione proficitur.

Non vagabitur oratio mea longius: dixi de vulgatâ auri ab argento separatione aquæ fortis, vel regiæ adminiculo. At meâ quidem sententiâ mixtum aurum longè majori compendio solvit spiritu salis, cui perparum nitri admiscetur; factâ præcipitatione purum extrahitur. Plerique malunt viam sicciam insistere: sed longæ sunt ambages, operatio saepius repetenda, molestus denique, & diuturnus est labor. Glauberus aurum ex argento, cupro, ferro, atque aliis metallis permixtum granulat; contriti sulfuris quartam partem adjicit; vñâ in tigillo accuratè occluso, & optimè lutato accedit, aucto per gradus igne fluit metallum; paululum nitri sensim immittit, quod aliquamdiu fluere permittitur; tum effusa massa regulum aureum depositit. Quod si nullus exeat regulus, reddendum est metallum tigillo, tantum scobis ferreæ addendum est, quantum ferri cum auro permixtum esse conjicitur; vñco ferreo, & candente massa est agitanda; atque ubi per horæ quadrantem fluxerit, effunditur, ut regulum suum dimitiat: idque toties repetitur; quo usque regulus plus argenti quam auri expromat. Argenti verò regulum eadem arte evolves. Omnes demum regulos tigillo, seu catillo impositos nitri beneficio expurgat: nitrum

*Metallorum
Separatio per
examenta.*

quippe sulforea quæque aggreditur: antimonium verò ferrum, stannum, & cuprum multo abundant sulfure: hinc facile cum salepetræ societatem ineunt: aurum verò, & argentum cùm parum, vel nihil habeant sulfuris illius superflui, & combustibilis, in regulos colliguntur, & ab aliis impurioribus metallis secreta vim salispertræ contemnunt, atque ut graviora corpora in imo subsidunt.

Exposui ferè ut potui, quæ ad venarum fusionem, metallorum examen, & separationem pertinere arbitrabar. Ista quidem omnia ignis, vel caloris adminiculo perfici ostensum est: dum enim calor, vel ignita corpuscula (nihil hic litibus opus est) venas, aut ipsa metalla liquant, atque in minutissimas atomos communiquant, & vincula quibus metalli partes adstringebantur, resolvunt; tum quæ sunt graviora ad ima delabuntur; quæ autem leviora, vel efflantur in fumos, vel instar spumæ enatant. Cùm vena metallo prægnans, vel siccior, vel contumacior existit, adeò ut fundi non possit; plumbum, aut venam plumbi adjiciunt, tum ut humiditate suâ agrestem æris, vel argenti vénam temperet; tum ut summo calore, quem liquefactum acquirit, fusionem præmoveat; tum demum ut si quid in venâ auri, vel argenti delitescat, naturæ quâdam familiaritate alliciat. Cùm vena liquata fluit, partes quæ sunt sicciores, quæque humiditatis metallicæ sunt expertes, supernarant, & crustatim coéunt; hæ quidem auferuntur suis vlsibus profuturæ. Quandiu instar olei fusæ extant, ne metallum in fumos diffletur, impediunt: nam humiditate suâ tenaci, & viscosâ ipsis metallis sunt quasi præsidio, ne in vapores extenuentur. Scoriae quidem multum de natura vitri referunt; nam fusæ, viscosum, & tenacem humorem produnt; cùm verò frigore induruere, tum fragiles existunt. Contrarium planè in metallis experimur, quæ liquata nulli corpori adhaerescunt, sed instar aquæ in guttulas dividuntur; coagulata ductilem, & flexibilem fortuntur naturam. An scoriae multâ terrâ, & sale abundant? nam vitro consimilem naturam habent, atque ex iis via aspectu pulcherrima quæ ipsas gemmas nitore, ac splendore vincunt, parant Chymici. Comminutæ crystallo triplum sandycis, seu minii admiscent, constant in vitrum smaragdo simil-

*Cur plum-
bum venis
fundendis
adhibetur.*

*scoria me-
tallorum.*

*De vitris.
vel Aman-
sis.*

simillimum. Hinc olim obsidiana vitra ex metallorum scoriis, instar lapidis obsidiani nigerrima conficiebant: vitrum sane ex arena, vel silicibus, cum nitro permixtis, & fusis conflatur; neque vellum fine sale perficitur. Quid ergo causa est ut scoriarum tam leves, tam fragiles existant? an quod iis humor metallicus deest, qui pondus, & consistentiam praebet? an corpuscula ex quibus tum scoriarum, tum vitra compinguntur, male sibi cohærent? Sunt enim velut arenulae, quae inter se misceri exquisitè non possunt, sed in punctis dumtaxat se contingunt; hinc fragilitas, hinc adeò levitas exsurgit: nam multis poris hiant, unde in vitro perspicuitas, & splendor in amauis, seu vitris, quae ex metallorum scoriis parantur: nisi forte hic nitor ex pingui, & oleoso humore, quo nec vitrum, nec scoriarum carent, oriatur. Sed cur scoria contrita venæ metallicæ, & rebellis, fusionem accelerat? an quia duræ, & acutæ quibus scoria constat, particulæ calore agitatæ venas metallicas dividunt, secant, aperunt? Eadem præstant omnes sales, qui suis spiculis viam sibi parant, & discutunt corporum vincula. Hinc varia salium genera, Metallurgi, Docimastæ, & Alchimistæ adhibent, quod venas doment, & fundant, metalla purgent, & separent, neque ullus ferè labor, citra salem ritè suscipitur. Quod si tibi aliquod minetale fugax, & volatile figere incumbit, hoc nitrum, hoc alii sales fixi præstabunt. Quid ipso hydrargyro fugacius? si in aqua fōrti eum exfolvas, atque aquam distilles; idque saepius repetere non tēdeat, tantam adipiscitur firmitatem, ut ignem impunè ferat. Sic aqua stygia stanno affusa, atque ab eo abstracta, tantam huic metallo duritiem tribuit, ut fundi recusat, sed in vitrum portiū candidum abeat; idem ferè in plumbō contingit. Quid porrò hæc mollia metalla adeò fixa efficit, nisi nitrum, ex quo aqua fōrtis paratur? an quia superfluum humorem temperat? an quod suis atomis partes male consertas vinciat, & adstringat? mirum quod idem salpetræ metalla dissolvat, & figat, separat, & jungat. An ignem in se occultum gerit, qui heterogenea segregat, & vnit congenera? imperfæcta quæ sunt metalla maturat, ac digerit; superflua vero excernit. Experimenta proferrem innumera, nisi me Sol qui jam multum inclinatur, ut sim brevior admonerer. Antimo-

*Cur salibus
vena do-
mentur, &
liqueantur.*

nium, arsenicum, atque alia mineralia, quæ suâ subtilitate nobis sunt infensissima, vnâ cum nitro incensa, omne virus vnâ cum superfluo sulfure deponunt, & fixa evadunt.

Cùm etiam hæc mineralia multum auri volatilis continent, quod promere non possunt, ni priùs ignem pati discant; nitrum id præter cætera præstabit; nam in aquâ forti semel, atque iterum exsoluta, quæ per distillationem abstrahitur, in calcem fixam abibunt, atque vnâ cum plumbo per cineritium fulminata, si quid auri recondant, exhibebunt. Tuius fortasse erit per viam siccac, seu cæmentationem procedere; modò tractandi ignis non sis imperitus. Cuprum in tenues laminulas diductum vnâ cum arsenici, auripigmenti, & aliorum mineralium pulvere cæmentant, hoc est alternis ordinibus in pyxide, vel crucibulo disponunt, quod bene operatum, & lutatum igne circulari circumdatur, donec candescat, (sic solent confusa metalla separare, cæmento ex sale, vitriolo, & pulvere regularum, quæ quod impurum auro inest, rapiunt) cuprum è catillo extractum mineralium ingressu fit friabile, in pulverem comminuitur, per salem petræ purgatur; atque vnâ cum plumbō in cinerilio excoctum, quidquid ipsi, & venenatis mineralibus auri inerat, deponit. Sic hydrargyrus quo nihil fugacius, argento incrementum affert. Argento enim in aqua forti dissoluto quadruplum mercurii adjiciunt; in loco frigido vnâ manent, donec mercurius soluto argento adhærescens præcipitur: quod si vnius saltem anni spatio simul relinquuntur, argentum non mediocriter auctum iri promittit Glauberus, cuius libri cùm ejusmodi arcana sint referti, ac jam omnium manibus terantur, nihil est quod illis formulis vos distineam. Atenim vereor, ne aut vobis difficiliora, aut non satis certa, & explorata videantur.

Ego ista quidem arcana non aspernor, quæ maximam utilitatem in se continent, ac secretiorem Philosophiam non mediocriter illustrant: nec fortè tanti sunt laboris, quanti videntur, sed exercitatione, & vsu facile percipiuntur. Nolim tamen (quod mihi sæpius dicendum est) quemquam in metallorum tractatione versari, nisi à peritissimo, & longo vsu subacto artifice dirigatur. Nulla est ars periculosior, nulla quæ fraudi, &

imposturæ magis pateat. Optarem equidem ut nemo, nisi vel auctoritate publicâ munitus, vel artis suæ professione coactus his laboribus incumberet: nam Alchimia videtur perditorum hominum extremum esse perfugium: falsariis, & impostoribus yndique obsidetur; ac plerique quibus res sunt accisæ, è fur-nulis suis præsidium querunt, & variis sæpe criminibus se se il-ligant. Non continuo tamen ipsa Alchimia in invidiam vocan-da, neque artificum vitia artem pulcherrimam infament. Quis autem ignorat maximam partem artium, quibus communis ho-minum societas carere non potest, ex ipsis Alchimiæ quasi fontibus derivari; his omnibus vna dominatur, principia, le-ges, modum, & finem cuique arti, tamquam Architectonica prescribit. Quocumque mentem, & cogitationem converte-ris, artifices circa res metallicas occupati comperies. Metal-lurgi effodiunt, abluunt, fundunt venas metallicas. Iam quis illos edocuit, venas agrestiores vñâ cum plumbo, vel plumbi venâ eliquare, scorias addere, quò fusio sit celerior; nisi ipsa Al-chimia, quæ novit plumbum vt auro, & argento amicum, ea ad se rapere; adeò ut æs ipsum levius extet, & crustatum coëat: quod vt ab omnibus extraneis omnino liberetur, secundæ for-naci iterum immittitur: si quid putent nonnihil auri, vel argenti adhuc continere, plumbum adjungitur, quod nobiliora metalla secum ad ima deducit; tum scorias extantes colligunt, æs ipsum à plumbō, moderato calore secernitur; plumbum enim facilius liquefit, & descendit; æs vero instar pumicis spongiosum in propria fornace ad purum (vt loqui solent) ex-coquitur; cuius scoriam multis rebus vtilem, diphrygem vo-cant.

Quid in metallis contempnendum, cùm ipsa excrementa, vel scorias non recentiores modò, sed etiam veteres Medici ad suos usus adhibuerint: sed de his posterius. Omnia quidem metalla sua habent recrementa, si aurum exceperis; quo enim sunt im-perfectoria, eo scorias, cùm funduntur, vberiores præbent. Fer-rum cùm sit maximè terrestre, & impurum; non solùm ubi funditur, sed cum igne emollitur, vel in chalybem expurgatur, scoriam multam egerit: è chalybe cærulea efflorescit, vulgari longè præstantior. Plumbi scoria, mollem, lentam, nec fragi-
N n ij

lem nacta est naturam; in aqua exsolvitur, quam luteo colore inficit. Cum plumbum liquatur in fornace; vel vna cum argento, vel solum: instar spumæ quiddam oleosum erat, quod lithargyrus appellatur; est enim veluti argenti spuma: cum argentum in secundis fornacibus expurgatur, instar olei ignis ardoribus extenuatur; hinc levitatem acquirit, tametsi in plumbum reduci possit: hoc vtuntur figuli, cum stanni cineribus permisto, vt vasis fictilibus crustam vitream inducant. Distat, inquit Plinius, à scoriam, quo potest spuma distare à fæce.

Lithargy-
rus.

Alterum purgantis se materia, alterum purgatae vitium est. Multa olim lithargyri genera statuebant; nunc vel aureo colore fulget, cum aliquid æris argenti venæ inest, tuncque squamis lucentibus distinguitur, vel argenteo colore nitet. Lithargyro finitima est molybdæna, quæ vel fossilis est, vel factitia; illa est plumbi & argenti vena communis, galenam vocant; aureum præfert colorem, friabilis est, & modicè gravis: cocta cum oleo jecinoris colorem trahit, vt Plinius refert, hæc primis fornacibus adhærescit; illa granis distinguitur, hæc squamis instar auripigmenti constat; à lithargyro differt, quod hic in secundis, molybdæna in primis fornacibus concrescat. Argentum denique cum à venâ purgatur, scoriam tenacem, aliquando cæruleam, aliquando nigriorem expellit, ac merito dubitant utrum ex argento, vel ex plumbbo oriatur. Ista quidem sunt metallorum veluti recrementationes, quæ illis cum excoquuntur innatant, nec tamen metallorum naturam exuerunt; sed in ea plerumque reducuntur; at quæ in fornacum parietibus instar fuliginis adhærescunt, præfertim, cum æris, vel argenti venæ eliquantur, diversam planè à metallis sortita sunt naturam. Cadmiam vocant, crassiorem fuliginem, quæ variis insignitur nominibus, prout vel crustatum, vel racematum concrescit, ac varietate colorum, aut partium tenuitate distinguitur. Eam judicat optimam Plinius, quæ è cameris fornacum dependens botrytis cognominatur, hæc forte nunc tutæ Alexandrinæ donatur nomine; intus lenis est, & terfa, exterius verò gravis, aspera, atque arboris cortici non dissimilis, gravis est, & sonora: alia quidem est cadmia fossilis, quæ terræ similius, quam lapidi, gravis est, & pallida, fundi nequit, sed in exitiales fumos evanescit; cum

Galenæ.

Cadmia.

Tutæ.

ære cæmeneata, illius pondus auger, & in orichalcum convertit; in Germania frequens occurrit, lapidem calaminarem vocant. Est aliud cadmiæ fossilis genus, cuius Galenus meminit, testaceum, durum, ita ut attritu chalybis scintillet, subniger est hic lapis, sulfureum nidorem cum aduritur exhalat, in fodinis chalcanthi reperitur, atque inter pyritis species, vel marcasitas referri potest. Postremò cum æs perficitur, vel cadmia crematur, tum fuligo levissima fornacis tecta obsidet, candida atque instar velleris glomerata, quæ pompholyx vocitatur; fuligo crassior, quæ vel parietibus inhæret, vel in pavimentum decidit, coloris cinerei, & substantiæ densioris, spodium appellatur; illa candida, & tenuis, & favillæ est similis, cum spodium cinerem colore, & naturâ referat, ac sale fixo abundet.

Hæc quidem veteribus non fuerunt incognita; sed quâ arte metalla confusa separari, atque ex imperfectis perfectiora discerni possent, omnino ignorarunt, nam artifices longâ observationum serie, & magno rerum vsu peritiores facti, veterum inventa expolierunt, multa retro incognita edidere: ipsa metallorum tractatio, & vsus quotidie ex se gignit aliquid novi, quod longa dies perficit. Iam quoque Philosophi his studiis ardentes, nec solum docti, sed etiam experti, & longo vsu imbuti magnam his rebus abstrusis, & reconditis lucem intulerunt. Nam mirus inter Philosophiam, & ingenuas artes consensus reperitur; ratio ipsa artes illuminat, vsus doctrinam confirmat; Philosophia arte destituta, jejuna est, exilis, & tota in serie disputationum, & verborum concertatione versatur; vsus ipse cui ratio non prælucet, in magnos errores nos præcipitat; quare unum ab altero non separemus; nec Philosophus artificem contemnat, neque artifex ipsos despiciat sapientes; sibi mutuas tradunt operas, ac mutuis auxiliis subsistunt. Multa commentatio fontes rerum aperit, principia, & causas perverstigat, ex quibus ad experimenta descendimus. Longa rerum meditatio cum multo vsu conjuncta nos docuit perfecta metalla ex partibus arctissimè consertis, exquisitè permixtis, & digestis compingi; imperfecta vero partes malè colligatas, nec satuis defæctatas habere, sed multo vitriolo, vel sulfure combusti-

Pompholyx:

MS. A. 1. 1. fol. 10v. 11r. 11v. 12r. 12v. 13r. 13v. 14r. 14v. 15r. 15v. 16r. 16v. 17r. 17v. 18r. 18v. 19r. 19v. 20r. 20v. 21r. 21v. 22r. 22v. 23r. 23v. 24r. 24v. 25r. 25v. 26r. 26v. 27r. 27v. 28r. 28v. 29r. 29v. 30r. 30v. 31r. 31v. 32r. 32v. 33r. 33v. 34r. 34v. 35r. 35v. 36r. 36v. 37r. 37v. 38r. 38v. 39r. 39v. 40r. 40v. 41r. 41v. 42r. 42v. 43r. 43v. 44r. 44v. 45r. 45v. 46r. 46v. 47r. 47v. 48r. 48v. 49r. 49v. 50r. 50v. 51r. 51v. 52r. 52v. 53r. 53v. 54r. 54v. 55r. 55v. 56r. 56v. 57r. 57v. 58r. 58v. 59r. 59v. 60r. 60v. 61r. 61v. 62r. 62v. 63r. 63v. 64r. 64v. 65r. 65v. 66r. 66v. 67r. 67v. 68r. 68v. 69r. 69v. 70r. 70v. 71r. 71v. 72r. 72v. 73r. 73v. 74r. 74v. 75r. 75v. 76r. 76v. 77r. 77v. 78r. 78v. 79r. 79v. 80r. 80v. 81r. 81v. 82r. 82v. 83r. 83v. 84r. 84v. 85r. 85v. 86r. 86v. 87r. 87v. 88r. 88v. 89r. 89v. 90r. 90v. 91r. 91v. 92r. 92v. 93r. 93v. 94r. 94v. 95r. 95v. 96r. 96v. 97r. 97v. 98r. 98v. 99r. 99v. 100r. 100v. 101r. 101v. 102r. 102v. 103r. 103v. 104r. 104v. 105r. 105v. 106r. 106v. 107r. 107v. 108r. 108v. 109r. 109v. 110r. 110v. 111r. 111v. 112r. 112v. 113r. 113v. 114r. 114v. 115r. 115v. 116r. 116v. 117r. 117v. 118r. 118v. 119r. 119v. 120r. 120v. 121r. 121v. 122r. 122v. 123r. 123v. 124r. 124v. 125r. 125v. 126r. 126v. 127r. 127v. 128r. 128v. 129r. 129v. 130r. 130v. 131r. 131v. 132r. 132v. 133r. 133v. 134r. 134v. 135r. 135v. 136r. 136v. 137r. 137v. 138r. 138v. 139r. 139v. 140r. 140v. 141r. 141v. 142r. 142v. 143r. 143v. 144r. 144v. 145r. 145v. 146r. 146v. 147r. 147v. 148r. 148v. 149r. 149v. 150r. 150v. 151r. 151v. 152r. 152v. 153r. 153v. 154r. 154v. 155r. 155v. 156r. 156v. 157r. 157v. 158r. 158v. 159r. 159v. 160r. 160v. 161r. 161v. 162r. 162v. 163r. 163v. 164r. 164v. 165r. 165v. 166r. 166v. 167r. 167v. 168r. 168v. 169r. 169v. 170r. 170v. 171r. 171v. 172r. 172v. 173r. 173v. 174r. 174v. 175r. 175v. 176r. 176v. 177r. 177v. 178r. 178v. 179r. 179v. 180r. 180v. 181r. 181v. 182r. 182v. 183r. 183v. 184r. 184v. 185r. 185v. 186r. 186v. 187r. 187v. 188r. 188v. 189r. 189v. 190r. 190v. 191r. 191v. 192r. 192v. 193r. 193v. 194r. 194v. 195r. 195v. 196r. 196v. 197r. 197v. 198r. 198v. 199r. 199v. 200r. 200v. 201r. 201v. 202r. 202v. 203r. 203v. 204r. 204v. 205r. 205v. 206r. 206v. 207r. 207v. 208r. 208v. 209r. 209v. 210r. 210v. 211r. 211v. 212r. 212v. 213r. 213v. 214r. 214v. 215r. 215v. 216r. 216v. 217r. 217v. 218r. 218v. 219r. 219v. 220r. 220v. 221r. 221v. 222r. 222v. 223r. 223v. 224r. 224v. 225r. 225v. 226r. 226v. 227r. 227v. 228r. 228v. 229r. 229v. 230r. 230v. 231r. 231v. 232r. 232v. 233r. 233v. 234r. 234v. 235r. 235v. 236r. 236v. 237r. 237v. 238r. 238v. 239r. 239v. 240r. 240v. 241r. 241v. 242r. 242v. 243r. 243v. 244r. 244v. 245r. 245v. 246r. 246v. 247r. 247v. 248r. 248v. 249r. 249v. 250r. 250v. 251r. 251v. 252r. 252v. 253r. 253v. 254r. 254v. 255r. 255v. 256r. 256v. 257r. 257v. 258r. 258v. 259r. 259v. 260r. 260v. 261r. 261v. 262r. 262v. 263r. 263v. 264r. 264v. 265r. 265v. 266r. 266v. 267r. 267v. 268r. 268v. 269r. 269v. 270r. 270v. 271r. 271v. 272r. 272v. 273r. 273v. 274r. 274v. 275r. 275v. 276r. 276v. 277r. 277v. 278r. 278v. 279r. 279v. 280r. 280v. 281r. 281v. 282r. 282v. 283r. 283v. 284r. 284v. 285r. 285v. 286r. 286v. 287r. 287v. 288r. 288v. 289r. 289v. 290r. 290v. 291r. 291v. 292r. 292v. 293r. 293v. 294r. 294v. 295r. 295v. 296r. 296v. 297r. 297v. 298r. 298v. 299r. 299v. 300r. 300v. 301r. 301v. 302r. 302v. 303r. 303v. 304r. 304v. 305r. 305v. 306r. 306v. 307r. 307v. 308r. 308v. 309r. 309v. 310r. 310v. 311r. 311v. 312r. 312v. 313r. 313v. 314r. 314v. 315r. 315v. 316r. 316v. 317r. 317v. 318r. 318v. 319r. 319v. 320r. 320v. 321r. 321v. 322r. 322v. 323r. 323v. 324r. 324v. 325r. 325v. 326r. 326v. 327r. 327v. 328r. 328v. 329r. 329v. 330r. 330v. 331r. 331v. 332r. 332v. 333r. 333v. 334r. 334v. 335r. 335v. 336r. 336v. 337r. 337v. 338r. 338v. 339r. 339v. 340r. 340v. 341r. 341v. 342r. 342v. 343r. 343v. 344r. 344v. 345r. 345v. 346r. 346v. 347r. 347v. 348r. 348v. 349r. 349v. 350r. 350v. 351r. 351v. 352r. 352v. 353r. 353v. 354r. 354v. 355r. 355v. 356r. 356v. 357r. 357v. 358r. 358v. 359r. 359v. 360r. 360v. 361r. 361v. 362r. 362v. 363r. 363v. 364r. 364v. 365r. 365v. 366r. 366v. 367r. 367v. 368r. 368v. 369r. 369v. 370r. 370v. 371r. 371v. 372r. 372v. 373r. 373v. 374r. 374v. 375r. 375v. 376r. 376v. 377r. 377v. 378r. 378v. 379r. 379v. 380r. 380v. 381r. 381v. 382r. 382v. 383r. 383v. 384r. 384v. 385r. 385v. 386r. 386v. 387r. 387v. 388r. 388v. 389r. 389v. 390r. 390v. 391r. 391v. 392r. 392v. 393r. 393v. 394r. 394v. 395r. 395v. 396r. 396v. 397r. 397v. 398r. 398v. 399r. 399v. 400r. 400v. 401r. 401v. 402r. 402v. 403r. 403v. 404r. 404v. 405r. 405v. 406r. 406v. 407r. 407v. 408r. 408v. 409r. 409v. 410r. 410v. 411r. 411v. 412r. 412v. 413r. 413v. 414r. 414v. 415r. 415v. 416r. 416v. 417r. 417v. 418r. 418v. 419r. 419v. 420r. 420v. 421r. 421v. 422r. 422v. 423r. 423v. 424r. 424v. 425r. 425v. 426r. 426v. 427r. 427v. 428r. 428v. 429r. 429v. 430r. 430v. 431r. 431v. 432r. 432v. 433r. 433v. 434r. 434v. 435r. 435v. 436r. 436v. 437r. 437v. 438r. 438v. 439r. 439v. 440r. 440v. 441r. 441v. 442r. 442v. 443r. 443v. 444r. 444v. 445r. 445v. 446r. 446v. 447r. 447v. 448r. 448v. 449r. 449v. 450r. 450v. 451r. 451v. 452r. 452v. 453r. 453v. 454r. 454v. 455r. 455v. 456r. 456v. 457r. 457v. 458r. 458v. 459r. 459v. 460r. 460v. 461r. 461v. 462r. 462v. 463r. 463v. 464r. 464v. 465r. 465v. 466r. 466v. 467r. 467v. 468r. 468v. 469r. 469v. 470r. 470v. 471r. 471v. 472r. 472v. 473r. 473v. 474r. 474v. 475r. 475v. 476r. 476v. 477r. 477v. 478r. 478v. 479r. 479v. 480r. 480v. 481r. 481v. 482r. 482v. 483r. 483v. 484r. 484v. 485r. 485v. 486r. 486v. 487r. 487v. 488r. 488v. 489r. 489v. 490r. 490v. 491r. 491v. 492r. 492v. 493r. 493v. 494r. 494v. 495r. 495v. 496r. 496v. 497r. 497v. 498r. 498v. 499r. 499v. 500r. 500v. 501r. 501v. 502r. 502v. 503r. 503v. 504r. 504v. 505r. 505v. 506r. 506v. 507r. 507v. 508r. 508v. 509r. 509v. 510r. 510v. 511r. 511v. 512r. 512v. 513r. 513v. 514r. 514v. 515r. 515v. 516r. 516v. 517r. 517v. 518r. 518v. 519r. 519v. 520r. 520v. 521r. 521v. 522r. 522v. 523r. 523v. 524r. 524v. 525r. 525v. 526r. 526v. 527r. 527v. 528r. 528v. 529r. 529v. 530r. 530v. 531r. 531v. 532r. 532v. 533r. 533v. 534r. 534v. 535r. 535v. 536r. 536v. 537r. 537v. 538r. 538v. 539r. 539v. 540r. 540v. 541r. 541v. 542r. 542v. 543r. 543v. 544r. 544v. 545r. 545v. 546r. 546v. 547r. 547v. 548r. 548v. 549r. 549v. 550r. 550v. 551r. 551v. 552r. 552v. 553r. 553v. 554r. 554v. 555r. 555v. 556r. 556v. 557r. 557v. 558r. 558v. 559r. 559v. 560r. 560v. 561r. 561v. 562r. 562v. 563r. 563v. 564r. 564v. 565r. 565v. 566r. 566v. 567r. 567v. 568r. 568v. 569r. 569v. 570r. 570v. 571r. 571v. 572r. 572v. 573r. 573v. 574r. 574v. 575r. 575v. 576r. 576v. 577r. 577v. 578r. 578v. 579r. 579v. 580r. 580v. 581r. 581v. 582r. 582v. 583r. 583v. 584r. 584v. 585r. 585v. 586r. 586v. 587r. 587v. 588r. 588v. 589r. 589v. 590r. 590v. 591r. 591v. 592r. 592v. 593r. 593v. 594r. 594v. 595r. 595v. 596r. 596v. 597r. 597v. 598r. 598v. 599r. 599v. 600r. 600v. 601r. 601v. 602r. 602v. 603r. 603v. 604r. 604v. 605r. 605v. 606r. 606v. 607r. 607v. 608r. 608v. 609r. 609v. 610r. 610v. 611r. 611v. 612r. 612v. 613r. 613v. 614r. 614v. 615r. 615v. 616r. 616v. 617r. 617v. 618r. 618v. 619r. 619v. 620r. 620v. 621r. 621v. 622r. 622v. 623r. 623v. 624r. 624v. 625r. 625v. 626r. 626v. 627r. 627v. 628r. 628v. 629r. 629v. 630r. 630v. 631r. 631v. 632r. 632v. 633r. 633v. 634r. 634v. 635r. 635v. 636r. 636v. 637r. 637v. 638r. 638v. 639r. 639v. 640r. 640v. 641r. 641v. 642r. 642v. 643r. 643v. 644r. 644v. 645r. 645v. 646r. 646v. 647r. 647v. 648r. 648v. 649r. 649v. 650r. 650v. 651r. 651v. 652r. 652v. 653r. 653v. 654r. 654v. 655r. 655v. 656r. 656v. 657r. 657v. 658r. 658v. 659r. 659v. 660r. 660v. 661r. 661v. 662r. 662v. 663r. 663v. 664r. 664v. 665r. 665v. 666r. 666v. 667r. 667v. 668r. 668v. 669r. 669v. 670r. 670v. 671r. 671v. 672r. 672v. 673r. 673v. 674r. 674v. 675r. 675v. 676r. 676v. 677r. 677v. 678r. 678v. 679r. 679v. 680r. 680v. 681r. 681v. 682r. 682v. 683r. 683v. 684r. 684v. 685r. 685v. 686r. 686v. 687r. 687v. 688r. 688v. 689r. 689v. 690r. 690v. 691r. 691v. 692r. 692v. 693r. 693v. 694r. 694v. 695r. 695v. 696r. 696v. 697r. 697v. 698r. 698v. 699r. 699v. 700r. 700v. 701r. 701v. 702r. 702v. 703r. 703v. 704r. 704v. 705r. 705v. 706r. 706v. 707r. 707v. 708r. 708v. 709r. 709v. 710r. 710v. 711r. 711v. 712r. 712v. 713r. 713v. 714r. 714v. 715r. 715v. 716r. 716v. 717r. 717v. 718r. 718v. 719r. 719v. 720r. 720v. 721r. 721v. 722r. 722v. 723r. 723v. 724r. 724v. 725r. 725v. 726r. 726v. 727r. 727v. 728r. 728v. 729r. 729v. 730r. 730v. 731r. 731v. 732r. 732v. 733r. 733v. 734r. 734v. 735r. 735v. 736r. 736v. 737r. 737v. 738r. 738v. 739r. 739v. 740r. 740v. 741r. 741v. 742r. 742v. 743r. 743v. 744r. 744v. 745r. 745v. 746r. 746v. 747r. 747v. 748r. 748v. 749r. 749v. 750r. 750v. 751r. 751v. 752r. 752v. 753r. 753v. 754r. 754v. 755r. 755v. 756r. 756v. 757r. 757v. 758r. 758v. 759r. 759v. 760r. 760v. 761r. 761v. 762r. 762v. 763r. 763v. 764r. 764v. 765r. 765v. 766r. 766v. 767r. 767v. 768r. 768v. 769r. 769v. 770r. 770v. 771r. 771v. 772r. 772v. 773r. 773v. 774r. 774v. 775r. 775v. 776r. 776v. 777r. 777v. 778r. 778v. 779r. 779v. 780r. 780v. 781r. 781v. 782r. 782v. 783r. 783v. 784r. 784v. 785r. 785v. 786r. 786v. 787r. 787v. 788r. 788v. 789r. 789v. 790r. 790v. 791r. 791v. 792r. 792v. 793r. 793v. 794r. 794v. 795r. 795v. 796r. 796v. 797r. 797v. 798r. 798v. 799r. 799v. 800r. 800v. 801r. 801v. 802r. 802v. 803r. 803v. 804r. 804v. 805r. 805v. 806r. 806v. 807r. 807v. 808r. 808v. 809r. 809v. 810r. 810v. 811r. 811v. 812r. 812v. 813r. 813v. 814r. 814v. 815r. 815v. 816r. 816v. 817r. 817v. 818r. 818v. 819r. 819v. 820r. 820v. 821r. 821v. 822r. 822v. 823r. 823v. 824r. 824v. 825r. 825v. 826r. 826v. 827r. 827v. 828r. 828v. 829r. 829v. 830r. 830v. 831r. 831v. 832r. 832v. 833r. 833v. 834r. 834v. 835r. 835v. 836r. 836v. 837r. 837v. 838r. 838v. 839r. 839v. 840r. 840v. 841r. 841v. 842r. 842v. 843r. 843v. 844r. 844v. 845r. 845v. 846r. 846v. 847r. 847v. 848r. 848v. 849r. 849v. 850r. 850v. 851r. 851v. 852r. 852v. 853r. 853v. 854r. 854v. 855r. 855v. 856r. 856v. 857r. 857v. 858r. 858v. 859r. 859v. 860r. 860v. 861r. 861v. 862r. 862v. 863r. 863v. 864r. 864v. 865r. 865v. 866r. 866v. 867r. 867v. 868r. 868v. 869r. 869v. 870r. 870v. 871r. 871v. 872r. 872v. 873r. 873v. 874r. 874v. 875r. 875v. 876r. 876v. 87

bili abundare compertum est: hinc artem quā ignobiliora metalla ab imperfectis secernantur, excogitarunt: sive id cupellatio efficiat: (cū aurum, vel argentum impurius, cum multo plumbo permistum, & liquatum, tamdiu ignis ardoribus exercetur, quoisque cuprum, vel plumbum admistum, in cineres, & scorias redigatur, ac cineritium subeat; illæsō auro, vel argento, cuius partes divelli nequeunt:) sive camentatio, quam superiùs exposui, sive aqua stygia, seu denique antimoniū aurum expurget.

*Principia-
tionum. Et
separatio-
rum diversi
modi, &
varia ratio-
nes.*


Omnis separatio, vt diximus, calore perficitur, resolutis vinclis, quæ sunt congenera vñā coēunt, quæ diversam nactam naturam, secernuntur. Hinc sulfurea quæque metalla, nitro, sulfure, & antimonio expurgantur: nam vnumquodque quod sibi simile est, querit; dissimile & alienum fugit, hinc solutio in aquis stygiis, hinc oritur præcipitatio. Sic cuprum dissolutum in aquā forti, per ferrum; argentum per cupri laminas præcipitatur: nam vt argento cuprum, sic cupro ferrum amicum est, & auro hydrargyrus. Hæc sanè ratio latissimè patet: non enim modò metalla aquis stygiis exsoluta res quædam vel aquis, vel metallis affines, præcipitant; vt sal tartari, sal commune, vrina, & alia id genus: sed massa ex diversis metallis conflata, vbi cum antimonio liquata fuerit, scobis ferreæ additione, tota ferè in scorias convertitur, præter aurum, quod instar reguli in fundo remanet; iterum fusæ si adjeceris ferri scobem, argentum dimittit, & ita singula metalla seorsim ferrum præcipitat, dum quæ sibi sunt cognata invadit, & in scorias convertit, quæ diversam ab ferro fortita sunt naturam intacta remanent. Sic sulfur metalla in cineres redigit, quæ liquantur, & ferri beneficio seorsim separantur. Hac arte venā metallicā vñā cum triplo, aut quadruplo antimonio fusā, metalla quibus prægnat extrahuntur; ac nitro expurgantur. Imò si partem vnam ferri cum duabus antimonii liquaveris, & aliquantulum salispetræ identidem adjeceris, qui pro more suo scorias procreabit; regulum ex ferro, & antimonio consequeris auri non experitem: nam cum plumbo fusus, & nitri additione iterum purgatus, per cupellam fulminatus aurum non contempnendum præbebit. Plumbum sit reguli triplum, aut quadruplum, quo

plus nitri apposueris, eo plures scorias obtinebis; sed danda est opera, vt vna saltem plumbi pars in tegulo remanear, per cùpillum probanda. Illud sanè est mirabile nullam ferè venam metallicam, nullum metallum, nullum adeò minerale, auro vel argento non ditescere, quod nitri beneficio, vel spiritu salis (nescio an cum aliquo emolumento) potest extrahi, seu per cæmentationem, aut aquam fortem minerale fugax, & auro volatili prægnans fixetur; seu nitri adjectione impura, atque imperfecta metalla in scorias redigantur, regulo in imo remanente, qui plumbo, vel salepetræ iterum expurgatur; seu denique sulfuris, vel antimonii beneficio idem regulus subsidat. Verùm ista, quod sàpē dicendum est, non inexercitatum artificem desiderant: nam cautissimè metalla tractanda sunt; magnâ opus est industriâ in furnulis, testis, cupellis, focis adornandis; magna in ignis moderamine cura est adhibenda: cœendum in primis est ab halitibus venenatis, quæ mineralia ferè omnia efflare solent. Danda quoque est opera ne carbones, in catillos, aut focos incident, maximè cùm metalla per nitrum separantur; aut figurunt mineralia. Cùm enim salpetræ quidquid in metallis inest impuri sulfuris aggrediatur, ac tota mineralia quæ hoc abundant sulfure in scorias, & cineres convertat; si quæ in catillos, vel crucibula prunâ delabantur; statim nitrum quæ corripuerat metalla, dimittit, vt sulfur carbonum sibi familiarius complectatur. Hinc scoriae facile in metalla reducuntur injectâ ardente prunâ; neque, vt mihi videtur, alia est præcipitationis ratio. Imò, si bene augor, tota ferè Alchimia huic principio innititur: vnumquodque sui similis societatem affectat. Plura salium genera in aquâ exsolve, aquâ in vapores diffusatâ, vnumquodque sal cum suo congenere, alumen cum alumine, vitriolum cum vitriolo conjungitur.

Ferrum, cuprum, stibium, arsenicum nitro liquata, & fixata aliquantulum auri præbent; at si vna cum iis fossilibus aurum, vel argentum liquet, longè vberius aurum educitur; partem vnam auri, duas cupri, tres reguli antimonii funde; saltempetræ, quantum vtrumque, tum cuprum, tum regulus pondent, sensim immitte; atque in fluxu quantum poteris conserva; aurum non mediocriter auctum consequeris. Illud quippe

Omnia ferè
metallica
qui didam
auris recon-
dera offe-
runt Alchi-
mista.

quâdam naturæ similitudine aliud aurum volatile, & male digestum attrahit, dum nitrum sulfurea metalla invadit, figit, & in scorias mutat, quæ tamen citò prunâ injectâ pristinam formam recuperant; adeò ut nihil ferè pereat. Quomodo fornax huic operi idonea, & focus sit parandus, peculiari tractatu fùse exponit Glauberus, quem, si libeat, consuletis: neque enim mihi est animus hic omnium Chymicorum formulas, & arcana intexere. Rationes, & ipsos velut fontes aperio, rivulos omnes qui ex iis ducuntur consecrati non possum: id enim infinitum foret, non necessarium. Quare nisi quid vobis aliud placet, ad illa pergamus, quæ ad metallorum usum pertinent. Sed ista secundum hunc diem. Satis enim multa hodie dicta sunt.



C A P V T V L T I M V M.

De usu metallorum: ubi de antimonio, & hydrargyro, & aliis rebus metallicis.

1. *Omnium ferè circa metalla operationum, vt dissolutionis, precipitationis, &c. cause, & rationes inquiruntur.*
2. *De floribus, regulo, & vitro antimonii, atque eorum usu differitur.*
3. *Varie mineralium preparationes, atque usus describuntur, ubi quâ arte metallorum essentia, olea, vitriola educi queant, paucis exponimus.*
4. *Remedia ex hydrargyro, antimonio, ac metallis de prompta multis oppugnantur rationibus.*
5. *Quid de usu metallorum nobis videatur paucis aperimus.*

M E N A N D E R.

NON NIHIL etiam deesse videtur iis rebus quas exposuisti, quod sit antè explicandum, quām illic pergamus, quò te dicis intendere. Fontes quidem unde hauriemus, atque ipsam viam monstrasti, sed volumus te ipsum itineris ducēm, atque ut nobis aditum, & januam ad secretiora ipsius Alchimiae arcana patefacias, postulamus. Noli nos mittere ad Alchimistas, qui solo usu contenti, intimas rerum causas non aperiunt, optimæ

ma quæque arcana silentio premunt, nihil quām pervulgata præcepta decantant. Quām breviter de fusione, examine, & separatione metallorum à te percussa sunt, quæ ab omnibus Alchimistis vix sperare liceat: exiles, concisas, & minutus formulas nullo ordine, nullâ ratione digestas exscribunt, multis eas parabolis involvunt, nihil sine pigmentis, fucóque puerili; quæ uno verbo expediri possunt, longo circuitu, & per ambages circumferunt. Sed hæc nihil ad me. Illud vnum à te postulo, vt operi inchoato, & propè absoluto tamquam fastigium imponas, ac mineralium scientia vniversa, quæ magnis voluminibus continetur, vnius diei disputatione pertractetur. Cùm autem non tam furnulos adornare, quām recondita metallorum, & fossilium principia, & causas pervestigare oporteat, antequam de mineralium usu dicere ingrediamur, quid mihi de horum corporum concretione, & principiis videatur, brevi exponam: sic enim ad ea quæ querimus nos perventuros arbitror. Metalla ex terrâ, & aquâ potissimum compingi satis, vt opinor, manifestum est; ex terrâ pondus, & partium firmatatem, ex aquâ ductilem, & fusilem naturam depromunt. Terræ atomi sunt densæ, hinc durities, & soliditas terrenis corporibus inest; sed simul connecti nequeunt, nisi humidis, & flexilibus aquæ corpusculis vinciantur; nam quæ duram, & densam forcita sunt naturam, vt arenæ granula, vix cohærent, nisi mollioribus particulis, tanquam glutine adstringantur. Quo verò illa vincula minutioribus constant atomis, eo difficilius separantur, maximè si corpus durum, & densum conjungant. Non enim divelli possunt, nisi vis subtilior admoveatur, quæ corporis densitatem vincat, atque illius dissolvat vincula. Hinc omnis ferè dissolutio igne, & calore perficitur; quod nihil sit in rerum naturâ, vel subtilius, vel ad agendum efficacius; ignis enim summam adeptus raritatem, maximum affectat locum, atque ex minutiissimis atomis componitur; hinc mobilis est, rarus, & facile divisibilis; cuncta extenuat, & obstantia quæque disrumpit; quod soliditate partium non valet, id impetu, & celeritate motus consequitur. Contrà terrena quæ sunt, ex atomis densis, & congregatis, quæ vix dividelli, vel loco moveri possunt coahuere, minus ad agendum

*Vnde me-
tallorum
compactio.*

*Quæ cau-
sa di-
solutio-
num.*

○○

sunt idonea ; sed fortiter resistunt : nam raritas ad agendum, denicas ad resistendum videtur comparata. Ignis ut raritate, sic inobilitate cuncta vincit corpora ; terra vero, & densa, & immota consistit, atque ubi cum aliis elementis exquisitè permiscetur ignis violentiam impunè sustinet, nec divulsæ, & male cohærentes ignis atomi stipatas, & denicas terræ particulas secum efferre valent. Hinc aurum ignis liquefacit, non dissolvit, quod humidarum, & nectarum partium vno intima nullam admittat separationem ; quantumvis ignitæ atomi subtilitate suâ, ac motus celeritate vrgeant, nexus illum nequeunt dissolvere ; nec graves auri partes in altum evrehere. Aurum quidem fusum

*Quod nisi
perfectionis
metalla ab
imperfici,
vel liquatis
difficiantur.*

intumescit. Quod partes ignis intus conclusæ illud sublevent; sed in fumum efflari non potest. Hac quidem notâ metalla liquata dignoscuntur; quo enim sunt perfectiora, eo magis tument, atque in orbem curvantur; imperficta vero, seu aquâ, vt plumbum, seu terrâ abundant, vt stannum; cum liquantur magis sublidunt: nam igni non resistunt, aqueæ partes avolant, terrestres in calcem, aut scorias abeunt. Aurum vero, vel argentum nullum in igne patiuntur dispendium, sed liquata in orbem gyrrant, quod conclusus calor partes eorum excruciat, ac sursum mouere non valeat, sed in orbem dumtaxat circumducit, cessare enim non potest. Aquæ stygiae hac quidem metalla in minutissimum pulverem corrodunt, non dissolvunt ramen: nam hoc genus aquarum ex salis spiculis constat, quæ multo igne prægnant, auri atomos divellunt, ac sursum propellunt, præfertim cum externo calore adjuvantur: neque enim auri atomi irruenti ignitarum partium agmini possunt resistere. Nec dubium est quin ignis in aquâ forti, vt in calce, & sale actu contineatur; nam aëri exposita vim omnem deperdit. Idem in calce vivâ evenit, quæ nisi terrâ condatur, brevi emarcescit, nec humore perfusa adè incalesceret, nisi ignis qui suos ante carceres effringere non poterat, dissolutâ calce erumperet, & vna secum aquam in fumos dilatatam abriperet, nihil enim moliri potest, nisi substantiam offendat quæ extenuari, ac debilitari possit; sed ubi sale, aut duro, & sicco corpori coërcetur, tum nullas edit strages, ac placidus, & quietus manet; nec calefacit, nisi forte humore diluatur. Corpora igitur quæ sunt mol-

*Vnde caloris
et aquæ fit
ista caloris.*

lia, & rara igni cedunt, densa verò, & sicca resistunt. Sic absetus nullo igne consumitur, quia calor nullum ferè humorem, qui extenuetur, invenit; hinc poros illius corporis subit, at nullâ onustus prædâ solas dumtaxat fortes absimit.

Ex his sanè fontibus non naturæ modò, sed etiam artis spagyricæ (quæ nihil aliud quam cogit, & separat) secretiora ducuntur mysteria. Nec necesse est ut ad qualitates occultas, aut manifestas, quæ nihil sunt quam Philosophorum commenta; vel ad vñiversalis naturæ ingenium, quo res vnaquæque cum simili facile congregitur; vel denique ad antipathia, & sympathia magicas voces provocare. Omnis corporum mixtorum dissolutio, vt concretio, calore, vel humore, hoc est igne, & aquâ perficitur: partes quippe siccæ nisi humido glutine nestantur, non cohærent; calor verò moderatus, humorem attenuat, ac toti corpori æquabiliter distribuit; quod durius subinde evadit. Quo enim partes humidæ minutius conciduntur, & cum siccis accuratiùs permiscentur, hoc mixtum fit compatiens. Contrà facile dissolvitur, vbi partes humidæ, magnæ, & raræ existunt, vt in plumbo contingit. Sic calor indurat, cùm superfluum humorem educit, & eum qui remanet, sensim extenuat: quæque vniere, & simul agglutinare volumus, antè sunt calore, vel humore emollienda; sic ferrum candens, cum alio itidem candefacto conjungitur: sic fractæ gemmæ lithocollâ priùs madefactâ committuntur. Calor quippe corporum meatus aperit, vt alterius partes prominulas excipiant, gluten quoque viscidum vbi aliquantulum incaluit, vel humore perfusum est, & vi quâdam compressum, corporis siccii, & duri rimulas subit. Accedit etiam quòd corpus calore emollitum vapores circum se fundit, qui alterius corporis meatus ingrediuntur, iisque frigore correpti, contrahuntur, ac tamquam vineula vtrumque corpus conjungunt; circumfusi quoque vapores apertos meatus subeunt, ac priores halitus jam ingressos, tamquam cunei adacti (vt loquitur clarissimus Digbasus: cujus nunc principiis insisto) arctius infigunt.

Illud sanè mihi est miraculo effectus planè diversos, & contrarios ex iisdem oriri causis: nam idem calor cuncta compingit corpora, & resolvit; vnit, & separat; gignit, & destruit.

Oo ij

Idem planè in humore cōtingit, qui cùm sit rerum omnium
quasi commune vinculum, corpora tamen quæque dissolvit;
nam quæ sicca sunt, humore perfunduntur, vt partes eorum
separari queant; nihil ferè putrescit, nisi in humido: hinc quæ
Putrefactio. putrescent solent intumescere: humor enim calore moderato
adjutus, partes calidas à reliquis separat, humore vēd diffla-
to, reliquæ partes crassiores, & aridæ remanent, sed divulsæ,
& quasi in frusta concisæ. Hinc Chymici putrefactiones suas
in fimo equino, vbi levis, & moderatus inest calor, perficiunt.
Corpus vēd resolvendum, vel humidum est, vel humore per-
funditur: nam quæ sicca sunt putredini resistunt; calor quippe
moderatus partes terrestres, & crassas nequit atrollere, nēdum
insolubiles nexus, quibus vinciuntur poterit dissolvere; humo-
re igitur opus est, qui cùm tenuis sit, flexilis, & mollis, à cor-
pore sicco vltro admittitur, cuius ariditatem temperat; is cum
singulis atomis vnitur, quæ jam ipsi liquori innatant; & dif-
fluent, sed laxioribus vinculis solutæ facilè separantur: nam
calor humorem evocat, quo exhalato partes sicciores remanent
nullo amplius nexus colligatae. Partes subtiliores vna cum hu-
more evolant, crassiores subsidunt. Est igitur putrefactio natu-
ralis quædam corporis in sua principia resolutio. Cùm in vasis
*Quinta es-
tentia.* occlusis perficitur, subtilissima, & ignita substantia, innatat;
quam quinta, & cælestis essentia nomine Chymici insigniunt.
Hanc non modò ex plantis, & animantibus, sed etiam ex ipsis
fossilibus colligunt. Solvunt metallum spiritu salis: balnei ca-
lore phlegma separant: quod superest vna cum spiritu vni optimè
testificato ad digerendum collocant; digestionem levi ca-
lore perficiunt, tinctura, vel quinta metalli essentia post ali-
quot dies enat, quam ut morborum debellatricem mirificè
commendant. Spiritus quidem salis metalli poros subit, cum
illius atomis conjungitur, calore externo adjutus paulatim re-
solvit, & fermentat; adeò ut sulfur tenuissimum, & purissimum
exhaletur, cùmque erumpere non possit, instar olei subrubri
extat: atque ut mihi videtur latissimè patet ea ratio. Hinc enim
dissolutionis, fermentationis, & putrefactionis causæ ducuntur.

Aqua è cineribus salem exsolvit, dum humorem in terrâ su-
perfitem, quem ignis non valuit separare, suo ingressu auget,

corpuscula cinerum dividit, & levioribus atomis imbuitur, quibus grava, ne metallis quidem parcit: nam gravior, & actior facta illa in atomos comminuit. Hinc cuprum, vel ferrum aquæ salæ immersa rubiginem conterahunt. Ex ære, aceti vapore æruginem rasilem colligunt; vel laminulas cupri aceto immergunt, aut alternis ordinibus vñâ cum vinaceis acerrimo vino aspersis in occluso vase disponunt. Eodem ferè modo è ferro crocum, seu subtilem florem; è plumbo cerussam aceti ope decerpunt. De fermentatione, ac putredine nihil addo, hæc ^{Fermenta.} _{tio.}

enim sunt alterius loci, nec quisquam dubitat eas calore, & spiritibus perfici: hinc ebullitio, & subtiliorum partium separatio; quod si exitum non habeant, vasa ipsa diffingunt, ac densiores vini partes subinde attollunt, quibus vasis latera commovent, quod si liberiorem offendant exitum, igniti dumtaxat spiritus avolant, crassiores partes spiritibus exhaustis, instar spuma remanent, quibus dolii latera sensim incrustantur, atque in tartarum abeunt. Cùm autem illi spiritus minùs effterantur, in flore, seu spumâ liquori innatante plerique inclusi manent; hinc flos ille spiritibus turgens colligitur, atque ad panis fermentationem adhibetur; sic pistores cerevisia flore vtuntur, cuius spiritus tenaces & viscosi non facilè avolant, nec ita fervent ut vini spiritus, nec coërciti sua effringunt claustra, nec demum partes illas, quibus tamquam carceribus includuntur, adeò excoquunt & indurant. Mirum sanè quām citò exiguum fermentum totam massam pervadat, inflet, & acido sapore inficiat; spiritus illi igniti humore excitati, per totum corpus diffusi illud in minutis atomos concidunt, calidores, & igit: partículas ad defectionem sollicitant, quæ vñâ erumpere moluntur, sed crassis, & viscosis partibus coërcitæ, incumbentem molam attollunt, extenuant, & digerunt. Spiritus illi acidi multo sale volatili abundant, hinc suum acorem fermentato corpori communicant: calidi sunt, & igniti, hinc rarefactio, & inchoata putrefactio; hinc adeò panis fermentatus longè facilius digeritur, ac levior existit. Videtis quasi aditum patefactum ad occultiora naturæ arcana. Quæ enim alia subesse causa potest, cur vinum, atque alii fermentati liquores corrumpantur, vbi tota non implent dolia, nisi

Oo iii

quòd igniti spiritus ægrè ferunt se à densis, & frigidis vini partibus concludi, ac quantum possunt ex iis solvi vinculis connectuntur; densiores partes secum attollunt, cùmque locum satis amplum offendant, vt liberè possint exspatiari, reliquum liquorem spiritu suo privatum, & corruptioni proximum relinquent, recluso vase spiritus erumpunt, & si candela accensa orificio admoveatur, statim incenduntur. Idem accidere in aquâ testatur Dibæus. Nemo ignorat aquam fluviatilem, quam solventes nautæ secum vehunt, intra paucos dies corrupti, tum puriorem effici, quòd crassiores partes subsidant, leviores sursum efferantur; & quo sæpius putreficit, eo salubrior habetur, quòd purior subinde evadat: ubi vas aquâ fluviatili plenum post aliquot annorum volumina referatur, spiritus ex aquâ, ut ex vino turmatim erumpit, qui admotâ lucernâ flammam concipit. Quod enim flammae commodius pabulum esse potest, quam spiritus crebrâ, & repetitâ putrefactione extenuatus? cur oleum tam citò inflammat, nisi quia ex tenuissimis constat partibus? Hinc oleum chartæ assulsum admoto calore diffunditur, donec eam assequatur partium raritatem, quam flamma postulat. Ignis enim tenuitas summa est: neque aliud æquè affectat, ac raritatem, atque ex pabuli fonte, in amplissimum effundi spatum; nihilque rareficit, nisi ignis vel caloris impetu. Hoc sanè mirabile videri debet, quòd ignis vnâ, & cædem operâ, dum partes subtiliores resolvit, crassiores fortius compingit, atque effectus omnino dissimiles simul in eodem corpore procreat. Ignitam enim & puriorem substantiam primum educit, tum humidiores & aquosas partes expellit; oleosa quòd cum terrenis arctiori vinculo sint devinctæ, fortiorum exigunt calorem: his tamen quoque cedentibus, terrena & siccae partes quasi invictæ remanent, quòd calore factæ fuerint crassiores, nec tenuissimis ignis atomis, vel dividi, vel in fumos explicari queant; perparum enim humoris restat qui nullo igne potest extenuari. Iis dum taxat cavendum est ab humore subdolo, quem exusta corpora, non sine magno suo malo avidè excipiunt: humor enimeorum meatus subit, & vincula resolvit. Sic tenuissimæ partes à crassioribus divulsæ, aquæ innatant, crassiores subsidunt, quæ terra damnata, & inutilis appellata

tur; aqua salis atomis prægnans percolatur, aut filtro trajicitur; tum in vapores difflata salem tenuissimum, & mordacem in fundo relinquit. Sic igne & aquâ cuncta resolvuntur corpora. Quæ humida sunt ignis micantem gladium fugiunt, vel in illius pabulum cedunt; sicca verò, & terrestria, si omni oleo destituantur, ignis ferocientis minas spernunt; vafer humor sales dissolvit; sola terra superest, quæ nec dolo opprimi, neque vlo porest igne expugnari. Quamobrem mirari desinamus cur quædam fossilia ignis calorem non ferant, vt sulfurea quæque; alia verò nullo igne domentur, vt aurum & argentum; horum enim exquisita est, & perfecta; illorum rudit, & inchoata mixtio. Ex his sane omnium fossilium ortus & causæ omnium propè Chymicorum laborum rationes depromi possunt. Quid enim causæ est, cur calor quædam induret? an fortè in his humorem aquosum, & superfluum expellit, oleosus tantum, & tenacior superest, vt in succis bituminosis contingit, qui calore moderato digeruntur. Quare antimonium, arsenicum, & alia ejus generis mineralia facile in flores extenuantur? An quod partibus sulfureis, siccis & malè colligatis abundant? Antimonium contritum super carbones in cāfornace, cuius jam meministi, mihi simplici, effunde, statim Fervet, m. in fumum evolabit; quem vt excipias, ollas sublimatorias tallia.

(quæ sunt lagenis inversis similes) sic dilpone, vt primi vasis collum foraminis in fornacis fastigio existenti, inseratur: sic hujus fundum, secundi vasis collum excipiet, & ita porro; sive enim vasa tamquam lagenæ fundis resectis, aut perforatis, quæ fuliginem, vel potius florē antimonii excipient; qui ad sublimiores ellas concendere flores, vt summe volatiles, ac sulfurei vomitum cident, ac satis periculosè assumentur; infimi sudores tantum excitant, atque adversus venenatas, & contagiosas febres censentur salutares; mediae purgant, ac vomitum quoque lenem excitant. Eādem ferè ratione ex imperfectis metallis colligi possunt flores, qui ad Chirurgicos usus adhibentur. Nam qui ex cupro, ferro, stanno, plumbo, & quodam minerali, quod zizachum vocant, ulceribus perutiles feruntur. Ex floribus antimonii vitrum per solam fusionem constatur, longè majori compendio, quam per calcinationem.

Varia anti-
mori pre-
parationis.

Antimonium enim contusum solet cum subduplo nitro commisceri; in crucibulo prunâ injectâ accendi, quo quidem incendio impurum, & venenatum stibii sulfur diffatur, quod remanet ablutum aquâ fervente, ut omne salpetræ exsolvatur; hepar antimonii vocitant, ex quo vinum parant emeticum: cùm sèpius nitrum adjicitur, adeo ut nullum amplius edat strepitum, & omne stibii sulfur exhaletur, fit antimonium dia-phoreticum, quod per sudores purgare perhibetur. Sed redeo ad vitrum, quod ex antimonio semel nitri beneficio, ut dictum est calcinatum; ac fortissimo tigillo commissum; summo calore in regulum, tum in vittum abit; vtrumque vino infusum mirum in modum purgat; ex regulo pilulas conficiunt, quas perpetuas vocitant, nam citra vllum sui dispendium egeruntur: quòd si pocula ex regulo conficerentur, iis vinum affusum, aliquot horarum spatio vim purgatricem contraheret. Utum non difficile erit vitro antimonii poctula obducere; si vitro fuso immersatur vasculum fictile, jam in furnulo candefactum, quod forcipe in suo furnulo repones, ut sensim refrigescat. Illud certè mirari subit, vitrum, vel regulum antimonii, citra sensibilem sui imminutionem noxios humores sus deque protrudere. An occultâ & abditâ qualitate? an potius effluvio quodam substanciali vinum inficit? an subtilem, volatilem, & sulfureum salem liquor affusus exsolvit? id sanè mihi longè probabilius videtur. Nam quidquid reclamet Libavius vitrum tandem vini infusione nonnihil deteritur, nec pristinum nitorem servat, certam quoque quantitatem stibii solvit humor, quâ tandem satiatur: æstate citius hac vi purgatrice vinum, vel aqua imbuitur, quâm hieme: quo generosius est vinum, eo celerius istam virtutem trahit. Quemadmodum aqua sale, aut vitriolo satura, si incalescat, non parum adhuc salis dissolvet: nam quo subtiliores sunt aquæ, vel alterius liquoris atomi, eo facilius salium commissuras subeunt, ac leviores particulas involvunt.

Non enim in èa sum sententiâ sales in aquâ exsolvi, quòd illorum poros inanes, ac sibi accommodatos offendant, adeo vitrii meatus salis corpusculis, alii vitrioli, vel aluminis destinuntur. Hæc sanè ingeniosè à Gassendo finguntur, sed vereor

vt satis sint firma: præterquam enim nihil esse mihi videtur causæ cura quæ atomi, quas esse ejusdem figuræ docet Gassendus principiis Epicuri succinens, meatus tot diversis circumscriptos figuris impleant, quot & quanta erunt vacua spatiola, si numero, & varietate corpusculorum, quibus compleri possunt, astimentur: tota profectò aqua foraminulis erit pervia, nihil ferè solidi remanebit, atque inanes pori ipsa aquæ atomos infinitis partibus superabunt. Quantum enim salis, vitrioli, aluminis, nitri, sacchari, in aquâ potest exsolvi? Quòd si horum omnium corpuscula meatus inanes, & sibi accommodatos in aquâ reperiant, quam spongiosa, quam aperta, & foraminulis hians futura est? an tot corporum accessu nihil augetur, nihil intumescit aqua? faceant quæso illa Epicureæ Philosophiæ segmenta, nihil in rerum naturâ inane, nihil omni corpore destitutum occurrit. Quid est igitur cur aqua sale communi satiata, non parum aluminis, atque aliorum salium dissolvat? non displicet nobilissimi Digbæi responsio, renues aquæ particulas salis corpuscula ingressu suo divellere, eaque dispersa in ipso liquore fluctuare; cum verò satis est imbuta sale, ac densior facta, non potest amplius salis subire corpuscula, sed tamen his velut armata spiculis, vitrioli, aluminis, aut succi alicujus crassioris partes separat. Sic aqua vno tenuiori sale prægnans, disposita quodammodo est, & parata ad alterius crassioris dissolutionem, nec necesse est infinita spatiola, tamquam diversoria variis salium generibus præparata comminisci.

Quocirca vt salem aqua, sic spiritus acidi tenuitatem, & subtilitatem partium exsolvent corpora, atque in atomos comminunt. Præcipitantur verò, & instar pulveris decidunt, accessu alicujus liquoris, qui majorem cum solvente, vel cum re ipsâ exsolutâ societatem habeat; tum enim spiritus acidus prædam suam dimittit, vt cum acri tartari liquore, vel aquâ falsâ conjugatur; idque non sine quodam fervore, ac veluti fermentatione contingit, quam spiritus igniti eodem ferè modo, atque in calce aquâ perfusâ, vel in musti ebullitione excitant: ex illa pugnâ aqua fortis aciditatem, tartarum vim acrem deponit. Sic ex oleo tartari, & spiritu vitrioli quiddam subdulce componitur: nam vnum alterius vires retundit, & vt cum Chyini-

*Cui aqua
uno sale sa-
tiata, aliud
exsolvit.*

PP

cis loquar, mortificat; non eas extinguit tamen, si quidem oleum tartari à spiritu vitrioli separatum vim acrem & corrosivam, vt vitrioli spiritus aciditatem suam recuperat; illud fixum est, hic volatilis: ex utriusque conjugio quiddam temperatum exsurgit; quemadmodum superius nitrum ex fixi, & acidii societate emergere ostensum est. Hæc, nisi me ratio fugit, vera est tum dissolutionis, tum præcipitationis causa: nam si vnumquodque corpus in aquâ dissolvitur, quod illius atomi certâ mole, & figurâ circumscripctæ meatus offendant sibi conformatos; non video cur alterius corporis accessu præcipitentur: recens illud corpus alia velut hospitia reperiatur, nec necesse est, vt tot corpuscula locis suis dimoveat. Non etiam mihi liquet, cur aquâ in vapores extenuata, sal cum sale, alumine cum alumine congregatur: non enim omnes meatus, quos salis replent corpuscula, juxta se dispositi jacent. Fateor equidem rationem illius congressus satis esse reconditam; nec mihi facile succurrit, cur omnes salis atomi in vnum, velut ex condicto confluant, nec cum aluminis corpusculis confundantur? an quod simile sui similis societatem affectat? Illud verum, atque hinc communem præcipitationum causam duxisti: quamquam sicca corpora humidorum societatem ambiant, & volatilia cum fixis ultro consolentur; nam vnum alterius excessum castigat, humida siccis terminantur, sicca humidisvinciuntur. Spongia aquam non naturæ similitudine, sed quâdam indigentia, aut potius certâ materiæ, & partium conformatione attrahit. Atque ea mihi videtur potior, tum dissolutionis, tum etiam præcipitationis ratio. Non quod inficier similitudinem naturæ plurimum ad utrumque momenti obtinere, sed unius effectus non una est causa. Sæpe quod aurum præcipitat, maiorem cum ipso auro cognitionem habet, vt cum mercurius in hunc usum adhibetur; interim solventis societatem querit, vt liquor tartari aquæ regiae affusus, cum illâ initio fecdere auri pulverem deorsum propellit. Interim per præcipitationem pars ignobilior & deterior descendit. Sic tartarum crebris solutionibus expurgatur; terrestris enim, & limosa substantia aquâ non solvit. Contrà vitriolum multâ aquâ affusum cuprum, aut ferrum dimittit; sal quippe quod vitriolo inest aquâ copiosâ

debilitatum non valet metallorum ramenta retinere. Cum vitriolum in aquâ solutum, & vnâ cum zincio in granula conciso excoquitur, tum illud minerale quod totum sulfureum est, sulfur omne, & quidquid in chalcantho metalli inest, secum præcipitat, quod superest vitrioli spiritum præbet optimum: zincum ipsum spiritu salis solutum, præ siccitate suâ salis spiritum tam arcte retinet, ut distillatione nihil præter phlegma prolixiatur, ubi tamen igne spiritus planè igneus, qui vix vlo vasi contineri possit, & omnia dissolvat metalla, educitur. Idem in lapide calaminari contingere suprà diximus, sed optimo salis spiritu opus est, qui lapidem calaminarem saltem sextuplâ proportione excedat: continuò agitatur, ne in lapidem non amplius exsolubilem concrescat, phlegmate exhalato, restat oleum rubrum, & pinguę, cuius acrimonia à lapide obtunditur: illius vsum ad podagrām, hydropem, atque alios morbos commendat Glauberus, ac vulneribus optimum esse balsamum afferit. Verum de vſu medico nihil decerno: hæc eò dumtaxat attigi, ut ostenderem quædam corpora cum aliis congregdi, non ob naturæ similitudinem, sed quia meatus ita habent excavatos, & partes sic inter se aptas, ut quosdam præ cæteris admittant liquores, alios respuant. Sic aqua regia aurum, non argentum solvit: sulfur argentum ab auro separat; illud velut in cineres redigit, hoc ne minimum quidem lædit. Hydrargyrus aurum dormat, stannum vero ipsum figit hydrargyrum: nam liquato stanno affusus, statim hujus metalli sulphure quasi illigatur: imò metalla ferè omnia cum stanno fusa rediguntur in scorias, adeò ut vix pristinæ formæ reddi possint, sed in vitra potius conflentur. Non magna est mercurii cum stanno affinitas; sed humidas & mobiles hydrargyri atomos, siccis, & sulfureis corpusculis stannum fistit, ac temperat; vnius defectum excessus alterius compensat, nam adest vni, quod deest alteri.

Quò igitur totam disputationem in pauca conferam, metallorum dissolutionem aquæ fortes, tum naturæ quædam similitudine, tum etiam partium subtilitate perficiunt. Præcipitatio vero non ex uno fonte ducitur; nam aquæ stygij vel aquâ dulci debilitantur; vel alterius liquoris, non similis quidem

*Breviis re-
cepitizamus.*

substantiae accessu, sed diversa, sibi tamen amicæ, metalli pulvrem dimittunt. Cum autem plures sales in aquâ soluti præcipites descendunt, vnuſquaque cum suo simili & congenere conjugitur; partes enim ejusdem gravitatis, & densitatis ad eundem scelum recipiunt. Illa porro, de qua jamdiu loquimur, metallorum præcipitatio non modò per aquas stygias, aut spiritus acidos, sed etiam per viam, ut loquuntur, sicciam, seu per fusionem instituitur. Nam metalla cum arenis, silicibus, tartaro & salibus fixis expurgantur, dum sales fixi impurum sulfur aggrediuntur, illæsis metallis melioris notæ. Cinerem plumbi (vt rem exemplis illustrem) cum arenâ, vel silicibus, aut rebus aliis sulfureis liquant; vitrum conflatur, aurum verò, vel argentum in plumbo reconditum ad imum descendit. Sal commune ferrum, & cuprum, quæ copioso vitriolo abundant, solvit. Hinc massa, aut vena cupri, cui multum ferri admiscetur, vna cum sale communi liquatur, quod ferrum præ cupro exsolvit; vtrumque contusum aquæ incoquuntur, laminæ ferreae supponuntur, quæ cuprum præcipitant, ferrum verò vna cum sale remanet: ferrum ipsum metallis in fusione additum, quidquid est sulfureum atrahit. Nam copioso sulfure præditum est: hinc scobs chalybea admota candela incenditur, ac fulgurat; & ferrum candens contactu sulfuris liqueficit. Hinc partes antimonii ferro addito separantur; frustula ferrea forti crucibulo imponuntur: vbi cudent, duplex stibii pondus contriti adjicitur; sulfur antimonii ad ferrum se recipit, & in scorias abit, relieto regulo graviori, qui stanno additus clangorem, & firmat partium cohaesionem confert. Nitrum quoque, sal tartari, & antimonium æquis partibus commixta, trita, & fusa regulum præbent; sales enim fixi sulfur antimonii invadunt, in scorias convertunt, atque à puriori, & graviore parte sejungunt.

Acne plura, quæ sunt penè innumerabilia consector. Omnes ferè Chymicorum labores sale continentur: nam metallorum fusio, separatio, dissolutio, præcipitatio denique salis, nitri, tartari, aut vitrioli adminiculis perficiuntur. Metalla in oleo, spiritus, vitriolum, flores resolvunt, nihil ferè citra sale. Scobem ferri spiritu salis dissolvunt, filtrant, omnem humi-

*Præcipitatio
qua per
tiam, si-
cam ferri-
cuer.*

*Reguli an-
timonii pre-
paratio.*

ditatem superfluam leni igne abstrahunt, massam sanguineam, & rubram, quæ in fundo remanet, quæque adinodum sicca est, & Chirurgis perutilis (nam consolidat & mundificat, & carnem superfluam exedit) oleum vocant, quod in humido loco, instar salis tartari per deliquium tabescit. Hanc massam rubram oleo silicum, cuius suprà meminimus, impositam, vnius, vel alterius horæ spatio, instar arboris cresente, atque in ramos diffundi, auctor est Glauberus. Idem è ferro, cupro, & aliis metallis non dissimili arte vitriolum colligit. Oleo vitrioli suo phlegmate diluti in arenâ calidâ ferrum, vel cuprum solvit, solutionem filtrat; phlegmate exhalato coquit, donec apparat cuticula; extractam collocat in cellâ, ut crystalli virides è ferro, cæruleæ ex cupro concrecant, reliquum aquæ iterum usque ad pelliculam coquit, atque in frigido loco crystallos, ut antè colligit. Spiritum verò, flores, & oleum vñâ atque eâdem operâ beneficio illius vasis distillatorii, cuius jam suprà meministi, mi Simplici, consequi licet. Stannum, exempli gratiâ, cum subduplo nitro sensim in vas injicitur; pars quædam in spiritum, alia in flores attollitur; quod remanet, oleum dici potest. Sic regulum antimonii per ferrum præparatum cum salisperæ triplâ portione mixtum sensim in idem vas immittunt, spiritus, & flores ascendunt; calx verò acerrima, & salis tartari non dissimilis in fundo vasis remanet, aquâ dulci abluitur, & præcipitatur in subtilem pulverem, quem in peste, & aliis febribus contagiosis mirum in modum commendat Glauberus: est enim diaphoreticus, ac sudores movet.

Quanta remediorum fylva, vel ex solo antimonio paratur: nam in floressublimatione, ut dictum est; extenuatur, quorum alii vomitum, alii sudores tantum excitant; calcinatum cum nitro fit primò emeticum, tum repetitâ calcinatione vites ferè omnes vñâ cum sulfure amittit: vis enim illa, quæ vomitum ciet sulfuri volatili insidet, nitri incendio difflaro sulfure, figitur: nitrum quippe hanc habet prærogativam, ut mineralium virtus, quod volatili inest sulfuri, in auras attollat; eaque figens reddat innoxia. Sal autem commune cuncta mineralia, & fugacia, & magis efficit venenata: hinc mercurius sublimatus tantam edit stragem: venena omnia nitrum retundit, sal exa-

Cap. 4:

*De fibribus fibris.**De salis, & nitri vi-ribus.**Calx argen- ti fusilli.*

Pp iij

cuit; illud enim figit, maturat, digerit; sal è contrà res fugitivas, & fusiles reddit. Argento aquâ forti dissoluto, si æquam aquæ falsæ portionem affuderis, atque ex vno in aliud vas identidem transfuderis, ubi aliquamdiu aqua refederit, calx argenti sale præcipitata descenderet, adeò mollis, & fusilis, ut candelæ admota statim liquefaciat; hanc calcem Chymici Lunæ cornu vocitant. Èdem arte plumbum fugax & volatile efficitur; vrinâ verò præcipitatum adeò durum, & fixum evadit, ut vix liquari possit. Nihil adeò cibis in ventriculo continuendis, ac per totum corpus distribuendis infervib; ac sal commune, quod alimenti vehiculum est: quod si ab omnibus recrementis, & terrenis sordibus, per repetitas solutiones, & coagulationes defæcaretur, longè salubrius foret: sunt qui illud sufficere, & liquabile tentant efficiere: torrent, ut ontan pinguedine, libetur; solvunt, exhalatâ aquâ coagulant, idque saepius repetitum volunt; deinde tamdiu calcinant, quoisque granula candelæ admota statim liquefiantur: hujus salis magnas ad metallorum transmutationem vires prædicant, quibus nec planè assentior, neque omnino repugno: illis sanè gratulor qui tantorum arcanorum sunt consciî. Mihi autem nondum ditionem quemquam ex iis videre contigit, qui in arcanorum pervestigatione studiunt omne suum posuerunt. Non quod illa contemnam quæ summi artifices, non solum ingenio, sed etiam otio, studiisque abundantes nobis de metallorum naturâ, origine, & perfectione reliquerunt; ac concedant quoque Philosophis, vt consumendi otii causâ de iis differant: sed dabunt veniam Alchimistæ, si animum meum huc parare non possim, ut credam salis fusilis, vel alterius mineralis beneficio per clementia, & alios labores argentum figi; ita ut auri pondus & naturam consequi valeat. Proculdubio in omni re vincit imitationem veritas; nulla potest ars naturam assequi, nedum superare.

T H. Profectò nisi conjecturâ fallor, nihil arte Chymicâ vanius esse potest, sive metallorum transmutationi incumbat, de quâ jam satis dictum est, sive ex rebus metallicis remedia, ad morbos profligandos deponat: nec quemquam hoc errore duci oportet, ut sibi persuadeat antimonium, hydrargyrum, & alia mineralia tutò, & citra ullum periculum assumi posse.

*Remedias
Chymicas
varii argu-
mentis op-
pugnantur.*

Quid enim haec nisi venena esse possunt? nulla est illis cum corpore nostro familiaritas, nec calore nativo domari, aut subigi possunt; cum sint naturæ infensissima. eamque continenter lassant; ex illâ veluti pugnâ virium dejectio, humorum effervescentia, deliquia, convulsiones, & gravissima oriuntur symptomata, quibus persæpe natura viribus impar, opprimitur; magnæ quidem evacuationes subsequuntur, sed citra vllum humorum delectum: natura quippe irritata & stimulata vires colligit, ut hostem sibi infestissimum expellat, atque vnâ cum eo (si viribus prævaleat) magnam humorum, quibus gravatur, copiam protrudit. Sed quanta totius corporis succussio, De hydri.
fyro.
quantæ molestiæ consequuntur? adeò ut longè sit consultius hostem intra incenia non admittere, quācum eum receptum, non sine magno discrimine foras ejicere. Naturæ laboranti subsidia mittenda sunt, non hostilibus copiis prosterndenda. Cedo quid furiosius, quā illa haurire mineralia; quæ artifices ipsi non audient contrectare: nam qui argentum vivum in pilulas cogunt, solent oleo illinire manus. Adeò perniciosum est, ut illud meritò rerum omnium venenum appelle Plinius: nam exedit, & perrumpit vasa, permanans tabe dirâ. Ipsi fossores, quantumvis ori vesicas applicent, ut se adversus lethalem hujus veneni fumum inuniant, brevi tamen, aut phthisi, aut paralyxi consumuntur. Ne auro quidem parcit, sed illud in minutissimum pulverem comminuit; nec nobis solidiora sunt metallis viscera, ita ut ab hoc minerali tutâ esse possint. Frigiditate suâ, vel solo contactu nervos affligit, atque in paralysim inducit: quid non faciet, si intus admittatur? an non saltuum suo pondere ventriculum gravabit, naturam opprimet, vi causticâ ipsa intestina exedet, maximè si aquis stygiis præparetur, vel salibus sublimetur? Hinc nervorum tremor, ingens pituitæ profluvium, oris fætor, ventris tortmina, atque alia ejusdem generis gravissima symptomata, quantumvis ablueruntur, distilletur, præcipitetur, redit semper ad ingenium, neque unquam potest esse salutare. Non enim solâ quantitate, sed toto genere, ac naturâ deleterium est, animalibus & plantis exitiale; seu quia terrâ impurissimâ, & superfluo humore abundat, ut visum est Alchymistarum principi Gebro (nam color ille plumbeus, atque ex

albo in lividum degenerans; nigredo quâ corpora quæque inficit, impuram illius substantiam produnt:) seu impensè frigidum nervos solo contactu lœdat, & calorem nativum extinguit; seu tenuitate partium in cerebrum involet, nervorum originem invadat, venas solvat, intestina corrodat: seu denique ex marcasitis venenatis, vt ex cadmiâ argentoſâ, minio nativo, vel cinnabrio quod lapis est fragilis, gravis, & coloris subrubri calore exprimatur: inter venena, si quid aliud, debet recenseri, ac nemo nisi sui prodigus, aut vita pertæsus tam perniciosum remedium adhibebit.

De antimo-
nii vſu, &
naturâ.

Nec meo quidem judicio (quidquid aliter vobis videatur) minùs innoxium est antimonium, quo Chymici omnes præcipiti audaciâ in exitium nostrum abutuntur. Quæ insania, quis furor, tantam remediorum vberatem, quæ stirpes, & animantes nobis suggerunt, contemnero, vt deleteria nostræ naturæ infensissima non modò ad exteriores, vel ad desperatos, (quod vtique ferendum esset) sed etiam ad leviores morbos, febres intermitentes, atque extra omnem periculi aleam positas, vt tuta medicamina assūmere? At quâ multos jam clamatos, atque extremum spiritum agentes antimonium restituit? Quid, quod multè plures sustulit, qui jam adesse non possunt, vt de hoc veneno conquerantur. Istius mineralis naturam paulò diligenteriū expende, nihil quâ purum putum venenum esse compieries. Quid enim est, vt ipsi Alchimistæ fatentur, nisi crudum metallum impuro sulfure infectum; nec arsenici, vitrioli, & hydrargyri experts? hinc illius fœtor ex arsenico, fusio facilis ex hydrargo, albus & penetrans fumus, ac sublimato persimilis, summa rapacitas, adeout nulli metallo præter aurum parcat: fuligo venenata, ac vis vomitiva. Nec mirum si adeò sit versatile, ac tot vultus induere videatur: nam ex omnium fossiliū ramentis coaluit. Similis planè est naturæ cum marcasitis, quæ metallis prægnant; quæque sunt omnes venenatæ. Sic vena bismuthi antimonium masculum vocatur; ex illâ regulus stanneus confatur, & vi emeticâ donatur, solâ infusione liquores facultate purgatrice induit, venenos efflat halitus. Eadem quoque est natura cadmiæ argentoſæ, cuius flos virulentus cobaltum dicitur. In eodem censu

repo-

reponimus alias marcasitas, vel steriles, vel metalliferas, quo-
cumque signentur nomine; sive pyrites cum ære; seu galena,
cum plumbō; seu gelfum, zinchum, quorum illud in Vngariâ
frequens, hoc in Comitatu Tyrolensi, illud argento, hoc variis
metallis foetatur: ista, inquam, nihil sunt, quā metallorum
capsulæ, vel abortus, atque arsenico impuro sulfure, nec non
& crudo hydrargyro inficiuntur nobis omnino perniciosa. At
fortè ignis flammā, vel salepem expurgantur, atque omnem
ferociam dediscunt: nam vis illa venenata in sulfure volatili
infidet, quod nitro accensum in auras diffidatur. Sit ita sanè,
quid igitur est, cur flores antimonii impensè volatiles præscri-
bant: cū cromum metallorum, ex quo vinum emeticum jam
toto orbe notum (quod Martinus Rolandus primus, sub aquæ
benedictæ nomine ad usum medicos admisit) adē perfunctio-
riè, & negligenter præparant? Nostri scilicet, sed sapius ni-
tro purgatum oportuit, vt omne virus deponeret. At vitrum
ipsum antimonii tot ignibus vexatum arsenicales spiritus adē
exuit, vt vino vel aquæ, sola infusione vim non catharticam,
sed venenatam & pestiferam imperiat: Nam vomitus conci-
tat; ac totum corpus vehementer conficit. Nè ipsi quidem
antimonii patroni, vittum illius excusant: Nam vt omittant
Quercetanum, qui in hoc, vt in ceteris, satis anceps, ac lubricus
videtur, vt tacet in Basilio Valentino, & Renodello, qui an-
timonio stophaea traxere, ac triumphalem cutrum illi decre-
vere; Severinus Danus Paracelsistarum antistes hoc vitrum non
probat; quod puri, inquit, ab impuro separationem non rece-
perit: quod resolutionem debitam, & digestionem non susti-
nuerit: quod fusionem vitrificatiam admirerit, in omni re-
mediorum præparatione fugiendam.

Ignosc Chymicis, qui metalla ad usum Chirurgie accom-
modant: nam & veteres his usos fuisse novimus; neque aquas
minerales aut thermas abjicimus, quas adversus plerosque
contumaces morbos esse salutares non inficiamus. Sed ferendi
non sunt, qui metallis ipsis ventrem onerant, vel aurum pocu-
lentum pollicentur: Quasi ipsum aurum in liquorem possint
redigere, atque illius cratim conservare. Si natura auri manet,
quomodo vires prostratas erigeret, extinctum calorem excitabit?

*De auro
possibili.*

Qq

an poterit in nostri corporis substantiam commeare? an natus calor tantum valet, vt indomitum metallum subigat, atque in carnem mutet? Quid si auri liquor reduci amplius nequeat, & auri naturam exuerit, vnde illi tanta vires? nihil est præter sulfur & hydrargyrum, quibus malè cum corpore nostro convenit? Sed quid vanius, quid magis circulatorium, quām auri carentis sèpius repetitè extinctione, auratas, & mineralibus præstantiores aquas promittere? Quid amabo ignitum aurum aquis frigidis, nisi empyreuma, seu ignis vestigium confert? Neque enim aurum vel mole, vel pondere minuitur, neque ex eo quicquam exhalat. Iam quid necesse est metalla in liquores, olea, crocos, & calces resolvete? si quid possint, haud dubiè integra longè utiliora erunt, quām tot modis vexata. Malim ego chalybis scobem, quām illius calcem, aut ignis reverberio, aut sulfure præparatam. Siquidem igne, sulfure, aquis stygiis metalla indurantur, non solvuntur, nec recluduntur. Non mihi est animus omnia Chymicorum flagitia persequi: profectò è re communi foret, vt auctoritate publicâ caveretur, ne quis hydrargyrum, antimonium, atque alia fossilia ad usus medicos adhiberet, atque vt eam medendi rationem omnes sequerentur, quam Hippocrates & Galenus munierunt, quæque omnium gentium consensu fuit comprobata.

S I M P. Optarem equidem, vt nemo nisi idem in arte Medicâ peritissimus hæc tractaret remedia, quibus circulatores, & empirici in perniciem hominum sèpe abutuntur. At non continuò infamanda sunt præsidia, quæ multis saluti fuere, sed imperitorum temeritas accusanda, qui nullâ temperamenti, morbi, ætatis, temporum habitâ ratione, eadem omnibus præscribunt. Quid si ex animantibus, & plantis tanta pharmacorum virtus succurrat, non video cur ex mineralium familiâ nonnulla quoque adversus morbos contumaciores deprimi non possint. Quām magni sint usus aquæ minerales? quædam, vt refert Baccius, ferrum, & metalla corrodunt, quæ tamen potè juvant. Vnde tanta virtus thermarum, nisi ex spiritibus fossilium? Quid si quid veneni recondant, id profectò in spiritibus insider. Erastus ipse qui odio plusquam Vatiniano

*Quibus so
rcentur
rationibus
Chymistri.*

Chymicos prosequebatur, aquam, aut vinum chalybeatum, in quo scilicet ferrum candens extinguitur, multum commendet, neque immerito. Nam aqua chalybeata lenofis, & hydropicis mirum quantum confert, obstrunctiones recludit, absurgit, exsiccat. Hinc primum alvum turbat, nitri quippe, & chalcanthi spiritibus, quibus ferrum abundat, tum adstringit & corroborat. Sed nisi ferrum impensè candeat, aquas potius virulentas, quam salubres efficiet. Aquæ in quibus æs extinguitur balneis sunt utiles, vetera ulcera, tumores, & scabie in sanant: nam superfluos humores consumunt. Sic aquæ in quas liquatum plumbum sèpius injicitur, exterius usurpatæ refrigerant, ulcerum cavitates complent; tumores scirrosos emolliunt. Nec deum aquæ auratae omnino sunt inutiles. Neque hic longa disquisitione opus est, an aurum aliquod effluvium in aquas transmittat, an poculatum fieri possit, atque in liquorem redigi? Ego enim ut difficillimam auri in sua principia resolutionem judico, ita omnino impossibilem non arbitror; & mea quidem sententiâ fides aliqua doctissimis viris, atque in arte spagyricâ peritissimis potius habenda est, quam iis qui hanc disciplinam nequidem à limine salutarunt. Neque tamen in eâ sum hæresi, ut putem tantas esse vires auri potabilis, quantas vulgo prædicant. Fors est ut ex plumbo, ære, ferro utilia, quam ex auro, & argento medicamina repetantur. Vix in animalium possum inducere hæc metalla in alimenta converti. Admota pectori auri lamina cordis palpitationes arceat; remibus applicata, lumborum dolores leniat, at non necesse est ut haustum prostratas vires erigat, calorem nativum familiaritate quâdam naturæ mirum in modum corroboret. Neque à ventriculi calore id consumi putem: nescio an aliquantulum alterari queat. Ignitum quoque aurum spiritibus suis aquam non-nihil imbuere non ægrè concessero; nam ubi sèpius extinxitum fuit, fit pallidius; quod si in aquis, quibus plumbum liquatum identidem affusum fuerit illud extinxeris, non-nihil mollius, & ductilius evadet: contra durius futurum est, si ignitum aquis chalybeatis aliquoties immergatur. Enim verò metalla ad Chirurgiam permultum conferre, ne inimici quidem Chymicorum inficiari audent: nam veteres æruginem ad putrida ulce-

ra, cerussam, & minium, vel sandycem plumbi, ad cicatrices inducendas, & fluxiones ex vlceribus, & contusis partibus arcendas; æris, ferri & chalybis squamas ad contumacia vlcera adhibuerunt. Isdem ferè vsibus ferti scoria, quæ vehementer exsiccatur, lithargyrus, qui vt cerussa leniter adstringit, & vim habet emplasticam, accommodantur. Illud non timidè dixero non posse Chirurgiam metallis aut fossilibus carere. Non mihi est animus hic longas remediorum formulas pertexere; sed non possum tamen mihi temperare, quin vos arcari cujusdam non contemnendi participes efficiam. Lapis est ex diversis mineralibus, nimirum ex librâ vitrioli, tantumdem aluminis; semilibrâ sandycis, seu minii ex plumbō confecti, 4. vnciis boli Armeni, ac æquâ portione, nempe 4. vnciis salis communis compositus. Hæc contrita 4. aut 5. libris vrinæ sunt incoquenda, continenter agitanda, donec pultis consistentiam assequantur. Hæc massa nonnihil foetens frigore in lapidem concrescit; cuius vncia in semilibrâ aquæ communis exsolvenda immittitur; quâ quidem aquâ omnis exterior inflammatio, erepselas, purulenta vlcera, scabies foetida & cancri identidem abluuntur, vel hinc madido obducuntur, atque intra paucos dies curantur; dummodo emissio sanguinis, & apta purgatio non interim negligantur: idque me saepius expertum fuisse licet affirmare. Non ægrè conceditis magnam remediorum sylvam ex mineralibus ad exteriores morbos succrescere; at viuum interiore, non injuriâ forte accusatis: atque vt quantum potero, contentiones minuam, de hydrargyri vsu ferè inter nos convenit; non quod toto genere deleterium existimem: sed substantiæ tenuitate, & penetrante nervos, ac cerebrum invadit; & quamvis Mathiolus ægrè parturientibus scrupulum hydrargyri præscribat; ac soleant plerique aliquor grana pueris, ad ventriculi, & intestinorum vermes enecandos præcipere; longè tamen consultius erit omnino ab hoc minerali abstinere. Nunc de antimonii vsu quid mihi videatur aperiam; sed ita audies, vt Philosophum partium studio minimè abreptum, vt timidè ingredientem ad hoc genus disputationis: nam plerique Medici solent, id quod virorum bonorum est, admodum irasci, si quis eorum decretis non acquiescat: at soli sumus,

nec vereor ne quis eorum exaudiat: neque ii sumus, qui in disputando non nostrum judicium sequamur, sed auctoritati aliorum parcamus. Antimonium quidem (ut rem ipsam loquamur) non omni veneno caret, quod in sulfure volatili potissimum insidet: quare hoc remedium non promiscue, & sine ullo discrimine omnibus est adhibendum; neque ab imperitis tractandum: & certe in minimâ dosi alvum turbat, vomitus excitat, totum corpus vehementer commovet, quæ quidem in simplex medicamentum non cadunt. Verum hoc ad Medici industriam pertinet, ut venenis ipsis virus detrahatur, ea que in optima convertat medicamina. Veteres arsenico, & sandaraca utebantur; nec officinæ, & pharmacopolia carere venenis possunt. Sæpe morborum radices altius hærent, nec communibus remediis, eorum semina, ut loquuntur Chymici, possunt transplantari. Interim venenati morbi alijs venenis quasi jugulantur. Hinc usum antimonii in peste, atque aliis morbis epidemicis non ausim accusare. Nonnumquam natura humorum copiâ velut oppressa hæc validiora præsidia exigit; irritare eam oportet, & quasi sopitam excitare, quod præter cætera antimonium præstat. Sic morbi chronicæ, quique diuturnitate temporis invaluerunt, aliquando usu antimonii profligantur. Neque (ut mihi videtur) stibium inter venena toto genere deleteria numeratur; neque in iis qui vinum emeticum haufere, ullum veneni indicium appetet. Solâ quantitate, ut pleraque pharmaca nocet, nec forte elleborum, elasterium, atque alia id genus medicamenta, quibus usi sunt veteres, sunt benigniora. Vix ullum emeticum est stibio aptè præparato lenius; nec tamen medendi ars vomitivis carere potest. At quām multi hausto emetico periēre? quod si hoc genus argumenti recipimus, nullum remedium à calumniâ tutum erit. Verum hæc Medici ipsi viderint, qui forte verbis, non re dissident: cùm alii antimonium ut venenum accusant, alii ut innoxium defendunt. Est sanè venenum, si intempestivè propinetur, si nitro, aut vehementiore flammâ arsenicali suo sulfure non spolietur; si ægroti vires, morbi genus, & symptomata acri iudicio non perpendantur; si ab agyrtis, & circulatoribus temere, & magna dosi præbeatur. At vitrum antimonii exitiale est, nec potest excusari, cùm Severinus Danus, atque alii

Qq iiij

*De vitro
antimonii.*

Chymicorum principes id de albo medicaminum expungant. Fortè ita est, si illius substantia majori dosi, non sola infusio, quam vino emetico benignorem puto, propinetur. Quid enim fidei causā afferunt, vt crocum, seu emeticum probent, vitrum infament? Non facta est, inquiunt, puri ab impuro secretio: mirum si sulfur illud volatile tantos ardores sustinuerit. Sed omnis vitrificatio in vitro est. Illud porro probatum, non temerè assertum oportuit. At vis pharmaci spiritibus, non crassis corporibus inhæret, nec aliquid magni ex tam rudi præparatione expectandum. Tantò, inquam, benignius erit vitrum, quod maxima pars spirituum, quibus omnis virtus purgatrix tribuenda est, sit exhausta; solum sal in liquore exsolubile superest, quod tantas strages non potest edere. Restat ut iis respondeam, qui nullum ex mineralibus praesidium sperandum esse arbitrantur, quod nulla sit fossilibus cum corpore nostro societas. Quasi hæc vt alimenta, non vt medicamenta sumantur: nec vinci debent, sed vincere. Perparum refert, vtrum sint amica corpori, dum morbum expugnant, ac vires suas in pravos humores exerant. Cæterum nemo me auctore hæc remedia accerset, nisi Medicis doctissimi consilium adhibeat, nusquam enim periculosius erratur; atque ubi de virtutē sumimā agitur, nihil temerè & inconsulto audendum. Hinc Crollius non absurdè monet, ne antimonium iis qui angusto pectori, aut debili sunt ventriculo, aut colicis doloribus ex aliquā obstruktione vexantur; aut denique malè affecta habent viscera, præbeatur: ne venæ, antè, vel post incidatur; omnino hīc cauto opus est; nec tam remediorum violentia, quam imperitorum audacia vel vsu firmata, est incusanda: neque omnibus cedit inconsulta temeritas. Sed sanusne sum qui has Medicorum controversias ingressus, me nec Chymicum, nec Medicum esse sum oblitus: magis id adeò facilitate, quam vīlā aliā culpā meā contigit, qui dum vobis obsequor, extra Philosophiæ cancellos identidem excurro. Sed vos enixè rogo ne has nugas in apertum proferatis. Neque enim (quod mihi sæpe dicendum est) Chymicus haberi velim, aut in Medicorum, quorum apud me magna est auctoritas, odia incurrere.

T. H. Magnam (vt pro vtroque respondeam) tibi habemus gratiam, mi Simplici, ac recipimus tibi silentium optimā fide.



I N D E X
R E R V M P R A E C I P V A R V M.

A	B	C
C E T V M , pag. 141	Arena, 125. 129. 214	A D M I A , 284
Adamas , 220. & seq. vi-	Ardesia , 215	C a m e n t u m , 279. 282
tes , 221	Argilla , 126	C a e s a r i s A r c o n s i i d e æ s t u m a r i s s e n-
Aér , 42. vnde frigiss mediæ regio-	Aristotelis opinio de terra motu ,	tentia , 31. & seq.
nis , 44. illius altitudo , 60	6. de origine fontium , 15. de sal-	
Æris natura , 255	sedine matis , 37. refellitur , 38.	
Æstus maris reciprocí diversæ op-	de ventorum origine , 61	
niones referuntur , & refellun-	Argentum vivum , 303. 281. 282. v-	
nomena , <i>ibid.</i> 233	fus , 308	
Ætites , 233	Argentum , 259. vtrum in aurum	
Alabastrum , 213	abire possit , <i>ibid.</i> 261. & seq.	
Alabastrites , <i>ibid.</i>	Astroites , 224	
Alchimiæ defensio , 99. 283	Auripigmentum , 173. arsenicum ,	
Aluminis natura , & præparatio ,	<i>ibid.</i>	
& vñus , 156	Auri natura , 249. aurum è silici-	
Amiantus , 208	bus , 271	
Amethystus , 227	Aurum fulminans , 278	
Animalium quæ exputredine na-	Aurum ex mineralibus , 287	
scuntur generatio , 115	Aurum potabile , 305. 307	
Antimonii flores , 301. vñus , & na-	Aufer , 62. 63	
tura , 304. & seq. variae præpara-		
tiones , 296. vñus , 308. & seq.	B	
Aqua corporcula , 3. 4. 42	B A L A T I V M , 227	
Aqua medicatæ , 17. 18. bituminosæ ,	B e l e m n i t e s , 210	
sulfureæ , 17. 18. 19. 20.	B e r y l l u s , 225	
carum effectus , <i>ibid.</i>	B e z o a r , 232	
Aquarum differentiæ , & examen ,	B i s m u t h u m , 258	
20. 21	Bituminum varia genera , 175	
Aqua fortis , 41. 144. 145. 299. 290	B o r a x l a p i s , 232	
Aqua chalybeatæ , 307. ærolæ , au-		
ratae , <i>ibid.</i>	C	
Aqua uno sale satiata aliud exsol-	C A D M I A , 284	
vit , 297	C a m e n t u m , 279. 282	
Aquilo , 62. 63	C a e s a r i s A r c o n s i i d e æ s t u m a r i s s e n-	
	tentia , 31. & seq.	
	C a l c i n a t i o , 123	
	C a l c u l i g e n e r a t i o , 191. 199. cjuſ-	

I N D E X

- | | | | |
|--|----------------|--|--------|
| dem curatio, | 200 | Exhalatio quid, | 3. 121 |
| Calor subterraneus, | 11. 12. & seq. | F | |
| Calor ex Cartesio, | 167. 168. 191 | F ERMENTATIO, 22. 161. 170. | |
| Calx, | 214. 290 | F erri natura, &c in cuprum mu- | |
| Camphora, | 180 | ratio, 253. Ferri in chalybem, | |
| Cartesii tria elementa, vel princi- | | 254. 267 | |
| pia, 2. 3. 120. 166. ejusdem de | | Fontium origo, 14. 15. & seq. laten- | |
| æstu Oceani sententia, 28. refel- | | tium aquarum indicia, 16. fon- | |
| litar, 29. de matis falso dñe, 38. | | tes medicati, 17. & seq. | |
| & seq. de Iridis coloribus, 89. | | Formatum origo, 106. 107. 112. & | |
| 93. 94. ejusdem de sale opinio, | | seq. formæ renascentes, 123 | |
| 167. ejusdem de magnete, 201. | | Flores metallici, 295 | |
| & seq. | | Fromundi de æstu maris opinio, | |
| Carbo fossilis, | 174 | 25. 26. refellitur, ibid. de vento- | |
| Carbunculus, | 227 | tum origine, 61. 62. de Iridis | |
| Cera primigenia, | 50 | coloribus, 83 | |
| Ceraunius lapis, | 210 | Fulgur, 65. & seq. | |
| Cerussa, | 258 | Fulmen, 65. & seq. effectus, 66. 67 | |
| Chalcedonius, | 228 | Fuligo, 121. illius oculum, 121 | |
| Chrysolitus, | 228 | Fumus quid sit, 3 | |
| Chambræide Iridis coloribus, 82. | | Eurnorum materia, 130. præpara- | |
| & seq. | | tio, 143. 144. 154. 273 | |
| Coagulum, | 170 | G | |
| Coctio, | 124 | G A ^{AT} E ^S , 174 | |
| Colorum causæ, 82. & seq. 126. 127 | | G alena, 284 | |
| Cornu fossile, | 209 | Galilæi de æstu maris sententia, | |
| Cornu Ammonis, | 210 | 27. refellitur, 28. 29. ejusdem de | |
| Cotes, | 211 | glacie, 59 | |
| Creta, | 126. 128 | Gala ^{TT} ites, 207 | |
| Crystallus, | 219. & seq. | Gassendi observationes, 91. 94 | |
| Cupella examen, | 275 | Gemmarum natura, & origo, 217. | |
| D | | 218. gemmæ adulterinæ, 218. | |
| IGBÆVS de coloribus qui | | vitia, 220. vires, 221 | |
| per triangulum vitreum spe- | | Geodes, 233 | |
| ciantur, sententia, 94. 95. & seq. | | Gelsum, 305 | |
| Distillatio, | 122 | Glacies, 41. 58. 59 | |
| E | | Glossopetra, 210 | |
| E L ^E C ^T R ^V M, 262 | | Grando, 52 | |
| Elementa, 101. & seq. 166. & | | H | |
| seq. | | H ÆM ^A T ^I TES, 206 | |
| Entrochites, | 210 | Halitus triplex, 3. cur æstate | |
| Epicuri Philosophia, 166. 167 | | copiosior cùm sit non videatur, | |
| Etesia, | 57. 64 | 4. | |

R E R V M P R A E C I P V A R V M.

4. ex omni corpore exhalati,	4.	M	
halitus venenati,	4. 5. 9.	ALACHITES,	
fici,	5	Maltite,	
Halo,	90. 91	Magnes,	
Hyacinthus,	227	ejus vires,	
		seq.	
	I	Manna,	
ASPIS,	229	47. & seq.	
Ignis,	169	Marmor,	
Ignis fatuus,	71	Marga,	
Ignis lambens,	ibid.	Materia ex quā prodeunt meteora,	
Ignita meteora,	65. & seq.	Medicamenta Chymica,	
Iris,	72. & seq.	163. 301.	
Iridis locus,	73. 74	& seq.	
Iridis est in duplici differentiā,	74. 83	Melitites,	
Iridis figura,	75. & seq.	Mel,	
magnitudo,	79	47. & seq.	
Iridis colores,	82. & seq.	Meteora,	
	L	Metalla non vivere,	
Acus conjectu lapidum ru-		103. 105. 107.	
multuant,	150	117	
Lapidum materia,	184. & seq.	Metallorum materia,	
192. 193	235. & seq.	generatio,	
Lapidum causa effectrix,	185. 193.	241. & seq.	ducilitas,
figuræ,	187. 195.	244. an vnicā specie contineantur,	
Perspicuitas,		245. effectrix causa,	
& colores Lapidum,	187. 188	246. an reduci possint in hydrargyrum,	
Lapidum coagulatio,	189. 197. di-	247. metallorum pondera,	
visio,	201	260	
Lapis specularis,	208	Metallorum separatio,	
Lapis iudaicus,	210	275. 277.	
Lapis Bononiensis,	216	287	
Lapis nephriticus,	226	Metallorum compactio,	
Lapis Alectorius,	231	289. dis-	
Lapis Armenius,	ibid.	solutio,	
Lapis Chelidonius,	232	ibid.	
Lapis Philosophicus,	249. & seq.	Mineralium vita, & generatio,	
262. & seq.		ex Chymicis,	
Lateres,	129	105. 106. 116	
Lazuli,	231	Mineralium divisio,	
Lithocolla,	214	132	
Lithargyrus,	284	Mixtum imperfectum quid sit,	
Liquefactio,	124	3	
	N	Mixtionis principia,	
		101. 120. 121	
		Morocthus,	
		207	
	NATURA quid sit,	100. 114	
	Nebula,	43	
	Nili exundatio,	22. 23	
	Nitti natura & præparatio,	134. 135.	
	136. 141. & seq.	145. 149. 153	
	Nitrum esse fertilitatis causam,	142.	
	cuncta mineralia expurgat,	145.	
	146. 289		
	Rr		

I N D E X.

Nitri calor,	168	S
Nix,	52. 54	A C C H A R V M ,
Nubes quid sit, 43. illius opacitas,		Salis corpuscula, 16. 40. illius
ibid.		effectus, 40. 41. illius natura,
Nubes cur in aere pensilesque, 43.	59	atque in sua principia resolutio,
O		132. 133. & seq. 138. & seq. dif-
C H R A ,	12. 9	ferentiae,
Olei corpuscula,	3. 42	139
Oleum ferri,	301	Salsedo maris,
Onyx,	228	37. & seq.
Opalus,	223	Sal prunellæ,
Opium,	109	135. 136
Osteocolla,	209	Sal ammoniacum,
P		169
P A R H E L I A ,	92	Sapphirus,
Plumbi natura, 256. tria plur.		227
bi genera, 258. cur venis furi-		Sarda,
dendis adhibeatur,	280	228
Pluvia,	43. 44. 45	Sardonyx,
Pluviorum indicia,	45. 46	ibid.
Pluviorum portentosæ,	54	Saxa,
Pompholyx,	285	213
Porphyrites,	212	Schistos,
Praefus,	225	207
Præcipitatio, 286. 297. & seq. 300		Scintillatio maris,
Principia Chymicorum, 99. 100.		51
& seq. 106. 108. 109. 110. 117. 118.		Scoria metallorum,
119. & seq. 138		280. 283
Pruina,	47	Seneca opinio de terra motu, 6.
Pulveris pyri vires,	10	& seq. de fontium origine, 15. 16.
Putrefactio,	122. 292	de ventorum naturâ, 60. de Iri-
Pyrites,	305	de,
Q		76
Q V A R T A T I O ,	278	Silices,
R		211
R A T I O N E S seminariae, 102.		Smaragdus,
R oppugnantur, 104. defen-		224
duntur, 112. 113. & seq.		Smyris,
Regulus antimonii,	300	207
Ros,	46. 47	Spiritus quid sit,
		3
Q		Spiritus universti, 100. oppugna-
V A R T A T I O ,	278	tur, 102. & seq. defenditur, 111.
R		Spiritus mechanici,
R A T I O N E S seminariae, 102.		105
R oppugnantur, 104. defen-		Spiritus salis, 133. 134. 154. & seq.
duntur, 112. 113. & seq.		vlsus,
Regulus antimonii,	300	155. 180. 181
Ros,	46. 47	Spiritus nitti præparatio, & vlsus,
		143. & seq. 147. & seq.
Q		Spiritus acidi ex vegetabilibus
V A R T A T I O ,	278	eduçio, & vlsus,
R		152. 153
R A T I O N E S seminariae, 102.		Spiritus vitrioli,
R oppugnantur, 104. defen-		164
duntur, 112. 113. & seq.		Spiritus lapidificus,
Regulus antimonii,	300	195
Ros,	46. 47	Stannum,
		257
R		Stellæ cadentes, 69. discurrentes,
R A T I O N E S seminariae, 102.		ibid. alia ejusdem generis meteo-
R oppugnantur, 104. defen-		ra,
duntur, 112. 113. & seq.		70
Regulus antimonii,	300	Sublimatio,
Ros,	46. 47	121
		Succinum, 174. 175. 176. 177. cut-
		trahat palcas, ibid. vlsus, 179.

R E R V M P R A E C I P V A R V M.

resolutio,	<i>ibid. & seq.</i> 181	Trochites,	210
Sulfuris natura, & origo,	171.	Turbo,	56. 61
res, 180. spiritus,	182	Turchoides,	226
		Tutia,	284

T

T AICVS,	207
Tartarum,	139. 140
Terræ motus, 5. 6. 7. vbi variæ sententiaz excutiuntur. illius causæ, 7. 10. effectus, 8. variæ differentiaz,	9
Terræ tripartita divisio ex Moreno, 11. refellitur,	11
Terrarum varia genera, 125. & seq. pretiosæ,	127
Terra Samia, Lemnia, Armena,	128
Terratum vsus,	129. 130
Thermarum origo, 12. 13. & seq. 18. 149	
Tonitru,	65. & seq. 68
Topasus,	228
Tophus,	215
Trabes,	70
Transmutatio metallorum impugnatur, 248. & seq. defenditur, 251. iterum impugnatur, 260. defenditur,	261
Trigoni vitrei colores, 85. 94. & seq.	

V

V APOR quid sit, 3. quid eos atollat,	4
Vena metallica quomodo detegatur, 269. 270. præparatio, & fusio, 272. examen, 274. cur venis liquandis sales adhibeantur, 286	
Ventus, 35. & seq. 60. & 61. & seq. venti æquabiles,	64
Vini principia,	109
Vitrioli natura, species, & præparatio, 157. 158. resolutio in sua principia, 158. 159. vsus, 159. 160	
Vitriolum ex metallis,	301
Vitra metallica,	280
Vitrum antimonii,	310
Vsus mineralium, 306. & seq. ad Chirurgiam,	308. 309

Z

Z INCVM,	305
-----------------	-----

R r ij

PRIVILEGE DU ROY.

OVIS PAR LA GRACE DE DIEU ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE, A nos amez & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de parlement de Paris, Toulouse, Dijon, Bordeaux, Rouen, Aix, Grenoble, Reines, & Metz, Bailliés, Sénéchaux, l'envoys desdits lieux ou leurs Commissans, ou autres nos Justiciers & Officers qu'il appartiendra : Salut. Nous bien amé Maistre JEAN BAPTISTE DU HAMEL nostre Conseiller & Amoulier Prestre nous a fait dire & remonstrer qu'il a composé des Ouvrages Physiques, lesquelles il desirroit faire imprimer ; mais il craint que quelques Imprimeurs ou Libraires, autres que ceux à qui il l'auroit permis, roulissent entreprendre sur son travail : nous à tres-humblement requis sur ce nos Lettres nécessaires : à ces causes désirant favorablement traiter l'exposant, nous luy avons permis & octroyé, permettons & octroyons par ces presentes, de faire imprimer ledites Oeuvres, ensemble les Traductions qui pourroient estre faites en François par quelques personnes que ce soit, en celle grandeur, marge & caractere que bon luy semblera, en un, ou plusieurs volumes, en Latin ou François seulement, ou bien en Latin & en François ensemble, pendant le temps de neuf années, à commencer du jour qu'elles seront achevées d'imprimer, à la charge qu'il en sera mis deux exemplaires en nostre Bibliotheque, & visent celle de nostre tres-chr & feal Chevalier le sieur Seguier Chancelier de France, avant que de l'exposer en vente : comme aussi de le faire enregisster sur le livre de la Communauté des Marchands Libraires & Imprimeurs de nostre ville de Paris, conformément à l'Arrêt du 8. Avril 1653. à peine de nullité des presentes. Faisons defenses à tous Imprimeurs, Libraires, & autres de quelque qualité & condition qu'ils soient, de les imprimer, ou faire imprimer, vendre ou débiter durant ledit temps, que du consentement dudit exposant, ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de deux mil livres d'amende, applicable vn tiers à nous, vn tiers au denunciateur, & l'autre tiers audit exposant, ou ayant droit de luy. Si vous mandons faire jour ledit exposant, ou ceux qui auront droit de luy, du contenu en ces presentes, pleinement & paisiblement, faisant cesser tous troubles & empêchemens. Vouloirs qu'au vident des presentes, qui sera inseré auxdites Oeuvres, soy foy adjouste comme à l'original. Mandons au premier Huissier ou Sergent sur ce requis, faire pour l'execution des presentes, tous expéts & significations, & autres actes nécessaires, sans demander Visa ne Pareatus, nonobstant clameur de Haro, charte Normande, pris à partie, & autres Lettres à ce contraires : Car tel est nostre plaisir. Donné à Dijon le huitième jour de Novembre l'an de grace mil six cens cinquante-huit, & de nostre regne le sixième. Signé, Par le Roy en son Conseil, BOUCHARD.

Le sous-signé confesse avoir cédé mon Privilege à Monsieur Pierre Lamy, Marchand Libraire, pour faire imprimer mes Ouvrages, selon l'accord fait entre nous.
Fait ce 22. d'Octobre 1659. Signé, I. B. DU HAMEL.

La premiere impression a esté achevée le 28. Fevrier 1660.

Les Exemplaires ont été fournis.